


V
B J
C

NOVA & VETERA

LIBERAS AB ANTIQUO ELECTIONES

Regularium Abbatum Poloniæ

CONCERNENTIA

Pro certa Rerum Polonicarum Notitia acquirenda, & earum veriori ſpecie Imprimenda

Authori Anonymo,

Operis intitulati: *Nova Polonica*, ex Comitiis Grodnenſibus de Legatis Pontificis Maximi, & Regis Magnæ Britanniæ, nec non de *Iure Patronatûs*, aliisq; ad hiſtoriam recentiorem Poloniæ & Civitatis Thorunenſis ſpectantibus rebus Anno 1728 Tipis Colonienſibus in Officina Knochiana impreſſi;

PORRECTA.

Cunctiſq; Annalium Poloniæ fidis Hiſtoriographis ac eorum luſtratoribus noviſſimè in lucem,

Gratiâ utiliſſimæ eruditionis, & majoris illuſtrationis

EDITA.

Operâ Paciferi Veredarij

Annô

QVo IVs eLeCtIs â Deo Lege noVa reſtItVtVM.

Boszkowski Filip [illegible]

(1728)

Ex Veteri Testamento

Referas quæ dicuntur ad Deum - - - provide autem de omni plebe Viros potentes & timentes Deum in quibus sit VERITAS, & qui oderint avaritiam - - qui judicent &c. si hoc feceris - - omnis populus revertetur ad loca sua. *Exodi 18.*

EX NOVO

Renovamini spiritu mentis vestræ - - in JUSTITIA & sanctitate VERITATIS, deponentes mendaciũ loquimini VERITATEM unusquisq; cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. *S. Paulus ad Eph 4.*

Ex Sacri Authoris testimonio.

Qui VERITATEM occultat & qui mendacium profert, uterq; reus est, ille: quia prodesse non vult, iste: quia nocere desiderat. *D. Anselmus in Epist. ad Corinth.*

Ex Prophano

Nulla res nos majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur &c. Primi exitio sequentibus sunt - - Nemo sibi tantum errat, sed alieni erroris causa & author est versat & præcipitat traditus per manus error. *Seneca Lib. de Beata vita.*

Inter causas malorum est quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur - - Quod si pauci facerent nollemus imitari; cum plures facere cæperunt (quasi honestius sit quia frequentius) sequimur, & recti tenet error locum ubi poblicus factus est. *Idem Epist. 4. Lib 22.*

PROLE-





PROLEGOMENON

NOn mireris, nec indigneris quæso Anonyme quod *Nova* à te luci nuper tradita, novis aliis simulq; veteribus compleam. Operi tuo boni consulo, eam quippè obsequii sat operosi gloriam, & communis utilitas, & labor tuus desiderâsse videbatur; cùm ipsemet fatearis ingenuè, quod quando noviter editum ingenii partum concipere cogitaveras, plurimis pro tunc defectibus in præsenti materia laboraveris. Tui operis intrinseca speciosô *novorum* titulô palliata, dum cæpissem attentiori mente revolvere, mox orta ex tam inviso partu, admiratio, aliquantulum subsistere compulit animum, viscerosa abscondita tua sagatius perlustrare gestientem, hancq; super iis ad considerandum reflexionem proposuit; Non capio (inquit) quomodo? quave fronte? Anonymus iste typi Coloniensis sepiâ, Serenissimam Polonam Rempublicam (cujus sicut pro Catholica Fide ferventissimus zelus, ita pro sacræ Romanæ Sedis Authoritate, ejusq; debita semper observantia insignis & præclara pietas in aprico est) quomodo inquam resolverit se denigrare? & ejus Avito splendori umbram appingere Imprimendo sermones aliquos in publico dictos (si credere fas est, nam quod eum omnem sonum & sensum cum sua energia in Polono Idiomate habuerint, quem præseferunt apud Anonymum in latino, plurimum dubitandum censeo) quos ad unicum tantum temporis instans lingua (quis scit an non suadente passione quapiam? quæ prævenire ordinariè mentem consvevit) sub liberæ vocis præsidio auribus solis concredidit; ille verò (quod lugendum magis quàm legendum, impallescentibus ad hunc ausum ipsis etiam paginis) toti Orbi eosdem vocales fecit, ac Poste-

sterorum etiam mentibus prō perennatura memoria impressos esse voluit. Quem ad scopum *nova* ejus colliment, in luce est; Nimirum ut mediante Coloniensi prelo innovet dissidia (ne dicam prælia excitet) ex una parte inter Pontificiam dignitatem, ejusq; â latere Nuncium Apostolicum, tum alios externos Principes; Ac inter Serenissimam Polonam Rempublicam parte ex altera; Imo (quod vero simile est) ut ipsos etiam inter se Poloniæ status perturbet invicem, ac confundat novis suis, in quibus plurimorum Procerum ad executionem lati super Thorunenses suis pro publicis excessibus Decreti Deputatorum Comissariorum famam iniquè lacerare, & intaminatum nomen cavillari ad finem suæ impressionis non veretur. At parum id videbatur Anonymo, nec ipsa quidem (quod justam repræhensionem meretur) Regularium Claustra, suâ altâ pace, (quam semper habere debent,) & jure, (quod illis ab antiquo competit,) frui sinit Anonymus; Contra quos *nova* ejus, classica intonant per reimpressionem jam quidem toties in Publicum sparsi, nunquam tamen debitè examinati, nec in libra maturi judicij rectè & adæquatè ponderati cujusdam projecti; Immemor illius Cassiodori Senatoris Ravenensis Consilij, cunctis moniti loco dati: *quidquid ex invidia dicitur, (vel scribitur) & quidquid rectè non discutitur, veritas non putanda.* Verum tamen ignoscendum reor Anonymo, eo, quod illum plurima scitu digna latuerint, nec, dum hæc fabricaret, potuerit fieri omnium particeps, ut id non sine sensu doloris ipsemet pagina 121. § 16. recognoscit. Ejus dolori (si verus est) levamen me allaturum spero, quod si pro pleniori notitia, illa quæ mihi â Regularibus Poloniæ ad manus sunt transmissa, Anonymi non tam oculis quam attentiori trutinæ porrexero. Id verò non solum ei, sed & omnibus VERITATIS cultoribus gratum fore minimè dubitarem, nam benevolo lectori facem dicenda præferent ad assequendam occultatã hactenus VERITATEM, & ad rectius de nuper reimpressis ferendum Judicium, clarum lumen accendent, Leget

Cassiodorus Lib. 1.

hic

hic quivis pro meliori eruditione sua, (si discere voluerit VERITATEM, (leget inquam aliqua nova, plurima leget vetera, erroneis rumoribus non ita pridem contra Regulares Poloniæ in publicum sparsis prorsus contraria; quorum quia Anonymi nova edita nec mentionem faciunt, eam debent sustinere crisim, quod VERITATEM docere nequeant. Nam (si oraculo Sapientiæ & Veritatis Increatæ deferimus) id nobis omnibus â Magistro totius Ecclesiæ discendum est; quod illa solum scripta munus docendi sortiri, & ad propulsandam erroribus obnoxiam ignorantiam deservire valent, quorum ipsemet Authographus (si doctus scriba dici & esse voluerit) *similis est Patri familias, qui profert de Thesauro suo nova & vetera*. Huic traditæ à VERBO Incarnato doctrinæ quod morem gerere pro viribus studuerim patebit benevolo lectori & sequentibus, ubi quæ recens penna ex antiquis legibus & statutis proferet, in *veterum* Classem referri volo ab omnibus. jam verò ad seriem *novorum* spectabunt, tum ea, quæ pro fundamentalissimis rationibus tàm ab extrinseco quàm ab intrinseco desumptis in defensionem *Jurium suorum* Regulares Poloniæ porrexêre, tum ea omnia quæ noviter ab eisdem pro refutandis contra se projectis antiquis accepi. Votum autem præsentis laboris sciat non aliud esse Anonymus, nisi, ut existenti hactenus in obscuro VERITATI & JUSTITIÆ novam lucem ferat, quam plurimosq; ei Patronos & Protectores provideat. Quamvis verò ex communi vulgi sensu adeò infelix putetur esse VERITAS, ut sola nonnisi odia parere consueverit, illa tamen præsenti operi sperare aut vereri VERITAS non permittit, ut potè quô non ullum lædere, sed læsæ hucusq; paci & trãquillitati Publicæ ferre vindicias vera docens intendo; Ea postquam cum Anonymo rectè quisq; Judicio debitè trutinaverit, facilè dabit (ut suppono) scribenti veniam, probabitq; ita me verum inquirere, ut simul pacem quæram, vel (quod magis desidero) feram; seu (ut paucis velut in Iliade complectar omnia) confirmabit, quod sim re vera (pro quali à cunctis haberi & recognosci cupio) *PACIFER VEREDARIUS.*

Matth. 13.

PRæsens Novorum & Veterum materia, quandoquidem liberas electiones Regularium Poloniæ Abbatum, diversorum Ordinum concernit, illud á me exigit, ut antequam tractare de illa quidquam ordiar, prius ad certum Ordinem tractanda disponantur regulariter. Proinde ne farrago scriptorum â Regularibus transmissorum, pariat lectori benevolo fastidium, hanc distinctam & ordinatam seriem (ad quam omnia quæ in præsenti materia tractanda venient, regulabuntur) infrascriptis ántepono.

SERIES & ORDO TRACTANDORUM Distinctis Articulis DISPOSITA.

Articulus I. *INquiret Originem, progressum, & statum præsentem, motæ in Polonia Controversiæ Contra Electiones Abbatum Regularium.*

Articulus II. *Investigabit Authorem ejusdem.*

Articulus III. *Referet Magnorum Capitum Sensus de hac controversia.*

Articulus IV. *Fundamenta ex Jure Communi proponet pro parte Electionum liberarum.*

Articulus V. *Fundamenta ex Jure particulari remonstrabit pro parte Regularium Poloniæ.*

Articulus VI. *Resolvet ex supradictis fundamentis quæstionem: Utrum Monachi Poloniæ Jus habeant ex arbitratu suo eligendi Abbates Regulares?*

Articulus VII. *Confirmabit dicta per seriem Abbatum Regularium Canonicè à Monachis Poloniæ electorum.*

Articulus VIII *Refutabit 50. Singularia Juris patronatûs.*

Articulus IX *Replicabit refutatonem Anonymi, quâ impugnat fundamenta Regularium Poloniæ.*

Articulus X. *Proponet motiva specialia, Commendas in Polonia dissvadentia.*

Tandem concludet opus præsens introcontentorum documentorū SUMMARIUM.

ARTICULUS I.

De Origine, progressu, & statu præsenti, motæ in Polonia controversiæ contra Electiones liberas Abbatum Regularium.

DE hac Anonymus, Pag. 44. §. 12. dum tractare in suis Novis incipit, ut sibi fidem apud Lectorem conciliet, citat pro se Illustrissimum Andream Chrysostomum Załuski Episcopum Varmien: ei omnia referendo accepta in hac materia; At frustra tanti Viri Authoritate sese tuetur, quamvis enim ea projecta, allegata ab Anonymo in præfati Załuscii legantur operibus, ipse tamen Załuscius alium eorum Authorem indigitat Tom. 2. Epist. CXXX. fol. 708. sic ad finem scribens: *Interim post finita Comitia secretius fuit Consilium circa prosequendum negotium Jurispatronatus Regii, quod quia tibi (scribit ad Alexandrum Sallavolli) Rex Romam eunti commisit, & tu non habere te sufficientia documenta, ad probandum & evincendum scripsisti, demandavit cum consilio Rex Włoszkiewicio Seniori Curiæ Advocato, ut cum aliis conferret Advocatis circa hocce negotium; & quidquid informationis & scriptorum hac in materia esse potest per manus meas tibi Romam mitteret, farraginem ergo horum scriptorum ab illo accepi, & aliqua tantum legere licuit occupatissimo &c.* Ex quibus manifestè depræhenditur Anonymus erroneè sensisse de Authore scriptorum, quæ contra Regulares ex operibus excerpsit Załuscii, nonne ibi & alia plurima aliorum dicta & scripta extant? quorum tamen non est author Załuscius, sed relator, utpotè Historiographus. Ac proinde prout pro parte à se excerptorum

mala

mala fide citat Authorem Załuſcium, ita & excerpta ipſa de Origine præfatæ Controverſiæ fidem bonam mereri non debent; nunquam pientiſſimus & immortali fama dignus Epiſcopus (cujus erga Regulares amor vel ex inde ſatis clarè patet, quod, (referente id ipſum Anonymo) petiiſſet â Pontifice facultatem in Monaſterio aliquo Poloniæ vitam Regularem agendi, licet id obtinere non potuerit) nunquam inquam tam acrem ſtylum contra Religioſos acuiſſe credendus, nam ejus alium longè ſenſum fuiſſe de præfata controverſia demonſtrabit Articulus III. Porro conſummatæ prudentiæ Vir, & ſedulæ lectioni librorum intentus, legiſſe id apud Senecam non ambigitur, qui inquit: *Turpe eſt aliud loqui, aliud ſentire, quanto turpius eſt, aliud ſcribere, aliud ſentire.* Proinde ſcommatica relatio Anonymi de Origine præfatæ Controverſiæ aliaq; omnia de illa in ſuis novis ſcripta fidem non habent. Quæcunq; igitur eisdem opponentur, non id Załuſcii, (cujus oracula profundè veneranda cenſeo) exiſtimationi nocere debet, neq; enim mihi fas, jusq; eſt, tam benè meriti de Republica, omniq; Elogio majoris Viri, refutare dicta, ſed quæcunque refutanda venient, indigitati ſupra ab ipſo Załuſcio Authoris, qui injuſtè Jura Regularium aggreditur, malam fidem arguent; Cujus falſæ de Origine præfatæ Controverſiæ relationi veriorem hanc contrapono;

Epiſt. 5. Lib. 3.

Quousq; Polona Respublica, poſt ſuſceptam Orthodoxam fidem caruit libertate eligendi Reges ſuos, protunc in ſtatu illo abſoluti Dominii ac primùm diverſorũ Ordinum Regulares ex exteris in Poloniam ſunt introducti, omnes æquali Jure, reſpiciente electiones liberas ſuorum Prælatorum, prorſus pacificè, & absq; ulla cujusvis perturbatione, dependentia, aut Controverſia, à primo ſtatim limine fundationis abſolutè gaviſos fuiſſe per aliquot Centena Annorum, teſtis eſt inter cæteros celeberrimus Poloniæ Annalium ſcriptor Martinus Cromerus, qui de Regula-

gularium Electione sic inquit: *Abbatum & Præpositorum eligendorum Jus, Collegia Monachorum hactenus (subintellige pacificum) retinuere.* Imo (quod justam reflexionem meretur) sub illo statu absolute protunc Regnantium præter Jus Eligendi pacificum, speciales quoq; libertates & Privilegia Regularibus concessa sunt â Regibus Poloniæ, quos â variis servitutibus, angariis, & oneribus, ad quæ Poloniæ cives omnes protunc adstricti erant, beneficentia Regum & pietas exemptos esse voluit in perpetuum, quod remonstrare per Authentica Regum Diplomata parati sunt Regulares Poloniæ. Postquam verò libera Regum Electio in Polonia invalescere cæpit, mox Jura libertatis Regularium sensim circumscribi, perturbari, ac restringi â Casimiri 3tij temporibus attentata sunt, ut ex eodem Cromero Constat, qui hac de re sic inquit: *Anno 1447. accidit res ominosa inter solemnes Coronationis Cæremonias, nam cum de pagis aliquot Tynecensi Monasterio subjectis, pecudes pignoratæ ob negatam Regi novo inusitatam procurationem sive stationem essent, mulieres Rusticanæ pecudes suas secutæ ejulatibus & lamentis, non sine molestia & fremitu omnium templum impleverunt, Monasterium quoq; Mogilense Ordinis Cistercienfis quo die Casimirus Poloniæ fines attigit, totum fortuito incendio conflagrarat, nec sanè fefellit omen, senserê enim pressuram Ecclesiæ & Monastaria postea hoc Rege regnante.* Quia vero præfato Anno in Ecclesia Dei schisma exortum, aliis Felicem, aliis Nicolaum V. ad Sedem Petri evehentibus, oportunum pro tunc arbitratus est *Casimirus* petere apud Nicolaum (quem pro legitimo Pontifice cum suo Regno recognoverat) Jus præsentandi ad omnia beneficia Poloniæ, eumq; in finem misit Legatos, Vissotam Gorcanum Præpositum Posnaniensem, & Petrum Samotulium Castellanum Calissiensem, qui impetrârunt â Pontifice subsidium pro bello Tartarico Decemmillium florenorum, itemq; facultatem conferendi Nonaginta sacerdotia quæ in Provin-

Lib. 2. Tit. de Regibus & Magistratibus Polonorum Fol. 106.

Lib. 22. de Origine & rebus gestis Polonorũ. Tit. Casimirus Rex.

cia Gnesnensi vacatura essent,& ad Jus summi Pontificis pertinerent; *Petierant autem ij Regio nomine Decimam Decimæ,& Jus omnium sacerdotiorum in tota Polonia conferendorum&c.sed ea* (sunt verba Cromeri supra citati)*negata sunt.* Nota signanter Casimirum 3tium. Jus nominandi ad beneficia non prætendisse vi fundationis, aut dotationis,sed *postulasse vià gratiæ & Privilegij Apostolici* â Pontifice, eam tamen gratiam pro tunc non impêtrasse. Hâc subsecutâ denegatione Casimirus Rex per potentiam Jus præsentandi sibi usurpando, præprimis ad Cathedralem Cracoviensem Ecclesiam Anno 1460. Gruszczynium nominasse legitur, ad quam Canonice electum Joannem Brzezium minis & terroribus compulit ad resignandam Electionem in personam suam factam, de quo fusius ibidem Cromerus,ut supra.

Privilegium Apostolicum petitum pro Jure Patronatus omnium Beneficiorum Poloniæ, â Nicolao V. Summo Pontifice denegatur.

Ea vero tempestate,occasione hujusmodi revolutionis idem Rex Casimirus 3tius eodem Anno 1460. Cæpit Jus aliquod prætendere etiam circa Abbatum Regularium Poloniæ Electiones, quas per quadringentos circiter annos præcedentes omnino & plenè liberas, ac pacificas, nec â quopiam (ut dictum est) depentes, pro suo arbitrio Monachi de Jure habuerant. Et quia fortius quo ad illas Jus resistebat, majoremq; habuit oppositionem contra præfatam prætensionem suam â Monachis; Ideò vacante Abbatiâ Lubinensi Ordinis S. Benedicti,postquám prædicti Monachi eo non consulto Canonicè elegerunt in Abbatem Albertum suum Professum, id tantum protunc vi & potentia evicit Casimirus â Lubinensibus, ut in futurum scripto assecurarent Regem, quod liberè â se pro tempore electum *sui Conventus Professum* repræsentaturi essent Regi,*idq; honoris exhibendi gratiâ.* Assecurationem præfatam vide in Summario Num. 1.

Anno 1460. Regnante Casimiro III assecuratio data a Monachis Lubinen. Ordinis S. Benedict.

Hic notandum, in dicta assecuratione non posse fundari Jus præsentandi quod nunc prætenditur; Aliud enim

nim eſt : *Obligare ſe ad liberè à ſe Electum, Regi honoris exhibendi gratia præſentandum.* Et aliud: *obligare ſe ad hunc & non alium ab Aula præſentatum eligendum.* Ad primum obligati ſunt (quidquid ſit ſtrictâ ne obligatione,an non?) Lubinenſes ; de ſecundo nec ſomniarunt. Deindè data aſſecuratio quandoquidem *reſervat Jus eligendi de Jure & Conſvetudine Competens* Lubinenſibus, annexamq; habet eam Officioſam Civilitatem,quod ſcilicet electi de gremio ſui præſentatio â Monachis facienda ſit Regi *honoris exhibendi gratiâ*, videtur non poſſe infirmum reddere Jus Eligentium. Tandem dato etiam non conceſſo,qúod dictus unus Conventus ſervitutem hanc ſtrictè ſuſceperit, non ideò ad alios ejusdem, multo minus diverſi Ordinis, extendi debet præfata obligatio ; Quâ non obſtante, alia Monaſteria Poloniæ,ſicut antea eligebant liberè Abbates ſuos,ita nunc eligunt ; nec ullum extat veſtigium quod ad hanc ſervitutem adigerentur regnante Caſimiro cæteri Regulares Poloniæ.

Poſt fata Caſimiri 3tij dum eſſet renunciatus Procerum ſuffragiis Joannes Albertus in Regem Poloniæ in Comitiis Petricovienſibus, Herburtus teſtatur Anno 1496. ſtetiſſe Statutum Petricoviæ de Jure Patronatus ; Quo : ſi quiſpiam beneficia *Juris Patronatus Regij impetraverit* in præjudicium ejus, decernuntur pænæ contra impetrantes, ut in Summario Num. 2. Quod ſtatutum plurimi extendunt ad Electiones Regularium Abbatum, ſed perperam, nam in illo ſolum enuntiatur de beneficiis *Juris Patronatus Regij*; Unde verò hoc Jus ſuper Abbatias & Præpoſituras Regulares probari poteſt legitime competere Regi ? niſi forte ex petita â Caſimiro III. Rege, licet denegata â Nicolao V. Pontifice gratiâ præſentandi ſuper omnia ſacerdotia Poloniæ, ut ſupra relatum ; Aut certè ex data aſſecuratione â Monachis Lubinenſibus ; ſed neutrum id probat. *Non primum* : ſolum enim ſuper *aliqua* Beneficia ſæcularia Collatum eſt

Tit. Jus Patronatus Fol. 251.

Anno 1496. Regnante Joanne Alberto ſtatutum Regni.

Casimiro Jus præsentandi, ut retuli supra Fol. 4. *ex Cromero*; Ac proindè de illis tantum Beneficiis intelligendum statutum loqui, non debetq; extendi ad alia, maximè Regularia, cum juxta communem Regulam Juris: *Odiosa restringi conveniat*. Porro tale esse præfatum statutum, incomperto est. *Non secundum*: Assecuratio enim â Lubinensibus data, non spoliat eosdem Jure eligendi, adeòq; non fundat Jus præsentandi ad Beneficia Regularia. T. q. dictum statutum ad eos solos cum suis pænis regulatur, *qui Beneficia &c. impetraverint*; Jam verò Beneficia Regularia, viâ scrutinij & liberæ Electionis, non verò viâ impetrationis obtineri de Jure & Consvetudine solent, & debent; Nisi forte ob defectum aliquem Electionis â Monachis nòn Canonicè factæ, aut ob præfixi ad eam faciendam temporis neglectum, *Jure devolutivo* provisio Abbatis spectet ad Summum Pontificem pro tempore existentem.

Joanni Alberto postquam successit Alexander Rex Poloniæ, liberis pariter Procerum suffragiis renuntiatus, illius ad liberalitatem profusum animum adeò, fuisse testantur historici, ut apud Posteros hoc elogium obtinuerit; *qvod nihil in fortuna sua majus habuerit, quam ut posset, nihil melius, quam ut vellet omnibus bene facere*. Hinc *Miechovita* Polonus Historiographus refert, quod præfa-
Lib. 4. Cap. 84. tus Alexander Rex Anno Domini 1504. in Comitiis Petricoviensibus ad petitionem Domini Matthiæ Drzewicki Præpositi Scarbinensis & Vice Cancellarij Regni, Jus Patronatus Ecclesiæ Parochialis in Brudzewice Archidiæcisis Gnesnensis (ad suam collationem ex Privilegio Nicolai V. Pontificis spectans) certis sub conditionibus irrevocabiliter donavit. Idem & aliis de Jure sui Patronatus cessisse legitur. Cum vero tanta Regis liberalitas aliis innotuerit, Abbatias etiam â Rege petere præsumpserunt, quod his verbis præfatus Miechovita

loco

loco citato refert : *Alij quoq; de Regno Poloniæ videntes fontes largitatis in concessione petitorum apertos, Abbatiam Tynecensem Ordinis S. Benedicti, Præposituram Miechoviensem Canonicorum Regularium Custodum sepulchri, item & Abbatiam Suleoviensem Ordinis Cistercienfis, cum cæteris Beneficiis Cancellarij & Vice Cancellarij Regni ; Item Archiepiscopatui Leopoliensi, & Episcopatibus Russiæ annumerare & inviscerare instantes laborarunt. Verum (notandum id diligenter) quia Monachi non ad Regem, sed ad Sacram Romanam Sedem provocarunt, & miserunt, prætermissis Monasteriis, alia Beneficia Regiæ donationis acceptarunt, Ecclesiam quoq; Parochialem in Biala Episcopatui Chelmensi Russiæ, Ecclesiam in Mzczonow Posnaniensi, & Altare in Nachelnicza Præposituræ Lanciciæ junxerunt, & perpetua Regis donatione incorporarunt.* Adverte Officialibus Regni provisum jam esse ab Alexandro Rege in perpetuum.

Anno. 1504. regnante Alexandro Regulares Poloniæ opponunt se collationi Abbatiarum & ad sedem Romanam appelant.

Prædicto Alexandro regnante stetit Anno 1505. statutum Contra *Cortesanos* seu eos *qui Beneficia Juris Patronatus Regij, aut Beneficia per terrigenas de Bonis eorum ad consolationem amicorum fundata impetrant Romæ*; sed id non afficit Regulares, nam eorum Abbatiæ & Præposituræ alió fine fundatæ, nec impetrationis viâ obtinentur, ut supra dictum. Tum quia per statuta Regni posteriora, Electio libera suorum Prælatorum Regularibus adjudicata est, ut infra ostendetur.

Sub eodem Rege Anno 1505. statutum Regni Contra Cortesanos quorum Nomine quis intelligendus? explicatur.

Alexandro è vivis sublato sub Sigismundo primo liberis votis electo Rege Poloniæ, novas vires, contra liberas electiones Regularium exeruit Potestas Sæcularis, sed quia opponebant Monachi Jura sua ; Hinc (ut in Annalibus Monasterij Vagrovecensis Ordinis Cistercien: annotatum legitur) â Sigismundo Rege Poloniæ acciti sunt Anno 1538. ad Generalia Comitia Petricoviam omnes Abbates Poloniæ, ut ibidem cum suis Privilegiis & fundationum Diplomatibus compareant ; sed

Anno 1538. regnante Sigismundo I. Regulares Poloniæ adcitantur ad Comitia cum suarum Fundationū

sed quia ex Regularium Authenticis documentis, pro parte liberæ Electionis Jus clarè reluxit, quo impediebantur novæ Machinationes sibi adversantium ; Ideo in dictis Comitiis (ut refert *Herburtus*, facta est tantum quædam *limitatio restrictiva*, non vero sublativa Juris evidentis Regularium ; statutumq; (Jure quodam politico) ne Monachi eligerent in suos Abbates extraneum ullum, sed solùm natione Polonum, Professum sui Ordinis, illumq; ante alios de stemmate, & indefectu idonei nobilis, non nobilem, ita tamen ut semper de facta â Monachis Electione Rex esset certiorandus. Quod incipit : *Frequentibus magnisq; petitionibus atq; clamoribus subditorum nostrorum permoti &c.* ut in Summario Num. 3. Adverte quodnam fuerit protunc primarium motivum restringendi Jura Regularium evindenter reproducta in Comitiis Petricoviensibus.

Instrumentis reproducendis.

Sub eodem Rege anno præfato Statutum Regni restringens liberas Monachorum electiones.

Anno 1542. fit synodalis Constitutio contra præfatum Statutú, quam altera Synodus 1544. Confirmat.

Dum autem vim inferri Juri Regularium videret Synodus Provincialis in Regno Poloniæ celebrata sub Petro Gamrato Archiepiscopo Gnesnensi Anno 1542. Constitutione pro parte Regularium lata abrogavit præjudiciosum præfatum Regni statutum, & Jus liberè eligendi suos Abbates competere de Jure Regularibus Poloniæ decrevit. Ut in Summario Num. 4. lit. A. Id ipsum altera Synodus celebrata in Anno 1544. Confirmavit, ut in eodem Summario numero eodem. lit. B.

Anno 1550. regnante Sigismundo Augusto nova servitus imposita Regularibus Poloniæ.

Quia verò potestas prædentium Abbatias, suum intentum consequi exoptabat, ut scilicet electiones Regularium magis & magis restringerentur ; Iterum sub Sigismundo Augusto (qui successit Sigismundo Imo) in Comitiis Petricoviensibus Anno 1550. alia servitus imposita fuit Regularibus, *ut videlicet deficiente Nobili idoneo Professo, eligeretur â Monachis Nobilis Ecclesiasticus non Professus, cum obligatione profitendi Regulam*, â Rege pariter approbandus. Ut in Sum. Num. 5. Sed & hoc

hoc *Statutum Regni* per Synodum Provincialem ſub Nicolao Dzierzgovio celebratam Anno 1551. *abrogatum*, ut in Summario Num. 6.

Ut autem validius Jus ſuum Regulares Poloniæ contra ejus violatores efficiſſent, facto recurſu ad Protectionem Sedis Apoſtolicæ exportarunt in ſuarum Electionum favorem Breve Apoſtolicum Anno 1552. â Julio III. Pontifice Maximo emanatum, quô Pontifex pro parte Ciſtercienſium Poloniæ proſpicit libertati Juris eligendi Abbates Regulares, mandatq; ne circa illud â quopiam perturbentur ſub comminatione Cenſurarum. ut in Summario Num 7. Dicto Brevi Apoſtolico parendo, pro tunc regnans Sigiſmundus Auguſtus, in proximo, videlicet Anno 1554. Confirmat diplomate ſuo Jus liberæ Electionis Ciſterciens: Poloniæ, ac fatetur Ciſtercienſes præfato Jure uſos fuiſſe â multis Centum annis, abrogatq; quæcunq; ſtatuta & Præjudicia contra illud attentata, ut in Summario Num. 8. lit. A. Simile diploma paulo poſt in favorem Michovienſium Canonicorum Regularium præfatus Rex concedit, ut in eodem Summario Num. ſupra citato lit. b. Et hanc Regiam Confirmationem poſtea Anno 1556. Synodus Provincialis Decreto ſuo roboravit, dum excluſis ſæcularibus ab Abbatiis Regularium, præcepit eligere nonniſi Regulares Profeſſos, quâcunq; coactione & metu remotis. Ut in Summario Num. 9. Quam conſtitutionem reaſſumendo iterum Anno 1577. alia Synodus Provincialis poſt Concilium Trident. Celebrata præcepit, ut nihil expediatur ex Cancellaria Regia contra hujusmodi liberas Monachorum Electiones. vide in Summa. Num. 10. Et ſubſecuta præfatæ ſynodi approbatione per Gregorium 13. ut in Summa. Num. 11. eam una cum Concilio Trident. Stephanus Bathoreus (Henrico

Anno 1551. â Synodo Provin. abrogatur ſupradicta ſervitus.

Anno 1552. Breve Apoſtolicum Julii III. in favorem Ciſtercienſium Poloniæ pro liberis electionibus emanatum.

Anno 1554. Sigiſmundus Auguſtus confirmat Jura Ciſtercienſium Poloniæ, & paulo poſt Michovienſium.

Anno 1556. ſynodus Provincialis roborat Jura Regulariũ.

Idem Altera ſynodus Anno 1577. confirmat.

Anno eodem Rex ſtepha-

nus Bathoreus acceptat Synodales Constitutiones, una cum Concilio Trident.

rico Valesio ad Coronam Regni Galliæ translato) Rex Poloniæ renuntiatus, acceptavit Anno 1577 ut ex Brevi Gregorij 13. liquet, in Sum. Num. 12. Ac satisfaciendo dispositioni tam Concilij Trident. quam prædictæ Synodi Provincialis decretis, dum commendaret Rex Stephanus Anno 1585. literis suis Monasterio Andreoviensi Ordinis Cistercien. Stanislaum Resciun eligendum, recognovit in Eisdem liberam Electionem competere Cistercienſibus Poloniæ, ut in Sum. Num. 13.

Anno 1585. idem Rex recognoscit Cisterciensibus Poloniæ competere Jus libere eligendi.

Anno 1588. regnante Sigismundo III. per statutum Regni imponitur nova servitus Regularibus Poloniæ

Postmodum quandoquidem Monachi Jus liberæ Electionis habentes undequaq; stabilitum, anteriora statuta Regni restrictiva suæ libertatis non attendissent; Iterum sub Sigismundo III. (quem votis liberis post Stephanum Bathoreum elegit in Regem Polona Respublica) imposita est per constitutionem Regni alia servitus Regularibus Anno 1588. (quo tempore jam Poloniæ Nobiles suis vel maximè gaudebant Privilegiis & prærogativis concessis sibi â Regibus suis) videlicet quatenus pro statu vacantis Abbatiæ insinuetur electio Regi ut in Summ. Num. 14. lit. A. Idem Anno 1607. alio statuto Confirmatum; *Utrobiq; tamen supposita libertate Electionis Abbatis Regularis penes Monachos.* Et quia prædicto Anno maxime invalescebat appetitus Ecclesiasticorum sæcularium, ad obtinendas in Commendam Abbatias Regularium, eadem Constitutione Regni *cautum est, ne Abbatiæ, aut Præpositura Regulares Episcopatibus uniantur,* ut in Summ. Num. 14. lit. b.

Eadem servitus 1607. reassumpta.

Commendæ Monasteriorum Poloniæ per Regni statutum excluduntur.

Anno 1667. Regnante Joanne Casimiro Jura Cisterciensium Poloniæ circa Electiones liberas Abbatum confirmantur in perpetuum.

Nihilominus præfatum sub Sigismundo III. statutum, quatenus novam servitutem imponens regularibus, ne dum abrogatum & irritum ipso Jure fuit per Constitutiones supradictas Synodales, Pontificias, & Regias, *futurum etiam tempus respicientes*, sed & per aliam constitutionem postea emanatam Joannis Casimiri, per libera Nobilitatis Polonæ suffragia succedentis in Regnum

num Poloniæ, qui Anno 1667. Cistercienſibus Poloniæ *Jus liberæ Electionis Abbatum Regularium ab antiquo competens, ex integro confirmavit, decrevitq; irritum fore, quidquid in contrarium ex Regia Cancellaria emanaret in poſterum.* Et inſuper ſuo & ſucceſſorum ſuorum Regum Poloniæ nomine appromiſit Juribus Cistercienſium, ne in minimo etiam puncto ſe derogaturum, ut in Summ. Num. 15.

Eandem libertatem Eligendi ſuos Regulares Prælatos, debitam de Jure Cistercienſibus, Clemens 9. per Breve Apoſtolicum in Anno immediatè ſequenti 1668. Conſulta Congregatione Epiſcoporum & Regularium Confirmavit, & revalidavit, abrogatis quibuſcunq; ſtatutis contra eandem alias quandocunq; emanatis. ut in Summ. Num. 16. *Anno 1668. Clemens 9 per Breve Confirmat Jura Cistercieñſium abrogatis quibuscũcq; in contrarium Statutis.*

Præterea Michael Rex Poloniæ Joanni Caſimiro per vota libera Nobilitatis Polonæ ſuccedens, Diplomate ſuo in favorem Cistercienſium Poloniæ, eorumq; libertatis Eligendi ſuos Regulares Prælatos dato Anno 1669. Confirmavit ſupra dictas Pontificias ordinationes & ſtatuta, ac Joannis Caſimiri ſui prædeceſſoris (inquantum Juri Communi non repugnat) ratificavit Privilegium, ut in Summ. Num. 17. Porro quod Electio libera Abbatum juxta Juris Communis diſpoſitionem competat Regularibus Poloniæ, ſuo loco infra oſtendetur. *Anno 1669. Rex Michael Pontificias ordinationes & Joannis Caſimiri Prædeceſſoris ſui approbat & ratificat in præmiſſis.*

Verum poſtquam dicta confirmatio Michaelis Regis Poloniæ in lucem prodiit, orta eſt gravis tempeſtas & indignatio ab adverſantibus Juri Regularium, ita, ut præfatus Rex neciſſitatus fuerit contra Diploma â ſe datum nominare ad importunam inſtantiam D. Andreæ Olſzovij Epiſcopi Culmenſis & Pomeſaniæ protunc Procancellarij Regni, in Commendam Abbatiam Hebdovienſem Ordinis Præmonſtratenſium, ad quam nominationem reſcriptum fuit Anno 1671. â Sacra Congregatione *An 1671. reſcriptũ Negativũ Sacræ Congregationis ad nominationem Regiam.*

 Con-

Consistoriali negativè. ut in Summ. Num. 36. Cum igitur frustrasset spes præfatum D. Procancellarium, nec obtinuisset Sedis Apostolicæ dispensationem, pro dicta Abbatia Hebdoviensi, aliam nominationem in Personam sui exportavit ex Regia Cancellaria eode Anno pro vacante protunc Abbatia Andreoviensi Ordinis Cisterciensis, *quæ quidem Nominatio expressam enuntiativam in terminis formalibus præferebat Juris patronatus Regij.* Cæterum Monachi Andreovienses insistentes Juribus & Prigilegiis sibi competentibus, præcipuè verò novissimo Diplomati Serenissimi Michaelis in favorem liberarum Electionum emanato Anno 1669. non obstante præfata nominatione elegerunt Canonicè R. D. Theodorum Madalinski Monachum & Professum Cisterciens; cui electioni opponens sese D. Olszovius Regius nominatus, excitavit in Urbe maximam controversiam de asserto Jure Patronatus Regio. Et non expectata decisione Causæ, violento modo, armata scilicet manu Andreoviensis Abbatiæ Bona occupavit. Dum vero negotium asserti Juris Patronatus strenuè â præfato Ministro Regio promoveretur Romæ in Dataria tempore Eminen: D. Cardinalis Carpinei tunc Prodatarij, injunctum est, quatenus D. Episcopus Culmensis Procancellarius Regni, nominatus ad Abbatiam Andreo: â Rege, assumeret onus justificandi suppositum enuntiati in sua præsentatione Juris Patronatus Regij, obtinuitq; provisionem Apostolicam Anno 1672. cujus executio ab Eminen: Prodatario Commissa est D. Episcopo Cracovien: cum hac apposita clausula: *ut non procedat ad ejus executionem, nisi prius verificato asserto Jure Patronatus, & aliis in Literis Apostolicis narratis, nec non ad reportandū literas Apostolicas ut corrigantur, urgeat.* Vide in Summ. Num. 18. Nihilomidus D. Procancellarius nominatus â Rege, & Provisus de Abbatia Andreovien: sub conditione probandi suppositū

Eodem Anno nominatur D. Olszovius Procancellarius Regni ad Abbatiam Andreoviensem cum enuntiativa Juris Patronatûs.

De Jure Patronatûs disputatur Romæ validissimé â Ministro Regio.

Injungitur verificatio Juris Patronatus Procancellario Regio.

ſitum Juris Patronatus Regij, poſtquam non haberet modum neq; poſſibilitatem verificandi illud in literis ſuæ proviſionis & nominationis narratum, curavit, ut ab Executore literarum Apoſtolicarum concederetur ſibi immiſio contra formam literarum & Decreti Datariæ, quod & obtinuit, protaſtante Conventu Andreovien; unde lites ulteriores per aliquot annos continuatæ, & tandem Canonicè Electo R. D. Madalinski Regulari adjudicata Abbatia. Poſtquam verò D. Olszovius translatus fuiſſet ad Eccleſiam Gneſnens; etiam tunc Abbatiam Andreovienſem,(quam de Jure â Sede Apoſtolica obtinere nequivit,) ſibi defacto adſcripſit, inſiſtendo violenter & armata manu in ſupradicta intruſiva poſſeſſione ejusdem Abbatiæ. Hinc iterum agitatum ſtrenuè negotium Anno 1675. coram Reverendis. D. Matthæio Sacri Palatij Apoſtolici Præfecto, *reſolutumq; fuit, literas dicti D. Epiſcopi fundatas in Jure Patronatus non eſſe exequendas, ſignanter ex defectu probationis Juris præfati*, ut in Deciſione, ad cujus formam lata fuit *ſententia excluſiva Juris Patronatus*, ut in Summario Num. 19. Et Decreta etiam manutentio Abbatis Regularis Madalinſcij, ut in Summario Num. 20.

Romana Sententia ex cluſiva Juris Patronatus ſuper Abbatias Ciſtercienſ: Poloniæ.

Perditâ Romæ cauſâ Juris Patronatûs, quid egerit D. Epiſcopus, & quomodo aſſertum, nec verificatum, Jus præfatum tueri ſeſe reſolverit, indicat ejus Epiſtola in Operibus Zaluſcij relata Tom. 1. Fol. 672. cujus excerptum *vide in Summ. Num. 21.* Et quia D. Epiſcopus violentam Poſſeſſionem Abbatiæ Andreovienſis dimittere nullatenus voluit, latum â ſacra Rota ſuper ejus Perſonam interdictum 20. Novemb. 1676. *ut in Summa: Numero.* 22. Quod modo primum (dato ſatis juſto ad reſipiſcendum ſpatio) Anno 1677. Die Dominica, quæ fuit 29. Auguſti ex Ambona, finita Concione denuntiatum Andreoviæ, Varſaviæ, Cracoviæ &c. Et tandem D. Epiſcopus eadem die,imò (ut teſtatur P. Petrus Dunin S. J. in ſua funebri

Interdictū latum 1676. ſuper D. Epiſcopum.

D. Epiſcopi mors eadē die

& horâ, quâ factæ denuntiationes interdicti.

nebri Concione typis impressa, qui Gedani moribundo præsens adfuit) eadem hora, videlicet ipsa II. ante meridiem (o inscrutabilia Judicia Dei!) decessit è vivis.

Sereniss: Joannes III Rex Poloniæ pro libera electione Cistercien: suum Patrocinium pollicetur D. Commissario Ordinis.

D. Dux Radziwilius Legatus ad Pontificem in negotio Juris Patrnatus, mittitur.

Sed nec post decessum D. Olszovij defecerunt sequentibus annis controversiæ motæ contra Jus liberæ Electionis Monachorum ; Nam post fata Michaelis Regis, dum liberis votis & Suffragiis Reipub: Polonæ electus esset Joannes III. in Regem Poloniæ, quamvis Idem Rex suis literis ad R. D. Comissarium Ordinis Cisterciens: directis, fateatur libertatem eligendi competere Cisterciensibus Poloniæ, & pro illa manutenenda suum polliceatur Patrocinium, *ut in Summ. Num.* 23. Tamen ad instantiam Prælatorum Sæcularium, iterum post fata D. Olszowij negotium Juris patronatus resuscitatum, commissumq; est D. Duci Radzivilio protunc ad Summum Pontificem Legato, qui Romæ strenuè dictum negotium cum promovisset, in formatus fuit â Romana Curia de transactionibus in antecessum in eodem negotio agitatis, quomodo Jus patronatus (dequo res est) hactenus verificatum non est, nec probatum, licet id injunctum per Decreta Romana fuerit ; hinc negotiationis ejus, talia solum relicta vestigia, qualia in Epistola D. Olszovij extant, in qua id inter cætera legitur : *Abjudicatus est Rex Jure Patronatus, eâ potissimum de causa, quod non habuerit Privilegium â Pontifice in limine fundationis, quoduè Rex Poloniæ commendaverit, non nominaverit eligendos Abbates, ut in Summ. Num.* 21.

Petitur ex parte Aulæ Privilegium Pontificium pro Commendandis 10. Abbatijs Cisterciens.

Ast nec his quidem stantibus destitit mota controversia, nam adhuc ex parte Aulæ aliâ viâ tentatum est, petitumq; Romæ, ut 10. Abbatiæ Cisterciens: Poloniæ mediante Privilegio Apostolico (quod obtineri sperabatur ex respectu obtentæ sub Vienna de Turcis Victoriæ, cooperante & ad juvante una cum Exercitu Polono Serenissimo Joanne III. Rege Poloniæ) ad voluntatem Regis Poloniæ perpetuo commendandæ concederentur ;

tur; Et ad hunc effectum porrectum ex parte Aulæ Memoriale, jam verò ex parte Prælatorum Sæcularium supplex libellus oblatus: quibus relatis in Sacra Congregatione *die 4. Octobris Anno 1680. nulla fuit capta resolutio ob difficultatem Materiæ*; & *rescriptum: non agi degratia, sed de mera Justitia, ideoq; Monasteriorum Jura, & asserti Regij Juris patronatus Fundamenta examinari debere.* Et simili reiterata instantia *sub die 19. Septembris 1684. rescriptum fuit: - - dilata, & Communicentur Scripturæ Monachis Cisterciens:* Cum autem Justitia nullo modo prædicto memoriali assisteret, Juraq; Monasteriorum Poloniæ, pro exclusione commendarum, & pro conservatione Libertatis Electionis remonstrata fuissent validissima, Patronatûs vero Regij penitus deducta insubsistentia, ut fusè protunc Josephus de Capucinis advocatus Romanus probavit, quod legi potest in Scriptura Romæ impressa Anno 1687; Ideò ex parte Aulæ super contentis in dicto Memoriali ulterius non est facta prosecutio, sed potius variis prætextibus curatum est, ne amplius causa præfata in Sacra Congregatione proponeretur, licet Regulares Poloniæ, maximè Cistercienses instantes pro denegatione petiti Privilegij assiduè supplicarent proponi.

Rescripta Sacræ Congregationis.

Postmodum omissa ex parte prætendentium Commendas prosecutione super petitione præfati Privilegij Apostolici, iterum alio modo suæ prætensioni satisfacere Aulici attentarunt; nam proposita cum Memoriali fuit ab eisdem nomine Regis concordia Monachis Cisterciensibus Poloniæ sub his essentalibus terminis, videlicet: *ut 5. Abbatiæ permitterentur Commendari à Rege, 5. item Professandis ad Regiam præsentationem relinquerentur*, & tandem *residuæ 5. pro Regularibus Abbatibus Eligendis destinarentur.* Sed hujus concordiæ proposita Puncta cum suo Memoriali impugnata Anno 1684. per Capitulum Provinciale Ordinis, facto recursu ad protectionem Summi

Ab Aulicis Concordia tentatur cum Cisterciensibus, Juribus Eorum præjudiciosa.

Impugnatur à Cisterciensibus prætensa Concordia Aulicorum.

mi Pontificis pro Conservatione libertatis Electionum & pro Commendarum exclusione, *ut in Summ. Num. 24.* Quod Adversarij ægrè ferentes, extorquere dictam concordiam satagebant per varias perturbationes & violentias, in statu Vacantis alicujus Abbatiæ attentatas. Et sic in proximo cum Provisus fuisset ad vacantem Abbatiam Coprivnicensem D. Krzesimowski Regularis Professus Ordinis Cisterciens: procurarunt adversarij Regimina militum ad occupanda Bona præfatæ Abbatiæ, ut id distinctè narratum & justificatum fuit in Memoriali pro parte D. Krzesimowski porrecto Sacræ Congregationi *sub die 10. Septemb.* & patet ex Epistola Emin. Protectoris Regni ad Regem Poloniæ scripta, de qua infra fusius.

Concordia ob metum à Regularibus Poloniæ suscepta, reprobatur à Capitulo Generali Ordinis Cisterciens:

Igitur rebus sic per vim & potentiam stantibus, Anno D. 1686. in Capitulo Landæ Celebrato, RR. Abbates Poloniæ Ordinis Cisterciensis, impulsi metu eorum quæ violenter agebantur in Abbatia Pocrivnicensi, & minabantur in aliis, consentire debuerunt prænarrato medio concordiæ. De qua conventione Poloniæ Monasteriorum acceptâ notitiâ Generale Capitulum Ordinis, pro tunc Cistercij in Gallia celebratum, approbare eam recusavit, imò injunxit R Procuratori Generali in Curia Romana existenti, quatenus adversus præfatam vi extortam concordiã Jure ageret, & â Sanctissimo manutentionem Juris liberæ Electionis Abbatum Regularium Poloniæ procuraret, *ut in Summ: Num. 25.*

Reservatum in Concordia beneplacitũ Apostolicum denegatur pro parte Commendarum.

Quia vero in prædicta concordia *reservarunt sibi Cistercienses Poloniæ beneplacitum Apostolicum*, ideo ex parte prætendentium Commendas ad validitatem propositæ Concordiæ porrectum fuit iterum Memoriale Sanctissimo, pro obtinendo prædicto beneplacito, qui præfatum memoriale remisit ad Sacram Congregationem; Verum etiam ex adverso contra dictum memoriale porrectæ sunt â Procuratore Generali Cisterciens. ex mandato

Ca-

Capituli Generalis (de quo ſupra) rationes eidem Sacræ Congregationi, pro denegatione præfati beneplaciti Pontificij ; qua de cauſa neq; dicta violenta concordia ſortita eſt effectum ullum.

Tandem Anno 1692. adhuc ultimato tentatum eſt negotium ex parte Aulæ contra Jus liberæ Electionis Abbatum Ciſtercienſium Poloniæ,miſſuſq; eſt P. Vota Soc. J. Theologus Romam, ſed nec hic quidquam contra evidentia Jura Regularium evicit, præter hoc, quod impetraverit apud Innocentium XII. Breve Apoſtolicum expeditum ad Emin: Radzieiowski Cardinalem,pro tunc Regni Poloniæ Primatem, in quo Summus Pontifex exquirit modum â Primate finiendæ tam ſæpè motæ Controverſiæ Abbatiarum Poloniæ ; Dictum Breve refert *Zaluſcius Tom. 1. parte 2. Fol: 1262.* & inde tranſumptum *vide in Summ. Num. 26.* Quia vero nullus modus ſine præjudicio Juſtitiæ,& læſione manifeſti Juris Monachorum inveniri poterat,etiam pro tunc nihil concluſum.

Innocētiꝰ XII. per Breve Apoſtolicū exquirit modum terminādæ finaliter controverſiæ Abbatiarū Poloniæ.

Demum poſt fata Joannis III. Seren. Auguſtus II. Rex Poloniæ ad præſens feliciter regnans, cum ei porrectum fuiſſet tempore Coronationis inter alia pactorum Puncta,etiam hoc ad inſtantiam Commendas prætendium : ut videlicet manuteneret Jus Patronatus, ac Controverſiã de eo ſopiret; eam obligationẽ ſuſcepit,*ut in Summario Num.* 27. Quam obligationem ſubſecuta eſt Conſtitutio Comitialis Regni A. 1699. talis: Reaſſumendo ex inſtantia & Conſenſu Ordinum Omnia Jura, de Jure Patronatûs in Statutis & in volumine Legum expreſſa,illa inſiſtendo pactis Conventis ſtatim poſt Comitia indilatè ad effectivam executionem deducemus. *Salvis Abbatiis Pruthenicis.*

Ser: Auguſtus II. Rex Poloniæ per pacta Conventa promittit ſe Jus Patronatus promoturum.

Anno 1699. Statutum Regni reaſſumens antiqua,per quod Abbatiæ Pruthenicæ excluduntur à Jure Patronatus.

Et quia paulo poſt occupata erat Reſpublica bello externo cum Sveco, toto belli tempore, quiètè, ac pacificè, Jure ſuo Regulares Poloniæ uſi ſunt in Electionibus Abbatum Regularium ; quo tandem ceſſante, ac ſubſecu-

ta

tā trānquillitate in Polonia, iterum noviſſimè prodiit in arenam Controverſia impugnans liberas Electiones Regularium Poloniæ; ſtatutumq; eſt Anno 1726. in Comitiis Grodnenſibus, ut D. Tarlo Palatinus Lublinen. expediretur ad Sanctiſ.tum in aliis negotiis,tum ratione *Juris Patronatus*,& reaſſumpta ſunt ibidem antiqua ſtatuta, reſtringentia quidem libertatem Electionum Abbatum Regularium, reſpectivè ad Eligendos in Abbates, Polonos, Nobiles, idoneos &c. non tamen prorſus tollentia eandem. Et tandem declaratio facta his formalibus; præterea declaramus, quod neminem ad munia Spiritualia *quæ quidem ad noſtram præſentationem pertinent*, ſine nominatione noſtra & præſentatione ſimus admiſſuri &c.

Anno 1726. ſtatutum Grodnenſe declarans, neminem abſq; pravia præſentatione Regia ad munia ſpiritualia Juris Patronatus admittendum.

Verùm *in hoc ſuppoſito* cardo omnis difficultatis,hic labor,hoc opus eſt, & occaſio tam arduæ toties in Romana Curia agitatæ Controverſiæ; *an ſcilicet Abbatiæ Regularium Poloniæ, pertineant de Jure,ad Regiam præſentationem* ? utiq; retroactis Annis (ut ex ſupradictis conſtat) ſat ſeriò quæſitum hoc Jus, & verificari injunctum per Decreta Apoſtolica? nec tamen hactenus verificationis præfatæ extat veſtigium; imò nec percipio quomodo verificari poterit,ſtantibus in oppoſitum pro parte Electionum liberarum,validiſſimis rationibus infra allegandis; & : (quod ſatis firmum fundamentum præbet) obſtante Privilegio Apoſtolico dato Regularibus Poloniæ, maximè Ciſtercienſibus, in limine fundationis ſuper Jure liberè eligendi proprios ſuos Regulares Abbates,cum annexa in eodem Privilegio inhibitione Pontificia contra quaſvis Perſonas impedientes, aut ſeſe aliquomodo intromittentes, ad læſionem Jurium eorundem; quod ſuo loco inferius demonſtrabitur.

Unicus Status quæſtionis in tota Abbatiarum controverſia ſeriò perpendendus.

Et hæc de Origine, progreſſu, & præſenti ſtatu motæ Controverſiæ contra Electiones liberas Regularium Abbatum Poloniæ, benevolo lectori pro plena & vera in-

informatione sufficiant. Illa vero relatio quam Anonymus Fol. 48. impressit, an consonet veritati? prudentum relinquo arbitrio. Quia vero loco citato, pro motivo & causa (quam Anonymus Authoramentum dedisse asserit Regibus apponendi manum ad restringenda Jura Regularium) allegatur, ac si remissior fervor observantiæ Regularis, tantorum contra Regulares motuum in culpa sit, ad hanc calumniam eluendam restat, ut causa & Author præfatæ Controversiæ motæ in Polonia, jam in lucem prodeat.

ARTICULUS. II.

Inquiritur Author motæ Controversiæ contra Regularium Poloniæ Electiones liberas.

JAm quidem ex supra dictis constare potest sagaci Lectori, quæ fuerit causa? quis Author? tam arduæ controversiæ & tempestatis contra Regulares Poloniæ. Verùm hunc demonstrat clarius, imprimis vetus illud Basiliense Concilium sub Martino V. Pontifice A. 1433. celebratum, dum sic sessione 20. *de Electione Prælatorum*, inquit: *ad tollendam omnem ambitionis radicem*, obsecrat per viscera misericordiæ JESU Christi hæc sancta Synodus, ac instantissimè *exhortatur Reges & Principes*, Communitates, & alios cujuscunq; gradus & dignitatis existant, Ecclesiasticæ vel Mundanæ, *ne Electoribus literas scribant, aut preces porrigant pro eo, qui per se vel alium, tales preces, seu literas procurabit, multoq; minus comminationes, impressiones, aut aliud faciant, quominus liberè ad Electionem procedatur. Similiter in virtute S. obedientiæ ipsis Electoribus præcipitur, ne ad hujusmodi literas, seu preces, comminationes, vel impressiones, ut præmittitur, quenquam eligere præsumant &c.*

Concilium Basilien: domonstrat Authorē controversiarum in materia electionum.

Sed quia præfati Concilij Universalis Decretum, mo-

tæ contra Electiones Controversiæ, quamvis tangat, non tamen particulariter Authorem ejus in Polonia indigitat; Ideo inquirendum hic specialius, quis fuerit sub Casimiro III. Rege Poloniæ Author & motor tantorum motuum contra Electiones? Ad quod Annalium Poloniæ celebris scriptor Cromerus in hæc Verba respondet: *Stempronio (inquit) mortuo, tres de Episcopa, magno, & Reipublicæ incommodo, & Authoritatis Ecclesiasticæ, atq; Pontificiæ detrimento, & pernicioso ambitionis exemplo aliquamdiu contenderunt* &c. Et tandem sic infra concludit: *quorum trium ambitio & Pontificiam authoritatem in Polonia debilitavit, & Electioni liberæ vim intulit* &c. Hunc Authorem & Juris Regularium in electionibus violatorem fuisse Synodales Constitutiones Regni Poloniæ comprobant, contra quem in Lib: Constitutionum Anni 1556. tale Decretum lego: *Ad Abbatias & Præposituras Regulares, ad quas execrabilis quorundam sæcularium Clericorum ambitio irrumpere, timore Dei abjecto, non veretur &c. lege in Summario Num. 9.* Et paulo anterius Anni 1551. tale: *Ad Abbatias, sæculares Personæ, Regulam nunquam Professæ, de facto intruduntur, revera non Monasteriorum, neq; devotionis causâ, sed duntaxat, ut cupiditati & ambitioni illorum satisfiat. Quare decrevit Sacra Synodus &c. lege in Summ. Num. 6.* Et posterius, Seren: Joannis III. literæ, conformes Synodalibus declarationibus, eundem Authorem recognoscunt præfatæ controversiæ, his formalibus: Libertatem Electionum spectare ad Vestra Monasteria (*scribit ad D. Commissarium Cisterciens:*) licet nemo nostrum dubitet, *tamen Sæcularium potens dignitatis ambitus ad vestras Abbatias,* aliquando solet convellere & lædere dictam libertatem eligendi. Nos &c. *ut in Summ. Num. 23.*

Lib. 24. Fol. 749. scribens de Episcopatu Cracovien:

Lib. 25. Fol. 758.

Constitutiones Synodales indicant Authorē controversiarū in materia Abbatiarum Poloniæ.

Item Epist. Joannis III. Regis Poloniæ repræsentat eundem Authorem.

Quâ de causa merito mellifluus Doctor ambitionem, omnium perturbationum fontem appellat, dum sic inquit: *propter ambitionem paratos eos* (intellige ambientes) *videas,*

D. Bernardus Tom. 4. de Conver: ad Cler. Cap. 22.

videas, universa pericula subire, suscitare scandala, sustinere odia, dissimulare opprobria, negligere maledicta &c. Et quod *ambitionem*, semper comitetur *avaritia*, sic S. Doctor exclamat: *O infinita semper Ambitio, & insatiabilis Avaritia, cum primos honorum gradus meruerint in Ecclesia, meruerint autem, vel vitæ merito, - - sive etiam carnis & sangvinis, (quæ Regnum Dei non possidebunt) prærogativâ, non ideò corda quiescunt, duplici semper æstuantia desiderio, quo utiq; magis ac magis, & dilatentur in plura,* (intellige beneficia) *& ad excelsiora sublimentur.*

Idem Tom 4. Tract. de moribus & Officio Prælatorum.

Confirmat dicta jam supra allegatus Cromerus celebris Annalium Poloniæ scriptor, dum sic Lib. 1. de Republica & Magistratibus Polonorum in Corpore Historiæ Polonicæ Fol, 108. scribit: *Nunc passim in alienas donationes invaditur, longe majore Avaritiæ rapacitatisq; infamia, quam egestatis relevatione; atq; id tentatur proh nefas! placito & Authoritate Comitiorum Publicâ, quâ refrenari potius talis privatorum hominum temeritas & injustitia deberet, ut fuit refrenata antiquioribus Constitutionibus, & Magistratuum severitate, laudabiliter, justè, ac utiliter. O tempora! o mores!* hactenus verba Cromeri, ex quibus patet, quis sit motor & Author, restringens per Regni Statuta liberas electiones Regularium Poloniæ?

Ambitionis & Avaritiæ partes tueri, etiam *Invidiam* ex præfato mellifluo Doctore colligitur, qui sic inquit: *Nulla virtus est, quæ non habeat contrarium invidiæ malum, sola miseria caret invidiâ. Quare?* Et sic sibimet respondet: *quia nemo invidet misero. ita S. Doctor.*

S. Bernar: de modo benè & pacificè vivēdi.

En Authores! en fontes! en motores contentionum! controversiarum, scommatum, & calumniarum contra Regulares Poloniæ, quarum plena sunt Anonymi Nova, *Nemo quippè* (Seneca attestante) *dignitatem quærendo, fingere contentus est levia, cum magnitudine mendacij fidem quærat.* Sed ab his motuum tantorum in Polonia authoribus, jam ad verissimas de statu præfatæ controversiæ relationes aliorum, properandum est.

Lib. 7. de beneficiis.

ARTICULUS III.

Referuntur Magnorum Capitum Sensus de præsenti Controversia, contra Regulares Poloniæ mota.

Zaluscius ad finem Tom. I. agens de Principatu Archiep. Gnesn.

DUm sollicitè investigarem, quis sit Magnatorum & Primorum Capitum de præfata controversia sensus; casu fortuito in Operibus Zaluscij reperij privilegium omnium antiquissimum, Uladislai Ducis Poloniæ de A. 1234. vigore cujus, dictus Princeps in Personam Fulconis Archiepiscopi Gnesnen. *Juri præsumpto, quod in Collationibus Præbendarum Gnesnen. Ecclesiæ credebat sibi competere* (sunt verba excerpta ex ipso privilegio) *prorsus renuntiat, easq; eidem Archiepiscopo & Ejus successoribus liberè cui voluerint in posterum conferendas, permittit &c. Idq; ipsum Juramento confirmat, & casu quo dictam renuntiationem violaverit, promittit se non improperaturum, quod si gladio excommunicationis ab Archiepiscopo feriretur. Vide in Summ. Num. 28.* Ex quo Privilegio advertendum, quod non raro contingat in malo supposito prætendi Jura, cum gravi præjudicio aliorum, quamvis revera non competant. Allegato supradicto antiquo Privilegio renuntiationis pro exemplo, jam recentiora referenda juxta successivam annorum seriem.

Uladislaus Dux Poloniæ usurpato indebitè Juri Patronatus quod sibi credebat competere renuntiat.

Quid de hac controversia, contra electiones liberas Regularium Poloniæ mota, senserit Magnus Senatûs Poloniæ Cato, & simul Regni Cancellarius Zaluscius? declarat sermo illius dictus, Anno 1685. Varsauiæ in Comitiis Generalibus Regni, qui extat typo impressus in 4to, idiomate Polonico, sub hoc tit: *Sermones in Consiliis & Comitiis habiti.* Fol. 39. ubi id inter cætera legitur: *Sufficientia ad probandum Jus Patronatûs non habemus documenta, & vix per tentatam quampiam concordiam cum Religiosis id effici potuit, quod saltem umbram & speciem Juris suæ*

Anno 1685. informat Senatũ Regni Cancellarius de insufficiẽtia probation: Juris Patronatûs Regij.

suæ Majestati (Regem Poloniæ Joannē III. alloquitur) *reli-rint, &c. Vide in Summ. Num. 29.*

De eadem controversia quis sit sensus Vaticani? patet ex ipsiusmet Regni Poloniæ Protectoris Cardinalis Barberini Epistola, quæ in Zaluscij operibus *ad An. 1686. Tom: 1. parte: 2. Fol. 978.* legi potest; Ubi inter cætera ex occasione immissorū militum ad Bona Conventus Coprivnicensis Ordinis Cistercien. (de quo supra mentionem feci) ad impediendam possessionem Provisi Apostolici D. Antonij Krzesimowski, hæc Regni Protector ad Joannem III. Regem Poloniæ scribit: *Suggere Majestati Vestræ audeo, maximè expediens esse, ut ratio quæpiam ineatur, quâ hæc* (scilicet litigia) *componantur, & modo quopiam contentionum occasiones amputentur; Hic enim* (*intellige Romæ*) *in mentem venit, id vi & violentia sustineri velle, quod* Justitiâ *obtineri nequit; Uti Sanctitas sua asseruit, minutim discussum atq; agnitum fuisse, cum hic D. Dux Radzivil commoraretur &c.* Et paulò infra sic scribit: *Dignetur igitur Majestas Vestra pro Summa sua prudentia animum reflectere, & considerare, quô pactô illata Monasterio Coprivnicensi damna reparari valeant, cavendo nimirum authoritate sua Suprema, ne loca pia, hoc est ipsa oculorum Beatitudinis suæ pupilla, jacturam per milites eorumq; Ductores patiantur &c. plura videnda apud Zalusc:; loco citato.*

Anno 1686. Sensus Protectoris Regni in literis ad Regem expressus.

Ipse Summus Pontifex Caput visibile Ecclesiæ Innocentius Papa XII. de hac controversia expressit sensum suum in Brevi ad Emin. Cardinalem Radzieiowski dato, quod refert *Zalusc: Tom: 1. par. 2. Fol. 1262. ad Annum* 1692. vide illud si placet, *in Summ. Num.* 26. Ubi inter cætera hæc scribit Summus Pontifex: *In Causa de Juribus Patronatus, quam sedulo promovere contendit Vir Rel. Pater Vota è Soc. J. gravissima sese opponunt impedimenta, quo minus votis Regiis annuamus &c.*

Anno 1692. Breve Apostolicum in eadē materia aperiens Sensum Pontificis.

De præfatæ Controversiæ motibus, dum scrupulum incul-

An. 1694. Epist. Regis Poloniæ, ex qua patet Nuncij Apostolici & ipsius Sanctæ Sedis sensus.

inculcasset D. Stanislaus Witwicki Episc: Posnan; in literis ad Regem directis; Rex ad eas rescribens (responsum extat apud *Zalusc Tom. 1. part. 2. Fol. 1363. ad. Annum 1694.*) inter cætera hæc scribit: præcipitanter non procedimus, sed impellimur & provocamur; Id verò non capimus, quod te frequentius recurrente ad Breve Apost: Nuncius Apostolicus recenter scripserit, *jam futurum fuisset melius* (intellige pro parte Aulæ) *nisi obices Sanctissimo conscientia posuisset &c.*

Anno 1695. Collegiū Episcoporum Poloniæ in punctis ad consultationem collectis, sensum suum de præfata controversia manifestat.

Præterea *apud eundem Zalusc: Tom: 1. par. 2. Fol. ultimo ad annum 1695.* relucet totius Collegij Episcoporum Poloniæ Sensus de præfata Controversia, nam loco citato inter puncta pro Conservatione Jurium, immunitatum, & prærogativarum Statûs Ecclesiastici, ex Sensu Illustr. & RR. Episcoporum collecta, totiq; eorum Collegio ad trutinandum consultandumq; secretè porrecta sub actu Comitiorum Generalium Regni, illud etiam punctum ad consultandum Num: 16. propositum legitur: *Jus Patronatus plenis buccis detonant Sæculares, illud ignorantes,* (en ignorantia in errore fundata!) *expedit igitur, ut â Sacro Collegio Regia Majestas informetur, quod nimirum pro libera Electione Monachorum sunt Regni Statuta, & quadrinæ constitutiones, tot privilegia Summorum Pontificum, atq; Constitutiones Synodales approbatæ; Proindè uniformitas sentiendi in Sacro Episcoporum Collegio requiritur.*

A.D. 1703. Zaluscius refert, quomodo Curiæ Romanæ displiceat negotium Commendarum Poloniæ.

Sed recentius est quod Idem *Zaluscius Tom. 3. pag. 595. ad* An. 1703. refert in sua Epistola ad amicum confidentem scribens; ubi inter alia nuntiat, quomodo negotium commendarum Romanæ Curiæ displiceat, his formalibus: D. Szaniawski ad Abbatiam Coprivnicen: nominatus â Rege, qui etiam expressum misit ad Urbem Cursorem, instando ad SS. Pontificem pro concessione ejus Abbatiæ in commendam suo nominato; *sed nec hæ preces, nec sollicitatio Comitis Laniaschi Ablegati Regij Romæ, nec Authoritas Cardinalis Pignatelli idem urgentis &c. potuerunt*

per-

perfringere obfirmatum Pontificis animum, qui pro piaculo ſibi duxit, illam Abbatiam antea Commendari non ſolitam, concedere in Commendam.

Ad extremum comprobat ſupradicta Celiſ: Principis & Primatis Regni recentiſſima Epiſtola, Anno præſenti ad D. Ducem Exercitûs ex occaſione ſequeſtrationis Bonorum Abbatiæ Pocrivnicenſis per milites factæ, directa, in qua Magnus & Primus Senator Poloniæ his verbis inter alia ſenſum ſuum aperit: Executiò conſtitutionis quam D. V. allegare pro ſua parte poſſet, potuit admittere moras, & deliberationem &c. melius ſemper lentis itur paſſibus &c. raro fæſtivæ feſtinationes, ſemper D. V. fuit Religioſiſſima in obſervandis Juribus Eccleſiæ, ex cujus benedictione deſcendunt proſperitates Regnorum, Familiarum, & earum generationum, quod conſiderationi propono. Quis ſenſus doloris ex attentato fuerit, ipſam Authoritatem Supremam in Eccleſia Dei lædente Pontificis, facilè conijciendum, *diſputare autem, vel velle negare Authoritati ejus, quod ſemper penes eam fuit, & hoc tueri, quod nullo documento comprobare poſſumus*) adverte ſenſum Magni Senatoris implicitè loqui de Jure Patronatûs) *id eſſet aggredi & mutilare Juſtitiam, excutere & peſſumdare obedientiam, in hoc pio & Catholico Regno habitam &c.*

A D. 1718. in Epiſtola, Celſiſ. Princeps & Primas Regni aperit ſenſum ſuum de præfata Controverſia.

Ex his vero omnibus Magnatum Senſibus liquet, quod controverſia mota contra liberas Electiones Regularium Poloniæ, pro injuſta vexa reputanda ſit, utpotè Jus manifeſtum Regularium graviter lædens, & intendens Juſtitiam & Veritatem mutilare, ne dicam jugulare. Porro præfati Juris Regularium vis & robur ut eluſcat, fundamenta ejus, in quibus ſubſiſtit, jam examinare neceſſitas ipſa poſtulat.

AR-

ARTICULUS IV.

Fundamenta ex Jure Communi pro parte electionum liberarum Regularium.

UT cunctis firmiter constet, quám validis innitatur fulcris libertas electionis Abbatum Regularium, Primo ostendendum præsenti Articulo, quod electiones liberæ infundentur Sacris Canonibus, seu *Juri Communi Ecclesiastico*, ex eò sic dicto: quod ad illius normam & dispositionem omnes Status, (ubi vera Religio dominatur,) regulari debeant, illudq; semper in quavis circumstantia respicere primario obligentur, tanquam legem publicam pro omnibus latam, & ab omnibus inviolabiliter observandam.

Pro liberis electionibus Regularium, in Sacris Canonibus militant duæ validissimæ Regulæ, juxta quarum unam Vulgatam: *Regularia Beneficia Regularibus conferenda sunt, non Sæcularibus.* Cap: *cum Singula. de Præbend. in 6. & Cap. Cum de Benef. Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. Glos. 8. Num. 8. Garz. de Benef. part. 7, Cap. 10. Num. 2. & seqq. cum ibi allegatis & vulgatis.* Adeò ut nec sufficiat, quod providendus de aliqua Abbatia, sit Monachus, nisi sit expresse ejusdem Ordinis Professus, minusq; quod eodem tempore, quo in Abbatem eligitur, suscipiat habitum & Professionem emittat. *Put. Decis: 254. alias. 261. lib. 2. Gonzal. ubi supra Num. 79. & seqq. Garz. dicto Cap: 10. Num. 4.* Et juxta alteram: *In Ecclesia Regularium, seu Monasteriis, electio proprij Abbatis non aliundè, sed de gremio Monasterij à Monachis*

Ima Regula Juris Canonici pro parte Electionum liberarum in Ecclesiis Regularium.

II. Regula.

chis est facienda, ad eosq; liberè pertinet. *Textus est in Cap, 1. ubi scribent. præcipuè Barbos. Num. 5. de elect. & Cap. Cum dilectus, de consvet. Can. hoc tantum. cum quatuor seqq. 18. quæst. 2. Tamb. de Jure Abbat. Tom. 1. Disput. 5. part: 1. a. n. 1. Rota coram Caputaquen. decis 296. n. 2. part. 1. recent. quam refert P. Murga in suo Commen: ad Constit. Apostol, decis 19. post tractat. & in illius additione §. 6. recenset pro conclusione integram columnam Doctorum in numero circiter 50.* Ad has Regulas conformiter Celestinus III. in Capitulo: *Cum causam. lib. 1. Decret. tit. 6. de Elect.* irritare præcipit electionem factam de non professo, sic rescribens : *Quia præfatus Præsbyter bonus non est professus Observantiam regularem, dubitatis, & meritò, nobis procedere non consultis &c. Consultationi vestræ taliter respondemus ; Quod cum secundum Legem Divinam non sit in bove arandum & asino, nec quisquam debet induere vestem de lana linoq; contextam, irritetis electionem prædictam, & compellatis præfatum Præsbyterum, aliosq; Clericos non professos, ut Regulam profiteantur, & servent, aut ipsam Ecclesiam dimittant.*

Idem Celestinus *lib. Citato in Cap. cum ad nostram.* irritat electiones Prælatorum non Monachorum, decernitq; quod prius fieri debeat Monachus, quàm Abbas eligi, nec Monachandus debet ulla spe vel promissione Abbatiæ allici, ut ex verbis Pontificis constat, qui sic inquit: *Cum ad nostram notitiam pervenisset, quod qui se pro Abbate Lexovien: gerebat, non fuit ante Monachus, quam electus, nos attendentes quod contra regulares traditiones illud fuerat attentatum ; cum nullam spem vel promissionem habens, ut Abbas fiat, debeat Monachari, electionem de ipso factam curavimus irritare.*

Idem Pontifex in Cap: *Officij tui.* Statuit ; quod in Abbatem eligi nequeat, qui subesse, & aspera Regularis observantiæ portare recusat, quivè vult fieri prius Magi-

ſter,quam diſcipulus; ſic decernenſ: *Cum ex his quæ in continenti ſubſecuta ſunt, oſtendatur, quod talis taliter non poſſit eligi in Abbatem, maximè ex eo, quod antequam eſſet Diſcipulus, voluit eſſe Magiſter, electionem illam irritam eſſe decrevimus & inanem.*

Idem. *lib. 1. Decret, Tit. de Elect. in Capit. quod incipit: Quisquis electioni.* decernit; Electiones Canonicas Regularium debere eſſe omnino liberas, electumq; ob vim vel metum Sæcularis poteſtatis, qui conſenſerit taliter de ſe factæ electioni, declarat eſſe ineligibilem ad ullam dignitatem, electionemq; ipſam irritam; In electores vero pænam ſtatuit ſuſpenſionis tali Decreto: *Quisquis electioni de ſe factæ per Sæcularis poteſtatis abuſum conſentire præſumpſerit contra Canonicam libertatem; & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, nec absq; diſpenſatione ad aliquam valeat eligi dignitatem. Qui verò Electionem hujusmodi (quam ipſo Jure irritam eſſe cenſemus) præſumpſerint celebrare, ab Officiis & Beneficiis penitus ſuſpendantur per triennium eligentiam poteſtate privati.*

Item Lucius Papa, Cap: *nullus: lib. & tit. cit.* contra eos qui per ambitum variis illicitis modis Abbatias obtinere curant, ſic decernit: *Si verò aliter quis Eccleſiam adeptus fuerit, eò quod per cupiditatem illam acquiſiverit, atq; contra Canonicæ Regulæ diſciplinam egerit, expellatur.*

Item Gregorius IX. Cap. *Cum in Magiſtrum loco citato,* præcipit amovendum eſſe Abbatem electum non profeſſum, ſic inquiens: *Mandamus, quatenus cum tales Abbates eſſe non debeant, qui per profeſſionem Monachi & Regulares Canonicè non fuerunt, ad amotionem eorum, quos tales inveneris (ſublato appellationis impedimento) procedas; Cum in Magiſtrum aſſumi non debeat, qui formam Diſcipuli non aſſumpſit, nec ſit præficiendus, qui ſubeſſe non novit.*

Item Clemens V. *lib. 1. Clement tit. 3. de elect. Cap. 1.* vetat, ne alterius Religionis Profeſſus eligatur in Abbatem, his formalibus: *Cum rationi non congruat, ut homines*

diſpa-

disparis Professionis, vel habitûs simul in iisdem monasteriis socientur, prohibemus, ne Religiosus aliquis in Abbatem vel Prælatum alterius Religionis vel Habitûs de cætero eligatur, quod si secus actum extiterit, sit eô ipsô irritum, & inane.

Item Bonifacius VIII. *Lib.* 1. *in* 6. *Decret. de Elect. Cap.* 28. præscribens requisita ad Electionem Abbatis, requirit inter alia ; *quod eligendus sit expressè Professus antequam eligatur, idq; præcipit sub nullitate Electionis.*

His consonat D. Gregorius *ad Ariminensem Episc. Lib.* 4. *Epist.* 43. *sic scribens: Abbas in Monasterio non per Episcopum, aut per aliquem extraneum ordinetur. Et in Cap. quam sit necessarium.* §. *defuncto.* sic inquit : *Defuncto verò Abbate cujuscunq; Congregationis, non extraneus eligatur, nisi de eadem Congregatione, quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit.*

Pro eadem libertate Electionum defendenda, Sacra Generalia Concilia loquuntur. Sic. relatum supra *Artic.* 2. *Fol.* 19. vetus illud Concilium Basiliense, exhortatur Reges & Principes, *ne Electoribus literas scribant, multo minus comminationes faciant, quominus liberè ad Electionem procedatur.* Et prænominatô antiquiùs Lateranense Concilium Anno 1215. celebratum, *Sess:* 9. *Can.* 3. *sic decernit: Volumus, & Sancimus, ut cum Monasteria per obitum Abbatum, qui illis præerant, vacaverint, nullô modô cuiquam possint commendari, sed de Persona idonea juxta præscriptam Constitutionem eis ita provideatur, ut illis idonei Abbates prout decet præfuturi sint.* Et recentius Sacrosanctum Trident. Concil *Sess.* 14. *Cap.* 10 *de Reform.* Statuit ; Quod Regularia Beneficia conferantur nonnisi Regularibus actu, aut qui esse debeant, tali Decreto : *Regularia Beneficia in Titulum Regularibus Professis provideri consveta, cum per obitum, aut resignationem, vel alias illa in titulum obtinentis, vacare contigerit, Religiosis tantum illius Ordinis, vel iis qui habitum omnino suscipere & Professionem emittere teneantur, & non aliis,* [*ne vestem lino lanaq; contextam induant,*] *conferantur.* Item *Ses.* 25. *Cap.* 21. *de Regular.* sic decernit: *Cum pleraq; Monasteria &c. confidit Sancta Synodus SS. Romanum Pontificem pro sua pietate & prudentia curaturum, ut Monasteriis, quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ suos Conventus habent, Regulares Personæ ejusdem Ordinis expressé professæ, & quæ gregi præire &*

præesse possint, præficiantur. Quæ verò in posterum vacabunt, nonnisi Regularibus spectatæ virtutis & Sanctitatis conferantur. Idem Tridentinum Abbatias ad Beneficia liberæ collationis spectare, adeoq; quod eisdem per liberas electiones Monachorum provideri debeat, indicat expressè, *Sess. 25. Cap. 6. de Regular.* sic præcipiens: *In Electione Superiorum quorumcunque, Abbatum &c. quò omnia rectè & sine ulla fraude fiant ; imprimis S. Synodus districtè præcipit, omnes supradictos eligi debere per Vota secreta, ita ut Singulorum Eligentium nomina nunquam publicentur. &c.* Et infra: *Si verò contra hujus Decreti constitutionem aliquis Electus fuerit, Electio irrita sit &c. Facultatesque super his concessæ eò ipso abrogatæ censeantur &, si in posterum aliæ concedantur, tanquam subreptitiæ habeantur.*

Ex his vero fundamentis patet, quod libera Electio Abbatum Regularium spectet *ad solos Monachos*, juxta dispositionem Juris Communis, prout Sacri Canones Ecclesiæ præseferunt, competat item iisdem juxta Decreta SS. Conciliorum ; Hinc præfatam libertatem velle infringere, est velle lædere Jus Ecclesiasticum, imò in re, est velle facere, ut Jus Commune, non sit Commune ; â quo, jam ad fundamenta Juris particularis descendendum.

ARTICULUS V.
Fundamenta ex Jure Particulari pro Parte Regularium Poloniæ.

AD ostendendum, quod libertas electionis propriorum Abbatum, ad Monachos Poloniæ spectat etiam ex Jure Particulari, plurima hic referenda essent pro parte Monasteriorum, sed ne prolixitas tædiosa sit Lectori benevolo, aliqua nonnisi, brevitati studendo succinctè pro ponentur, ex quibus cætera quivis sibi inferre poterit.

I. Fun-

I. Fundamentum sit ex Constitutionib9 Synodalibus Regni Poloniæ, quæ liberas Abbatũ Regulariũ electiones uno ore confirmant & approbant. Prima scilicet sub Petro Gamrato Archipisc. Gnesnensi de A. 1542. celebrata, quam retuli *in Summ. Num. 4. lit. A.* Ubi tit. *de Abbatum Electione. Synodus testatur consvetudinem liberæ electionis ab antiquo Regularibus Poloniæ competere, eamq́ conservare mandat.* Secunda de Anno 1544. primæ conformis, relata *in Summ. eodem numero lit.* b. Tertia de A. 1551. relata *in Summ. Num. 6.* Quarta de Anno 1556. relata *in Summ. Num. 9.* Quinta de Anno 1577. relata *in Summ. Num. 10.* Quæ omnes constitutiones respectu Regni Poloniæ vim Legis Particularis obtinent, adeoq; quod sint observandæ dubitari nequit, maximè cum â Gregorio XIII. approbatæ existant, injunctâ illarum inviolabili observantiâ. *ut in Summ. Num. 11.*

II. Fundamentum & quidem magis specialiter stabiliens Jus liberæ Electionis Monachorum, *desumitur ex ipsa ordinatione SS: Institutorum diversorum Ordinum.* Nam (ut cæteros Ordines præteram) S. Benedictus pro suis Monachis in Regulæ Cap. 64. Statuens de ordinando Abbate sic præcipit: *In Abbatis Ordinatione illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur, quem sibi omnis concors Congregatio secundum timorem Dei &c. elegerit.* Item S. Stephanus III. Abbas Cistercij pro Cisterciensibus in suis Constitutionibus, quas nominavit: *Charta charitatis.* tit: *de Electio: & Ordinat. Abba. facien.* Cap. 4. sic ordinat. *Si qua domus Ordinis Nostri Abbate perpetuo fuerit destituta, major Abbas de cujus Domo illa exivit, omnem curam habeat Ordinationis illius, donec Abbas alius eligatur in ea ; Et præfixa die electionis etiam ex Abbatibus, si quos Domus illa genuerit, advocentur, & Consilio & voluntate P. Abbatis ; Abbates & Monachi Domus illius Abbatem eligant &c.* Vide si placet dictas constitutiones relatas in Bul. Rom.

Tom.

Tom. 1. post Constit. 2. Eugenij III. Quas constitutiones dictorum Ordinum Summi Pontifices confirmarunt.

III. Fundamentum, & quidem solidissimum, *desumitur ex ipsis Fundationibus Monasteriorum.* Nam Universaliter omnes Fundatores quotquot fundarunt antiquitùs Monasteria, instrumenta Publica fundationum vel dotationum suarum ordinariè in Ecclesia super Altari sub tempus Offertorij DEO, (de cujus plenitudine omnes accipimus) ad usum Religiosorum *cum pleno Jure & Proprietate* offerebant, hâc vel simili suas pias intentiones exprimentes formulâ : *Offero, & reddo DEO hoc, quod in hac Charta est scriptum, in remissionem peccatorum meorum, Parentum, & Filiorum meorum, ut hoc sustentati Religiosi, Domino DEO serviant, Sacrificia Missæ celebrent, Orationes absolvant &c.* Et tandem sic concludere soliti erant: *Siquis verò hoc, quod à me eis datum est, sibi usurpare, aut alteri applicare voluerit, sub pæna Sacrilegij ex hoc Domino DEO, cui ea Offero atq; dedito, districtissimas reddet rationes.* Ea solebat esse forma in fundationibus teste Baronio. Et legitur Lib. 6. Cap. 285. Capitul. *Caroli & Ludovici.* Porro has Oblationes seu Offertas super altari â fidelibus positas, accipere non erubescunt, qui Electiones liberas tollere Regularibus intendunt ; ut per se patet. Hinc jure meritò Simachus Lege 17. Q. 4. Cap. *Sicut.* inquit: *Valdè iniquum, & ingens Sacrilegium est, ut quæcunq;, vel pro remedio peccatorum, vel requie animarum suarum, unusquisq; Venerabili Ecclesiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his, â quibus hæc vel maxime servari convenit, idest Christianis, & Deum timentibus hominibus, & super omnia â Principibus, & Primis Regionum in aliud transferri, & converti.*

Quod ne evenisset cuidam Monasterio â Vilchelmo Duce Aquitaniæ fundato, sic in diplomate fundationis suæ in violatores Juris Monastici specialiter cavit, (referente *Horstio S. Theo: Licen. Colon. Prælato, in Annot. in Opera S.*

Ber-

Bernardi ad Epist. 141. pag. 25.) Neq; aliquis Principum Sæcularium, non Comes quisquam, nec Episcopus, non Pontifex supradictæ Sedis Romanæ, per DEUM, & in DEUM, Omnesq; Sanctos ejus contestor, deprecor, ne invadet res ipsorum DEI servorum, non distrahat, non minuat, non procamiet, non benefaciat alicui Personæ, non aliquem Prælatum super eos contra eorum voluntatem constituat &c. (Nota liberam Electionem ex mente fundatoris spectare ad Monachos) *Siquis vero. &c. Primum quidem iram Omnipotentis DEI incurrat, auferatq; DEUS partem illius de terra viventium, & deleat nomen ejus de libro vitæ, fiatq; pars illius cum his, qui dixetunt Domino DEO recede â nobis, & cum Dathan & Abiron, quos terra aperto ore deglutivit, & vivos infernus absorbuit, perennem incurrat damnationem, socius quoq; Judæ Domini proditoris effectus, æternis cruciatibus retrusus teneatur ; Et ne ei in præsenti sæculo humanis oculis impunè transire videatur ; in corpore quidem proprio futuræ damnationis tormenta experiatur &c. Plura* vide si placet loco cit. apud præfatum Horstium. En, ! quantæ maledictiones Fundatorum, contra violatores Juris Monastici, & oppressores liberæ Electionis Abbatum Regularium ?; lapide durior est, qui ad hæc non exhorreat.

Similes formulas in fundationibus Monasteriorum Poloniæ oblatas esse Monachis â Fundatoribus suis prisco illo Religioni summè addicto ævo non est dubium, eadem enim ubiq; erat pia mens Fundatorum, idem finis fundationum, ut scilicet soli Monachi, juxta cujusvis respectivè instituti præscriptum, Divinis laudibus vacantes, una cum suo Abbate Regulari â se liberè electo Benefactorum suorum provisione sustentarentur ; ac propterea Urbanus II. Pontifex in Confirmatione fundationis certi Monasterij Poloniæ inter alia præcepit : *Ut omnia integrè conserventur, pro quorum sustentatione & gubernatione donata sunt.*

Sed ut veritas prædictorum etiam ex ipsis Fundationibus

onibus Monaſteriorum Poloniæ reluceat, excerpere hic aliqua de illis, partem ex Claſſicis Authoribus, partim eſſentialiora ex ipſis inſtrumentis referre per oportunum judicavi. *De Andreovienſis Monaſterij fundatione, Miechovita Annaliũ ſcriptor hæc habet Lib. 3. Cap. 18.* MONASTERIUM ANDREOVIENSE *Cracovi. Diæc. Ord. Ciſter.* JOANNES alias JANICK Uratislavien. Epiſc. Primum fundavit. Ex poſt vero Gneſnen. Archiepiſ: cum Clemente de Domo Gryphonum ſuo Germano in prædio ſuo Brzeznica Anno D. 1140. eidem Monaſterio Oppidum Andrzeiow cum Prædio ſuo, & 7. Villis &c. pro dote aſſignarunt, *nec quidquam Juris ſibi in eisdem reſervarunt*, excepto tributo ſibi & eorum ſucceſſoribus ex Oppido Andreovienſi præſtando, corda videlicet occiſorum pecorum, & de ſingulis halecum vaſis in præfato Oppido vendendis, aliquot haleca, *quod Andreovien. Abbates ex poſt ab eorum Nepotibus redemerunt &c.* Adverte, nihil ſibi Juris reſervaſſe Fundatorem, adeoq; neq; Jus nominandi Abbates, ut potè præjudicioſum libertati electionis Monachorum. Jam vero in Inſtrumento Fundationis *Monaſterij Landenſis Ord: pariter Ciſtercien:* Mieſco Dux Poloniæ inter alia hæc ſcribit: Nos &c. collocavimus Monachos Ord: Ciſtercien: in loco, qui vocatur LANDA ſuper fluvium Warta, *ob remedium animæ noſtræ & Poſterorum Noſtrorum*, conferentes eis has hæreditates cum omnibus utilitatibus &c. *In noſtra eos defenſione ſuſcipientes, ac ſucceſſoribus noſtris per omne tempus defendendos committentes, ſolo Divinæ remunerationis intuitu &c.* Nota piam mentem fundatoris, quod pro fundatione ſuâ, & appromiſſâ ejus defenſione, nihil, aliud ſibi, ſuiſq; ſucceſſoribus reſervaverit, præter Divinam remunerationem, ac remedium animæ ſuæ, Poſterorumq; ſuorum. Hunc ſecutus Vladislaus Odonis filius, Dux Poloniæ,

loniæ, qui etiam *Jus Patronatus, quod ad Se ſpectabat, cum Eccleſiis S. Andreæ & S. Petri Abbati Landen: pleno Jure reſignavit;* decimaſq; harum Eccleſiarum â Fulcone Archiep. Gneſnen: pro eodem Monaſterio impetravit, ut refert *Damalevius, in ſerie Archiepp. Gneſn: fol.* 137. Adverte Dotatores Jus Patronatûs in Monaſteria trasnferre ſolitos, pariter ac fecêre ipſimet Fundatores. Item in Inſtrumento fundationis Monaſterij WAGROVECENSIS *Ord: Ciſterc:* Zbilud Comes â Pangrodz Fundator, Privilegium ſuum ſub tempus Conſecrationis Templi in Offertorio Miſſæ Anno 1153. obtuliſſe legitur, id inter alia in ſe continens : *Qui deprædare, & uſurpare Jus ſuper Poſſeſſiones Monaſterij attentaverit, Superni Judicis ſine miſericordia ſententiam incidat, infernus eum vivum, niſi reſipuerit abſorbeat &c.* Item Ogerius Comes, dum dotaſſet præfatum Monaſterium, in Privilegio dotationis hanc apponit impræcationem uſurpatoribus Juris Monachorũ: ut *ira DEI ſit ſuper ipſos in æternum &c.* Quod ipſum Honorius III. Anno 1218. in ſua Confirmatione præfatæ fundationis comminatur violatoribus Juris Monaſtici, Monaſterium verò ipſum cum ſuis Juribus ſuſcipit ſub tutelam Romanorum Pontificum &c. De fundatione *Monaſterij Suleovienſis Ord. Ciſtercien: Miechovita Lib. 3. Cap. 27. ſic inquit:* Anno 1176. quarto Idus Auguſti *Cænobium in* SULEJOU Ord. Ciſtercien. Fundavit CASIMIRUS, Dux Sandomirien: ſuper flumen Pilcza, in Prædio Ruslai Comitis, *qui Chriſtum reliquit Hæredem, quia liberis caruit &c.* In Inſtrumento fundationis *Monaſt.* CLARÆ TUMBÆ *Ord. Ciſtercien.* Ivo Epiſc. Cracov. præter alia, *etiam Jus ſuum Patronatus trium Præbendarum in Eccleſia Prandocinen: una cum Bonis ibidem ſpecificatis, in præfatum Monaſterium à ſe fundatum tranſtulit Jure hæreditario in perpetuum.* Quia vero poſt fata Fundatoris ſucceſſores *machinabantur impedire & perturbare Patrui*

sui fundationem suadente (sunt verba ipsissima Nepotum) *diabolo, ex post gratia Spiritus S. superveniente, veritatis & Justitiæ Dei æmulatores, recolentes se se, ob remedium animarum suarum & Parentum suorum, promiserunt, & Jure Jurando firmarunt, quod ab omni inquietatione prædicti Monasterij cessabunt deinceps, imò etiam dexterâ Excelsi mutati, ad suorum cumulum meritorum, ut veri & Catholici Hæredes antecedanei contra omnem hominem impedientem, fidele Patrocinium præstare tenebuntur dicto Cœnobio, quod nomine suo & suorũ successorum spondent, eò nonnisi intuitu, ut sint participes Orationum Monachorum ; reputantes suam injuriam agi, si quis molestaverit prædictum Claustrum in his, quæ à suo Patruo ei data & donata sunt, & in aliis quæ Deo procurante bonorum Virorum ex eleemosina ei accesserint possidenda &c.* eaq; omnia diplomate â se dato confirmarunt sigillis plurimorum Ducum & Procerum, ac subscriptionibus Instrumentum prædictũ renutiationis communientibus & ratificantibus &c. Ex quo adverte, quod in fundatione Monasteriorum Fundatores *omni Jure* translato in Monachos, solam Protectionem sibi resevarunt, eosq; si nunc viverent, ab omnibus molestiis & perturbatione præsenti defendere parati essent.

In Instrumento fundationis *Monasterii* PELPLINEN. *Ord. Cisterc.* Samborius Pomeraniæ Dux inter cætera id scribit: Conferimus autem ipsa Bona &c. *cum cunctis Juribus, nihil Nobis, seu Nostris Officialibus & successoribus reservantes &c.* Quod postea Mestovius Dux Pomeraniæ Confirmans, omnem libertatem præfato Monasterio contulit, nullumq; prorsus in omnibus Monasterij bonis Jus alicui & sibi reliquit, id ipsum Anno 1295. Præmislaus Poloniæ Princeps Confirmavit. Item Alexander Rex Poloniæ Diplomate suo de data Gedani 1504. omnia Privilegia suorum antecessorum ratificavit, cujus Copiam vide *in Summ. Num.* 30. In approbatione Fundationis *Monasterij* BLEDZOVIEN. *Ord. Cister.* BOLESLAUS Dux Polo-

Poloniæ ſic ſcribit: Cum proch dolor humanæ ſit conditionis omnia ſiniſtrè intelligere, & pejus interpretari, & cum unusquiſq; rem proximi licet contra Præceptum Domini concupiſcat, neceſſe eſt, ut res digna memoriæ ſcripto Confirmetur, quô caneſcens antiquitas crebrius valeat renovari. Noverint igitur &c. quod Comes Euſtachius & Comes Voyzeſzko Frater ejus, de bona voluntate, ac pari conſenſu omnium Hæredum, hæreditatem &c. Eccleſiæ & Conventui in Doberluch Ciſtercien. Ord. *pro animarum ſuarum, & Parentum, nec non Hæredum ſuorum remediis, in Eleemosynam, cum omni libertate, & pleno Jure, tam proprietatis quam Poſſeſſionis tranquillà pace poſſidendam contulerunt* in hunc modum, ut in prædicta hæreditate Clauſtrum Ordinis eorum conſtruatur, ubi Deo Omnipotenti die noctuq; Divina obſequia ſecundum ſtatuta & Conſvetudinem Ordinis eorum perſolvantur &c. Ut autem hæc donatio firma & inconvulſa permaneat, præſentem paginam ſigilli noſtri munimine in teſtimonium & firmamentum dignum duximus roborandam &c. Datt. in Poſenon 1260. Ex quo Inſtrumento nonne ſatis clarè patet, Jus Patronatûs excludi? quis enim ſuper Eleemoſynam datam illud prætenderet? alias et ſuper Xenodochia ſequeretur debere prætendi, quod nemo dixerit. In Fundatione *Monaſterij Obrenſis Ord. Ciſtercien.* quod Sandivoius Cantor Eccleſiæ Genſnen. fundavit A. 1238. id præter alia legitur: Noverit proindè, quæ nunc eſt, & poſt nos futura generatio, quod cum ego Sandivoius fundarem Clauſtrum *OBRAM* &c. omnes poſſeſſiones meas &c. *contuli ſine aliqua reclamatione poſſidendas. Et ut hæc donatio à nullo poſtmodum perturbetur* hanc chartulam noſtris Sigillis duximus confirmandam &c. Præfatam fundationem Dux Poloniæ Uladislaus confirmans, ſic in ſuo Diplomate dicit inter alia: *quod ſi quis auſu temerario fretus,*

 hæc

hæc immutare, vel infringere præsumpserit &c. digna reus animadversione plectetur puniendus. &c.

Privilegia Apostolica in limine fundationis pro libera electione Abbatum concessa Monasteriis Poloniæ.

Demum dum Confirmaretur fundatio *Conventus Landen:* Ord. Cistercien. per Honorium III. Præfatus Pontifex *possessiones dicti Monasterij habitas & habendas, prohibet per quempiam avelli, sed eas omnes firmas & integras Regularibus, pro eo tempore existentibus eorumq; successoribus, illibatas debere permanere mandat.* In super : *Inhibet Authoritate Apostolica, ne ullus Episcopus, vel alia qualibet Persona &c. Regularẽ Abbatis Electionem impediat, aut de instituendo vel removendo eo, qui pro tempore fuerit, contra statua Cisterciensis Ord. se aliquatenus intromittat.* Et in fine sic concludit : *Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones aùferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura &c. si qua igitur in futurũ Ecclesiastica, Sæcularisve Persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundo, tertiòve commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisq; sui careat dignitate, reamq; se Divino Judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore & sanguine DEI & Domini Redemptoris nostri JESU Christi aliena fiat, atq; in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua Jura servantibus, sit Pax Domini Nostri JESU Christi, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen.* Datt. Leter. secundo Idus Februarij, Indictione VIII. Anno Dominicæ Incarnationis, MCCXXI. Pontificatûs verò D. Honorij Papæ III. Anno quinto ; Quod Privilegium manu ejusdem Pontificis subscriptum cum 11. Cardinalibus.

Ejusdem tenoris Confirmationem suæ fundationis obtinuit *Monasterium Coronoviense* Ord. Cistercien. ab In-

Innocentio IV. Anno 1244. ſubſcriptam, unâ cum Summo Pontifice, â 15. Cardinalibus. Item *Monaſterium Paradiſienſe* Ord Ciſtercien. Anno 1247. Pontificatus D. Innocentij Papæ IV. Anno quinto, cum ſubſcriptione plurimorum Cardinalium. Item dum *Monaſterium Tynecen. Ord. S. Benedicti* confirmaretur cum ſua fundatione, in Bulla confirmationis Gregorius IX. ſic inter cætera inhibet: *Obeunte te* (ſcilicet Abbate Tynecen.) *vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi quâlibet ſubreptionis aſtutiâ, ſeu violentia præponatur, niſi quem Fratres unanimi conſenſu, vel fratrum jor pars Conſilii ſanioris, ſecundum Deum & B. Benedicti regulam providerint eligendum &c. prædictam Bullam refert Szczygielski in aquila Polono Benedictina Fol.* 112. Similia Privilegia reliquis quoq; Monaſteriis Poloniæ in limine fundationis data â variis pro tempore exiſtentibus Pontificibus. Ex inde verò notandum, fruſtra adverſarios Juri Regularium quærere Privilegium Apoſtolicum pro Jure Patronatûs, cum illud dari in rerum natura nequeat, ſtantibus pro parte Electionum liberarum, Regularium Poloniæ Abbatum, præfatis unicuiq; Monaſterio conceſſis Privilegiis, quibus Summi Pontifices inhibent libertatem electionum impedire, ſub interminatione Divini Judicij, aliarumq; ſupra expreſſarùm pænarum. Quod notet ſpecialiter, & exhorreat Juris Regularium Poloniæ violator.

Hæc ideò excerpta ſunt, ut cunctis evidentur pateat, in quo fundamento Regulares Poloniæ, præcipuè Ciſtercien. Ord. ſe ſe defendunt, contra convulſores Jurium ſuorum, & vel maximè contra violatores libertatis electionis ſuorum Abbatum Regularium, quæ tam ex fundatorum mente, quam ex Confirmatione ſuarum fundationum, Monachis Ciſtercien. Poloniæ, pleniſſimo Jure competit, ac tantis execrationibus tam Fundatorum, quam ipſius Pontificis, ſtatim in limine fundationis eſt munita. Sed præterea.

IV.

IV. Fundamentum stabiliens Jus liberæ electionis Monachorum, *desumitur ex amplissimis & antiquissimis aliis Privilegiis per Summos Pontifices variis Ordinibus Regularium concessis, & specialiter in favorem Ordinis Cistercen:* quorum hanc mihi porrectam refero seriem, cum annexis recentioribus Decretis S.Congregationis, pro Juribus Regularium Poloniæ, ejusdem Ordinis.

Eugenius III. de Anno 1152. in Bulla â se cum 16. Cardinalibus subscripta, quæ incipit: *Sacrosancta Romana Eccle: &c.* sic inter cætera pro Ordine Cistercien. scribit: *Personam autem de alio Ordine, nulla Ecclesiarum Vestrarum sibi eligat in Pastorem, sicut nec Vestri Ordinis aliquam Monasteriis aliis statuistis ordinari posse Abbatem &c.* Vide si placet præfatam Bullam in Menol: Cister: Fol. 53. quam deinceps alij Potifices approbarunt, videlicet Anastasius IV. Adrianus IV. Alex. III. Joann. XXIII. sed præcipuè Sixtus IV. de Anno 1475. præcipiens: *ne dicti Ordinis Monasteria ullo modo commendentur sed quod ad illa Professus tantummodo præfatum Ordinem à Monachis liberè in Abbatem eligatur. Ut in Summ. Num. 31.* Et ex post Innocentius VIII. de A. 1489. id strictius mandavit, *revocando Commendas tunc existentes, & addendo, quod hujusmodi suæ Constitutioni nullo modo derogari, nec Commendæ concedi possint in futurum, ne quidem de plenitudine potestatis Sedis Apostolicæ &c. quodq; Religiosi dicti Ordinis literis in contrarium* (casu quo emanarent) *non obstantibus possint ad Electiones, jam verò P. P. Commissarii, ad Confirmationes, Electorum liberè a Monachis Abbatum Regularium, procedere, juxta Ordinis Regularia instituta, laudabiles consvetudines, & Privilegia Apostolica, sibi ab Antecessoribus concessa, Ut in Summ. Num. 32.* Item Julius III. qui *prospiciendo libertati electionis Regularium Abbatum Poloniæ*, speciale Breve pro Monasteriis ejusdem Regni Anno 1552. edidit, quô inhibet circa illam â quopiam molestari, ut relatum *in Summ. Num.* 7. Item Gregorius IX. in Bulla emanata in favorem Ordinis Cistercien. *prohibet, ne ullus Episcopus, aut alia quæ-*

vis Persona, cujuscunq; dignitatis, & praeminentiæ existat, Regularem Electionem Abbatum ipsius Ordinis impedire, aut in ea sese quomodolibet ingerere præsumat &c. Quam postea Anno 1586, confirmavit Sixtus V. in Bulla quæ incipit: *Pontifex Romanus.* Et extat in novo Bul. Rom. Tom, 2. pag. 406. eamq; executioni demandandam esse per Sententiam definitivam A. C. pronuntiatũ fuit, A. 1663. pro parte Cistercien. Regni Poloniæ, contra Offici: Gedan: *ut in Summ. Num. 33. Item* Clemens IX. in Brevi de voto S. Congregationis Episcoporum emanato, A. 1668. demandat pariter liberas Abbatum Electiones servandas in Personis Monachorum. ut relatum *in Summ. Num. 16.* Super cujus executione subsecuta est A. 1672. *sententia definitiva A. C.* pro parte electionis liberæ Monasterii Andreovien: Ord. Cister. *excludens præsentationem, nominationẽ, & Jus Patronatus Regium. ut in Summ. Num. 34.*

Sententiæ definitivæ A. C. pro parte liberarum electionum Cistercien: Abbatum Poloniæ, quibus excluditur præsentatio, nominatio, & Jus Patronatus Regium.

V. Fundamentum fulciens libertatem electionum Regularium Abbatũ Poloniæ, *desumitur ex ipsorummet Regum Polonorum Diplomatibus, ac Comitiorum Generalium totius ejusdem Regni Constitutionibus*; Quibus, prædicta Privilegia Cistercien: â Sede Apostolica collata confirmando, fatentur & præcipiunt Reges Poloniæ, eandem libertatem pro parte Monachorum Cistercien: in Regno Poloniæ, in electione suorum Abbatum, esse servandam; proindeq; *prohibent ad eorum Monasteria Commendatarios nominari, seu præsentari, decernendo nullas, inanes, & subreptitias literas nominationes, & præsentationes, casu quo intuitu similium Commendarum ex Regia Cancellaria emanarent.* ut videre est in Constitutione Regis Sigismundi Augusti de A. 1554. *relata in Summ. Num. 8. litt.* A. Quod ipsũ per aliam constitutionem Miechoviensibus concessum, *ut in Summ Num. eodem litt. B.* Et in altera, Joannis Casimiri Regis, de Anno 1667. *relata in Summ. Num: 15.*

Item tertiâ,Regis Michaelis,prædictas confirmante,de A. 1669. relata *in Summ. Num.* 17. Et in Epistolis Seren. Regum Poloniæ, *imâ* Stephani Regis, de A. 1585. relata *in Summ.Num.13.2dâ* Joannis III. Regis,de A. 1674. relata *in Summ. Num.* 23. quorum uterq; recognoscit libertatem electionis competere Cistercien. Poloniæ. Regibus, & Regni Proceres confirmiter sentientes, præfatæ libertati Cister. de Jure debitæ,ore & calamo multoties patrocinati sunt, ut constat ex Sermone Zaluscij in Senatu habito, quem retuli *in Summ. Num.* 29. Item ex sensu totius Collegij Episcoporum Poloniæ, ut retuli supra Articulo III. ad A. 1695. Fol. 24. & ex aliis ibidem allegatis.

Jam vero Constitutiones & statuta Comitiorum Regni Generalium, *imum* de Ann. 1538. *ut in Summ. Num.3. 2dum* de An. 1550. *ut in Summ. Num.5. 3tiũ* de An: 1588. *ut in Summ. Num. 14. lit. A. 4tũ de An. 1607. ut in Summ. Num. eodem lit B.* Præfata inquam omnia statuta Regni, expressè enuntiant, Jus liberè elegendi proprios suos Abbates, spectare ad Monachos, quamvis videantur prædictam libertatem restringere ad Personas eligendas, certô modô qualificatas ; quæ restrictio, an vim legis Regulares Poloniæ obligantis habeat,? interim præscindo, licet sciam eam fuisse toties abrogatam per Synodos Provinciales ejusdem Regni, *ut in Summ. Num. 4. 6. 9. 10.* Insuper cum sit contraria Constitutioni Regis Sigismundi Augusti, in Comitiis Cracovien. de An. 1563. latæ in favorem omnium in genere Ecclesiasticorum Poloniæ, cujus Authenticum in Basilica Gnesnen. asservatum id præter alia continet : *Nullus Status in alrum libertatibus & immunitatibus gaudentem, in tam libero Regno potest de Jure quidquam novi, præsertim contra libertatem & immunitatem alterius constituere, & laudare, noxiasq; Leges & Statuta condere, per quod alter Status gravari, &*

Leges & Statuta, nequit in Polonia unus Status, contra alterius libertatem condere.

& in suis libertatibus opprimi posset &c. Et vel maximè cum præfatæ restrictioni obsit Constitutio Apostolica dicta: *Bulla cœnæ Dominì*, quæ §. 15. sæcularia Statuta, Ecclesiis præjudiciosa, condemnat, & in Conditores talium Statutorum, pænam excommunicationis & Anathematis fulminat, in hæc verba: *Excommunicamus & Anathematisamus omnes & singulos, qui &c. nec non qui Statuta, ordinationes, Constitutiones pragmaticas, seu alia quævis decreta, in genere vel specie, ex quavis causa, & quovis quæsito colore, vel cujusvis consvetudinis, aut Privilegii, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis & ordinatis, usi fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur, seu nostris, & dictæ sedis, ac quarumcunq; Ecclesiarum Juribus, directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè, præjudicatur &c.* A qua excommunicatione, nemo potest absolvere, nisi ipse Summus Pontifex, idq; præstita satisfactione, ut refert *Zaluscius præcipuè Tom. 1. par. 2. & Tom. 2. ubi fusè hac de re tractat.* Simili Excommunicatione ipsô factô innodantur, sequestrantes Bona Ecclesiastica, sub tali censuræ forma, in eadem *Bulla Cœnæ Domini* expressa: *Excommunicamus & Anathematizamus, omnes & Singulos, qui fructus, reditus, & proventus, ad quascunq; Ecclesiasticas Personas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes, usurpant, seu quâvis occasione, vel causa, sequestrant, quiquè Ecclesiarum & Ecclesiasticorum Bonis, illorumq; fructibus, reditibus, & proventibus onera aliqua imponunt, & exquisitis modis exigunt, aut recipiunt &c.* Prædictã Excomunicationem allegat, *idem Zaluscius Tom. 2. Fol. 208.*

Ex his præsuppositis fundamentis, jam sequatur, necesse est, resolutio quæstionis.

ARTICULUS VI.

Proposita in Novis Polonicis quæstio resolvitur ex supra datis fundamentis.

Siquidem Anonymus in ipsa fronte suorum *Novorum*

fol: 1. ad finem, hanc quæstionem proposuit: *Utrum Monachi Poloniæ Jus habeant ex arbitratu suo eligendi Abbates &c.?* ejus hic danda resolutio. Ad quam breviter respondetur: *Affirmativè*. Nec multis insudandum est pro probatione, abundè sufficiet hoc unicum Enthymema: Electio libera Regularium Abbatum, Monachis Poloniæ omni Jure competit, Ergo &c. Consequentia liquet. Igitur solum antecedens in quo vis tota, probandum. Sed & id facilè ex dictis expeditur, eâ unicâ positâ propositione: Electio libera Regularium Abbatum, competit Monachis Poloniæ, tam de Jure Communi, quam de Jure Particulari, Ergo &c. Antecedens ex supra datis patet, jam enim Articulo 4. claré demonstratum est, *primo* eam competere Monachis juxta dispositionem Juris Communis, nec non juxta Decreta SS. Conciliorum Generalium. Item *secundo* demonstratum est Articulo 5. id ipsum particularius: *imo* ex constitutionibus Synodalibus Regni Poloniæ â Summis Pontificibus approbatis, ac â Rege & toto Regno susceptis. *2do* ex ordinatione SS. Institutorum diversorum Ordinum. *3tio* fundamentalissimè ex ipsis instrumentis fundationum Monasteriorum Poloniæ, earumq; in limine confirmatione, tum â Summis Pontificibus, tum â Regibus Poloniæ. *4to* ex amplissimis & antiquissimis Privilegiis Apostolicis, emanatis, tam in favorem omnium ordinum, quam specialiter in favorem Ord. Cistercien: in Polonia; Item ex conformibus præfatis Privilegiis, A.C. Romanæ definitivis sententiis. *5to* Et quidem specialissimè ex ipsorummet Serenis: Regum Poloniæ plurimis diplomatibus, nec non ex Generalium Comitiorum Regni Statutis & Constitutionibus; Ex quibus omnibus sequitur & reculet evidenter, Jus indubitatum Monachorum Poloniæ in Ordine ad eligendos liberè suos Prælatos.

Probatur præterea id ipsum â pari: Moniales Poloniæ habent Jus ex arbitratu suo eligendi suas Abbatissas,

ſas, Ergo idem dicendum de Monachis; Nihil enim ſolidi pro diſparitate adduci poteſt. Deindè in omnibus Religionibus (quorum in Polonia Inſtituta extant) liberè ordinantur â Regularibus omnes ſui Superiores, e. g, Generales, Provinciales, Priores, Rectores, Gvardiani, & his ſimiles, cur verò ſoli Abbates ab ordinatione Monachorum excluduntur? Cur Monachi in eligendis ſuis Prælatis Regularibus, tam infelices, ut eis electio libera denegetur? Addo: Omnibus aliquam notitiam ſacrorum Canonum habentibus, notum ex Cap: *Cum terra. 14. de elect:* quod Monachi ſinguli polleant *voce tam Activa, quàm Paſsivâ* maximè in ſuorum Superiorum electionibus, hinc, niſi in pænam gravis delicti privari poſſunt â legitimis ſuperioribus voce vel activa, vel paſſiva, vel utraq; *ut inquit Emin. de Luca Diſc. 55. Num. 6. de Regular.* Quomodo igitur abſq; manifeſta læſione Juſtitiæ, Regularibus Poloniæ vox activa & paſſiva in electione ſuorum Abbatum tolli poterit?

Sed fortè dicet quis in Oppoſitum: Regularium Poloniæ Juri quo ad uſum vocis Activæ & paſſivæ, reſpectivè ad electionem Abbatum ſuorum contrariatur *Jus Patronatus*; cujus ea natura eſt & eſſentia, ut Patronus gaudens hoc Jure, poſſit pro arbitratu ſuo quem voluerit Abbatem nominare, independenter ab electione Monachorum. Ad quod: *Reſpondeo 1mo indirectè*: dato non conceſſo, quod ad Abbatias Regularium dictum Jus cuipiam aliquo caſu competeret, adhuc protunc Patronus ille in ordinatione Abbatis, ne deflectat â legibus prudentiæ, *Jus ſuum* menſurare deberet (præter alia) fine, ad quem ordinat, eumq; ſolum in Abbatem legitimè nominare poſſet, qui gnarus ſit diſciplinæ Regularis, ac idoneus gubernare Communitatem Religioſam, quiq; verbo & exemplo præeſſe poſſit & prodeſſe; Adeòq; hâc de cauſâ â Patrono juxta Leges prudentiales & Juſtitiam diſtributivam Jus Patronatus regulante, ſolum re-

gularis Persona, in sacra observantia dudum exercitata, in Abbatem Regularium præsentanda esset; nam alias quomodo boni Magistri Officium explere valeret, qui discipuli vices non gessit? aut quomodo posset exemplo præesse, qui subesse non novit &c:? *Respondeo 2do:* Transito interim toto discursu opponentis, probet oppositus assertum â se suppositum, videlicet: *quod præfatum Jus Patronatus competat legitimè cuipiam super Abbatias Poloniæ;* id enim non concedunt allegata supra fundamenta. Et si placet regelat *in Summ: Num 19.* Sententiam Rotalem exclusivam præfati Juris Patronatus. Item literas Archiepiscopales id ipsum notificantes *in Summ. Num. 21.* Item aliam sententiam A. C. expressius prædicta confirmantem, *in Summario Num. 34.* Item revideat Articulum *3tium* totum, & præcipuè sub Anno. 1695. punctum ad consultationem in Collegio Episcoporum Poloniæ porrectum. Insuper relegat Diplomata Regum, & Statuta Comitiorum Poloniæ, annotata *in Articuli 5ti fundamento 5.* His vero benè trutinatis patebit, quod suppositum ab opponente *Jus Patronatus* nequeat subsistere, imò quod nec probari efficaciter illis stantibus possit, maximè cum jam ejus Promotores in probatione toties deficientes, attentaverint illud *viâ gratiæ* obtinere, ne se fatigassent in probando, sed: *resolvente Sac. Congr. Die 4. Octob; 1680. conclusum, non agi de gratia, sed de mera Justitia in præsenti.* Deinde ostendat opponens, vel unicum *ex Fundatoribus immediatis* reservasse sibi assertum Jus Patronatus, aut illud prætendisse, vel in ejus usu fuisse; certè nihil horum ostendi potest, in circumstantia plurimorum adductorum in oppositum, quæ contrariantur validissimè Juribus Patronatûs.

Plura quæ præsentis Articuli resolutioni opponi possent, & solent, commodius solventur Articulo 8. in refutatione 50. Singularium. Jam pro Confirmatione præfatæ resolutionis sit:

AR-

ARTICULUS VII.

Series Abbatum Regularium, Canonicè â Monachis Poloniæ electorum.

PRæsenti Articulo ut confirmetur ſupra data reſolutio quæſtionis ab Anonymo propoſitæ, reſtat hic oſtendere, quod Monachi Poloniæ, ſint in *Jure Poſſeſſorio* liberè eligendi ſuos Regulares Abbates. Hoc verò Jus probat imprimis longus Cathalogus Abbatum Regularium, â prima fundatione ad hæc uſq; tempora, quem unusquiſq; Conventus paratus reproducere. Item probat ſcriptura Romæ impreſſa 1687. & Sacræ Congregationi Conſiſtoriali porrecta per Joſephum de Capucinis, advocatum Romanum, ex parte Ciſtercienſium Poloniæ, ubi ſic lego Summarij Numero ſecundo. Anno 1580. quando Edmundus â Cruce Abbas Caſtilionis miſſus â Rev: D. Roverat Ciſtercij Abbate, Ordinis Generali cum expreſſo mandato SS. D. N. Gregorij Papæ XIII. viſitaret Poloniam, fuerunt Regulares omnes Abbates Ciſtercienſes in Polonia, etiam illorum Monaſteriorum, quæ nunc ſunt Commendata, videlicet: *Martinus Bialobrzeski Abbas Claræ Tumbæ. Andreas Karvicki Abbas Vachocenſis, uterq; Regularis.* Item Anno 1685. ſub tempus agitatæ controverſiæ in Romana Curia, habuerunt pariter omnia Poloniæ Monaſteria Ciſtercienſium, Regulares ſuos Abbates, præterquam Vachocenſe, Claræ Tumbæ, & Paradiſienſe, quæ eſto pro tunc commendata fuerant, nihilominus annexum in bullis præferebant Decretum; *ut poſt ceſſum vel deceſſum Commendatariorum, præfata Monaſteria amplius non Commendarentur, ſed in priſtinam tituli naturam reverterentur, ac illis de Perſona Regulari idonea provideatur, ac ſi nunquam commendata fuiſſent,* quod videri poteſt in Dataria Romana, & in ſcriptura præfata Anno 1687. impreſſa Romæ, ex cuius Summarij Numero 21. patebit hic dictorum veritas.

Præsens vero Status Monasteriorum & Præpositurarum Regularium Poloniæ, ut id ipsum confirmet, pono hic juxta Alphabetum seriem Abbatum & Præpositorum Regularium Poloniæ, quorum notitiam habere potui.

SERIES

Abbatum & Præpositorum Regularium Poloniæ.

A. *Andreoviensi* Monast. Ord. Cistercien. fundato A. 1140. per Janicum Epis. Uratisl., præest ad præsens D. *August. Wessel*, qui ex Abbate Regulari factus Epis. Livon. assumpsit Coadjutorem Regularem, *D. Bernard. Laszewski.*

B *Bledzeviensi* Monast. Ord. Cister: fundato A. 1260. per Eustachium & Woyciechum Comites, præest *D. Bene. Alexan. Gurowski Abbas Regularis, Commissa: & Vic. Gen. Ord. Cister.*

C. *Calissiensi* S. Nicolai Præpositura Cononic: Regul: Lateranen. præest *D. Josephus Uminski Regularis.*

Ciriciensi Monast: Ord. Cister: Fundato A. 1234. per Theodorum Gryphium Palatinum Cracovien. præest *D: Josephus Alexander Gurowski Abbas Regularis.*

Coprivnicensi Monast. Ord. Cister. fundato A. 1185. per Nicolaum Comitem de Bogoria, præest *D. Franciscus Anton. Sapiecha Regularis Abbas.*

Coronoviensi Mon. Ord. Cister. fundato A. 1253. per Nicolaum, Thesaurarium Casimiri Ducis Cujaviæ, præest *D. Samuel Gninski Regularis Abbas.*

Coscielnicensi Præposit. Ord. S. Benedicti propè Calissium, fundatæ à Miecislao Filio Boleslai victoriosi A. 1209. ut testatur Miechovita Lib. 3. Cap. 32. præest *Regularis* ejusdem Ordinis.

Cracoviensi Præposituræ Canonicorum Regularium Lateran. præest *Regularis.*

Cracoviensi Præposituræ Canonicorum Regularium de Saxea præest *Regularis.*

Czer-

Czervinense Monast. Canonicorum Regularium Lateranen. obtinet *in Commendam D. Hosius Epis. Camenecen.*

Goslinensi Præpositur Ord. S. Benedicti præest *Regularis.* G.

Hebdoviensi Monast. Ord. Præmonst: præest *Regularis* Abbas. H.

Hoynatensi Præposit. Ord, Benedict. præest *Regularis.*

Jezoviensi Præposit. Ord. S. Bened. præest *Regularis.* J.

Kissoviensi Præposit. Ord. S. Bened. præest *Regularis* K.

Klodaviensi Præposit. Canonicorum Regularium Lateran præest *Regularis.*

Koniomlotensi Præp. Ord. S. Bened. in Diæcesi Cracovien. præest *Regularis.*

Landensi Monast. Ord. Cistercien. fundato A. 1145. per Miecislaum Ducem Majoris Poloniæ & Pomeraniæ, præest *D. Nicolaus Antonius Lukomski Abbas Regularis*, cui per Electionem Canonicam adscitus in Coadjutorem *D. Josephus Lukomski Professus Landensis.* L.

Lentoviensi Præp. Ord. S. Bened. præest *Regularis*

Lubinensi Mon. Ord. S. Bened. fundato A. 1109. per Michaelem Comitem, præest *D. Rozdrazewski Abbas Commendatarius*

Miechoviensi Præp. Canonicorum Regularium Custodum Sepulchri, fundatæ A. 1162. per Jaxam Gryphium, ad præsens præest idem qui supra. M.

Mogilense alias *Claræ Tumbæ* Monast: Ord. Cistercien. fundatum A. 1220. per Juonem Epis. Cracovien. obtinet *in Commendam D. Lipski Procancellarius Regni, cum Decreto revertendi in Titulum.*

Mogilnicensi, Monast. Ord. S. Bened. fundato A. 1076. per Boleslaum Audacem Regem Poloniæ, præest *D. Rostkowski Abbas Regularis.*

Obrensi Mon. Ord. Cister. fundato A. 1231. per Sandivojum Cantorem Ecclesiæ Gnesnen. præest *D. Guilhelmus Bystram Abbas Regularis.* O.

Olivensi Mon. Ord. Cister. fundato A. 1170. per Samborium

rium Præfectum Pomeraniæ, præest. D. *Franciscus Zalewski Abbas Regularis.*

P. *Paradisiensi* Mon. Ord. Cisterc. fundato A. 1234. per Bronissium Comitem, præest D. *Josepus Gorczynski Abbas Regularis.*

Pelplinensi Mon. Ord. Cister. fundato A. 1258. per Samborium Præfectum, Pomeraniæ, præest D. *Thomas Francis. Czapski Abbas Regularis*, ad præsens factus Epis. Dianen. & Coadjutor Epis. Culmensis.

Plocensi Mon. Ord. S. Bened. fundato juxta Miechovitam A. 1179. per Vitum Janinium Epis. Plocen., præest infallor *Commendatarius.*

Præmetensi Mon. Ord. Cist. fundato A. 1278. per Beniaminum Comitem Palatinum Posnanien. præest D. *Robertus Bulakowski Abbas Regularis.*

Przybyszoviensi Præpo. Ord. S. Bened. præest *Regularis*

Puchaczoviensi Præpo. Ord. S. Bened. præest *Regularis*

R. *Radomiensi* Præpo. Ord. S. Benedi. præest *Regularis*

Ravensi Præpo: Ord: S: Benedicti præest *Regularis*

S. *Sanctæ Crucis Mon.* Ord. S. Bened: fundato circa A. 1008. per Boleslaum Chrobri, ut refert Cromerus, præest D. *Mirecki Abbas Regularis.*

Sieciechoviensi Mon. Ord. S: Bened. fundato circa A. 1008. testo Cromero per Boleslaum Chrobri Regem Poloniæ, dotato â Sieciecho Palatino Cracovien:, præest D. *Mantefel Abbas Regularis.*

Sieciechoviensi Præpo Ord: S: Bened: præest *Regularis.*

Slupiensi Præpo Ord: S: Bened: præest *Regularis.*

Suleoviensi Mon: Ord: Cisterc: fundato A. 1177. per Ruslaum Comitem, præest D. *Bernardus Wierzbowski Abbas Regularis.*

T. *Tremesnensi* Mon. Canonicorum Regular: Lateranen. fundato A. 1000. ut refert Miechovita per Miecislaum Ducem, præest *Commendatarius* D. *Wysocki*, qui assumpsit *Coadjutorem Regularem* D. *Poninski.*

Trocen

Trocensi Mon. Ord. S. Bened. in Lith: Diæc. Uilnensis fundato Anno 1410. ab Alexandro Vitoldo, præest *D. Zielonacki Abbas Regularis.*

Tuchoviensi Præpo: Ord. S. Bened: in Diæcesi Cracovien. præest *Regularis.*

Tynecensi Mon. Ord. S. Bened. fundato juxta Miechovitam An. 1044. per Casimirum 1mum Regem Poloniæ, præest *Commendarius Celsis. Princeps & Primas Regni D. Theodorus Potocki.*

Wachocense Mon. Ord. Cister. fundatum An. 1179. per Gedeonem Epis. Cracovien. ad præsens vacat. W.

Wagrovocensi Mon. Ord. Cister. fundato An. 1153. per Zbiludum Comitem de Pangrodz, præest *D. Andreas Skalawski Abbas Regularis.*

Warsaviensi Præp. Canonicorum Regular. Lateranen. præest *Regularis.*

Walwolnicensi Præp: Ord. S. Bened. præest *Regularis.*

Witoviensi Mon. Ord. Præmonstraten. fundato (teste Cromero) An. 1194. per Vitum Janinium Epis. Plocensem, præest *Commendatarius R. D. Franciscus Kraszkowski Suffraganeus Gnesnen.* Z.

Zamscensi Præpo: Ord. S. Bened. præest Regularis.

Reliquarũ Abbatiarum & Præpositurarum Poloniæ aliundè habenda & quærenda notitia.

ARTICULUS VIII

Refutantur 50. Singularia Juris Patronatûs.

SOlicitudo cujusdam Singularij violandi Jura Regularium solitudini addictorum, quia opposuit Monachis Poloniæ apud Anonymum in *Novis Polonicis* fol. 63. 50. *Singularia pro parte Juris Patronatûs*, videtur per illa provocare Jus commune, (cui innituntur Regulares) ad certamen singulare. Igitur an singularia præfata prævalere possint aut debeant Juri Communi, sequens refutatio singulariter declarabit.

Singularium quinquaginta Refutatio

I. Jus Patronatùs Erectione, Fundatione, aut dotatione acquiri, solenne Axioma est juris Communis Ecclesiastici. *Can. Piæ mentis. 16. qu. 7. jung. Glos. & Cap. quoniam verb. Fundatores ext. de jure pat. itid. junct. Gloss. Christoph. Wintzler in tract. de jurisdict. Episcoporum German, tit. 89.*

Resp. Ad I. Scio benè Cummune axioma? Patronum faciunt, dos, ædificatio, fundus.

Sed id explicandum est in præsenti. Ideòq; Dico I. *Posito toto hoc, quod singularius dicit, pro antecedente; infero per legitimam à contrario sequelam. Erg. qui neq; est Erector; neq; Fundator, neq; Dotator, non acquirit Jus Patronatus.* Subsumo: *Atqui plurimarum Abbatiarum & Præposituràrum Poloniæ, nemo ex horum Antecessoribus, qui nunc prætendunt Jus præfatum super illas, aut est Erector, aut Fundator, aut Dotator. Ergo &c. minor subsumpta patet, plurimi enim Monasteriorum Poloniæ fuère fundatores, non unus, & plerumq; alij fuère fundantes, alij dotantes, alij reædificantes; imò inter ipsos dotantes non unus extitit, adeòq; necesse erit ex principio singularij admittere, quod vel ad plures spectet Jus Patronatus, vel ad nullum; in concursu enim plurium, nequit ad unum,* totum, & adæquatum Jus Patroni *devolui. Nam, ut notat Layman: Cap. 13.* Si unus collapsam reædficaverit, alius dotaverit &c. Omnes insoli dum acquirunt Jus præsentandi. *T. q. si hic præcise titulus esset sufficiens ad fundandum* Jus Patronatus in Ecclesia Regulari. *Sequitur debere admitti,* quod non solum Abbas & Præpositi, sed etiam Provinciales, Commissarii, Priores, Suppriores, Rectores, Guardiani, *& alij omnes Regulares Officiales, imò &* Novitii ipsi *ad Ordinem suscipiendi, spectent ad Præsentationem suorum* respectivè *Fundatorum & eorum legitimorum successorum; Fundatores enim fundarunt Monasteria Regularium, etiam pro Novitiis, & su-*

Superioribus præfatis, conformiter ad instituta uniuscujusq; Ordinis; adeòq; requireretur Collatio Fundatoris, tam ad recipiendum Novitium ad ordinem, quàm ad ordinandos alios Superiores &c. Sequelam forte non admittet Singularius, Erg. & id, ex quo sequitur, admittendum non est; par enim ratio militat pro utroq; non admittendo.

II. Contra Singularium sic inverto Argumentum: Jus Patronatus in Regularium Ecclesiis, *non acquiritur prædictis titulis, etiam collectivè sumptis, ut sentiunt omnes Juris periti. Ergo non competit in Polonia etiam Fundatoribus super Ecclesias Regulares. Antecedens patet ex eo: q. in Ecclesiis Regularium ad acquirendum tale Jus, requireretur præter supradicta, etiam* reservatio præfari Juris *in Instrumento fundationis & dotationis, imo neq; hoc sufficeret sed præterea requireretur* Summi Pontificis Privilegium, *& concessio in limine fundationis, sine quo in Ecclesiis Regularium non acquiritur Jus Patronatus, juxta Text: in Cap: Nobis 25. Ver. Cæterum. ubi Gloss. Verbo: Nisi aliter. Vers. vel expone, ibiq; DD. Communiter de Jure Patronatus, ac plurimæ decis. A. C.* Ex quo omnes Juris consulti stabiliunt Regulam generalem: quod Jus Patronatus in Beneficiis Regularibus non potest habere aliam Originem, quam Indultum S. Sedis. *Et recentissimus P. Dominicus Viva in sua Theologia Morali de Benef: Ecclesiast. sic inquit:* Patronus is dicitur, cui ab Ecclesia concessa potestas præsentandi âliquem ad Beneficium. *Horum utrumq;, scilicet, tam reservationem, quam indultum Apostolicum, postquam demonstraverit Singularius (quod implicat) super Ecclesias Regularium Poloniæ, pacificabit exortam Controversiam, finemq; imponet litigiis.* Quæst: 4. Art. 1. pag. 74.

Igitur ex dictis sic directè resolvo Singularij imum Singulare. Transito hoc: quòd Jus Patronatus *acquiritur præfatis titulis in Ecclesiis Sæcularibus, nego illud acquiri ex eisdem solis* in Regularibus. *Dixi* transito: *q. non quo ad omnia Beneficia etiam Sæcularia ex his præcise titulis acquiri posse* Jus Patronatus *communis est sensus Canonistarum; certè absq; Privilegio Sedis Apostolicæ super Episcopatus legitime acquiri nequit*

quit Jus præfatum, alias Casimirus III. Rex Poloniæ, frustra petiisset apud Nicolaum V. Pontificem Privilegium præsentandi ad omnia Beneficia Poloniæ, cum tamen petierit, (ut constat ex supradictis Artic: 1. fol. 4.) licet non totum obtinuit. T. q. quis quæro ex immediatis Fundatoribus Regularium Poloniæ, fuit in prætensione præfati Juris Patronatus? Scio neque eorum legitimos successores unquam id prætendisse, plurima enim Monasteria fundata sunt ab Episcopis Cracovien. quorum tamen ex Successoribus nullus Jus præfatum sibi arrogavit. Noverunt plurimi nostris temporibus Bronissium Castellanum Calissien. non ita pridem è vivis sublatum, cujus Antecessores, Monasterium Paradisiense Ord. Cistercien. fundarunt. Neq; tamen illi, nec præfatus illorum successor, Jus ullum ad Collationem prædictæ Abbatiæ prætendit, obstante Privilegio Apostolico Innocentij Papæ IV. in favorem Electionis Regularium in limine fundationis obtento. De quo supra mentionem feci Art. 5. fundamen 3. circa finem.

Addo: *dato non concesso, quod his titulis præcisè acquireretur Jus Patronatus in Ecclesiis etiam Regularium, transeat illud acquiri* in actu 1mo, remotè, & fundamentaliter tale; *Nondum tamen* in actu 2do, proximum, & formaliter tale; *Ad id enim plura requiri, constat ex supradictis. Et ratio præterea est: quia Fundatores aut Dotatores Monasteriorum, reliquerunt Regulares in Statu pacifico penes Jura sua & instituta, nec à quopiam illa lædi, aut tolli permiserunt, sub interminatione Divini judicij, & aliis gravissimis execrationibus, ut patet ex instrumentis fundationum supra allegatis, Art: 5. Fundamen. 3.*

II. Hoc tramite Juris Priorum (ut vocat Cromerus) Sacerdotiorum, Collationes Regibus Poloniæ quæsitæ sunt, quorum Fundatores extitêre, qui vocantur in Jure Patroni, Advocati, Protectores, & Defensores Ecclesiarum, & præcipuè Monasteriorum

Resp.

*Resp. Ad II. Frustra Singularius expandit retia, quæ cupit non capiet ; Quæro: quod extat vestigium,*hoc tramite *præcessisse olim absolutos illos Monarchas Poloniæ Fundatores* aliquorum non nisi Monasteriorum *ex quo Jus Patronatus illorum saltem subodorari possit ? Quod si veró primi Fundatores & illorum legitimi successores sub absoluto Dominio* Simpliciter & absolute non incesserunt hoc tramite Juris , *Cur mi Singulari ad insolita agis Prodrorum ? Cur post concessam tandem toti Regno Poloniæ à Regibus libertatem eligendi libere suos Reges,*Regularibus solis, *jugum Juris Patronatus imponis ? Justumnè aut decens erit, te cum cæteris Regni Inclitis Ordinibus liberam electionem Regum suorum defendente, solos Regularium Poloniæ Ordines à suis antiquioribus Juribus & libertatibus excludere, aut in eis perturbare ? Undè tibi concessa libertas opprimendi Jura Regularium ?*

Frustra hic Cromerum allegas , nam dato , quod illius sit (quem affers) *Textus* ; Collationes Regibus, & quidem Fundatoribus Monasteriorum hoc tramite quæsitas esse dicis,*cur quæso*, quod vi solius præcisè (*juxta te*) fundationis vel dotationis de Jure habetur, *cur inquam quæritur ? sed concesserim Collationes præfatas ad Abbatias & Præposituras Regulares* quæsitas esse Regibus ; *Hactenus enim ambitio ad easdem aspirans , quærit Regibus titulum Juris Patronatus , ut sibi conferantur Ecclesiæ Regulares* ; sed : nunquid omnia quæ quærit invenit,aut habet,ambitio ? *quid quæris , quod non amisisti ? Solis igitur ad inventionibus suis, quærit ambitio titulum Regibus , sed invenire nequit, neq; ostendere posse stalem, qui sit legitimus. Non tantum Cromerus, sed omnes Canonistæ volvendi sunt, & revolvendi , ubi prius enervato visu perdes oculos , quam vel unicam validam rationem pro parte* præfati Juris (quod quæris) invenies.

Citas Cromerum, & ecce id quærendo incido in eam Cromeri sententiam : Nisi electiones Collegiorum Primi (seu Primores,) labefa- Lib: 24. pag: 569.
ctare aggressi essent, nunquam eò audacia (*nota tramitem Juris prætensi*) Reges profecti essent ; *Et immediatè supra sic inquit* : Trium Ambitio, & Pontificiam Authoritatem in Polonia debilitavit, & Electioni libe- Fol: 568.

liberam (*intellige Episcoporum*) vim attulit &c. Non sine grandi, non modo Ecclesiasticæ Authoritatis, verùm etiam Religionis & Reipublicæ jactura. *En fructum ! quem unicum quærens Ambitio, longè majora bona perdidit, relata in Summ: Num.* 35. *ubi Cromerus enumerat mala deperditæ electionis Episcoporum.*

Præterea sciat singularius, simile Jus Patronatûs quæsitum olim fuisse super Præbendas Ecclesiæ Gnesnen. sed opponente sese protunc Archiepiscopo inveniri non potuit ideoq; renunciata ejus prætensio, ut refertur in Summ. Num. 28 *Porrò ut ibi leges, sic puta quæri Jus præsentandi ad Ecclesias Regularium, Poloniæ & usurpari, hactenus tamen nec probari efficaciter, nec inventum esse, imò nec posse inveniri, præcludentibus viam fundamentis pro parte electionis liberæ Regularium Abbatum allegatis Art:* 4. 5. 6. & 7. *Item obstantibus tot latis in Contra à Romana Curia sententiis definitivis, suprà relatis.*

Sed Singularius *his non acquiescens, quærit Jus præsentandi, jam inter voces ipsas, & multiplices denominationes ex quibus coacervatis rem ipsam probare intendit dicens; qui vocantur in Jure Patroni Advocati &c. At, miror Singularij non satis sagax ingenium, consulat si placet Scholasticos, & resciet, quod ad denominationem* intrinsecè veram, & in omni rigore talem, *multa requirantur ; Discet præterea, plurimas esse denominationes solùm* æquivocè tales, aut alienantes ; *sic in præsenti : Fateor quidem, cum eâ quâ par est observantiâ, Reges Poloniæ dici (& valdè opto, ut semper sint)* Patronos, Protectores, & Defensores, tam Ecclesiarum, quam Monasteriorum, *non tamen dum eos sic Jura vocant, exindè inferendum, ac si eis Jus Patronatus super eisdem attribuant ; alias deberes mi Singulari pariter inferre, quod in Christianam quoq; Religionem, & alia plurima similia, competat Principibus Jus Patronatûs, cum eos Prima Ecclesiæ Capita vocent titulo,* Defensorum Christianæ Religionis, Protectorum Fidei Orthodoxæ, Christianitatis, Ecclesiæ &c. *Imò de Jure vocari eos quis nesciat* Justitiæ *ipsius, &* Jurium Ecclesiæ Defensores,

ac

ac Patronos, libertatis Vindices &c. *Nullo tamen exinde resultante titulo* Juris Patronatûs *super præfata.*

Igitur, ly Patroni *pro eodem sumi in præsenti debet, quod Advocati, ut bene Singularius annotavit; Quorum obligatio & munus est, Patrocinari, defendere, contra oppressores protegere jura suorum subditorum authoritate propria tueri &c. non vero præsentare ad Beneficia, ad quæ sibi nullum prorsus Jus favet, conferenda, non ad ea nominare, aut ea conferre cuipiam, cum læsione Juris alterius.*

Præfato modo acceptam denominationem (ut explicatum est) Patroni, *competere Seren. Regibus Poloniæ, etiam respectu Ecclesiarum Regularium, indubitatum est apud omnes, eam enim obligationem in se susceperunt, & ad id Jure jurando conscientias suas obstrinxerunt, ut Jura cunctorum in Republica Statuum & Privilegia ab Antecessoribus suis collata tueantur libertates defendant &c. Hinc ad Regum Protectionem & Patrocinium Confugere etiam Regulares Poloniæ consveverunt, contra quærentes, sed, non invenientes fundamenta legitima Juris Patronatûs, experti sunt toties non solum eos vocari, sed etiam esse vere Defensores, & Protectores Jurium Ecclesiasticorum, ut liquet ex allegatis supra pro parte electionum Abbatum Regularium Diplomatibus, Regum plurimorum Poloniæ, Art. 5.*

Ut vero Singularius adhuc evidentius convincatur ad credendum, quod vi hujus præcisè *denominationis,* Patroni Defensoris, *non semper inferri debeat, imò quod aliquando ne quidem possit inferri,* Jus Patronatûs, *interim pro retorsione, hæc sufficiant: Nonne Dux Exercitus e. g. non vocatur* defensor Ecclesiæ, *dum pro ea contra hostes fidei dimicando, in acie fundit sanguinem? Imò ipsi etiam Ministri Regni & senatores, dum immunitatem & libertatem Ecclesiasticam Authoritate sua fulciunt, & validis defendunt Consiliis? nec non ipsi diversorum Ordinum Generales, & superiores, Jura eorundem protegentes? tandem ipse summus Pontifex, utique totius Ecclesiæ Orthodoxæ* Patronus & Defensor *Jure vocatur, & Monasteriorum*

omni-

omnium Protector Primarius ? *nec tamen ex hoc* præcisè *capite vendicare sibi ullum Jus collationis, præsentationis, vel nominationis censendi? Addo : aliud est :* esse Fundatorem, *aliud :* Protectorem ; *Nam esto nullam Ecclesiam, nullumve Monasterium fundarent in Polonia Reges, adhuc verè dici possent, & deberent* Protectores *eorum, vi suorum Juramentorum ; Notum est cunctis, quod Reges Poloniæ, in solenni Coronatione sua, inter alia jurare consveverint, ea, quæ à Regibus Ecclesiæ Collata & reddita sunt, inviolabiliter se observaturos. Item dum quæritur Rex ab Archiepiscopo Gnesnen.* Vis Ecclesiis, Ecclesiarumq; Ministris, Tutor & Defensor esse ? *Respondet:* volo, *imò & Regnum se defensurum spondet, hinc dum ei porrigitur gladius dici solet à Coronante :* Accipe in defensionem S. DEI Ecclesiæ &c. *Quam defensionem antiqua vel maxime Sæcula, sub illo absoluto Domino Monarcharum Poloniæ sunt experta, quòrum tamen nullus Jus Patronatûs ad Ecclesias Regulares sibi vendicabat.*

III. Priora intelliguntur Sacerdotia, Episcopatus, Abbatiæ, & aliæ Regularium Præposituræ, tum & insigniores, Prælaturæ, Plebanatusque.

Resp. Ad III. ut per gradus recte processisset Singularius in enumeratione Priorum sacerdotiorum, incipere debuerat à Summo Pontificatu, qui certè est suprema Ecclesiastica dignitas ; Et tamen hanc ab Imperatoris Jure Patronatûs exclusam videmus, & rectè, ac legitimè. Quod si alia Priora *spectare ad Jus Patronatus asserit, per me stet, ille viderit, ejus interest, debet habere hujus asserti sui Singulare privati commodi, (quod non revelat) arcanum, cæterum quod Abbatias Regulares Prioribus sacerdotiis annumeret, piaculum est, nam dum eas calculo suo Episcopatibus pares reddit, timendum ne hàc nimiâ Civilitate reddatur culpabilis ; satius Abbatias, & Præposituras Regulares è numero* Priorum *excludat, & eô ipsô jam faciet, re, & nomine* secundas *utpotè ad Priorum Collationem de Jure non spectantes ; sed ne de voce litigemus, vocet illas Singularius ut vult, semper tamen noverit, eas esse Regulares, & prorsus à quæsito Jure Patronatûs legitimè*

mè exemptas, ac exceptas. Disparitas inferius ostendetur pro Episcopatibus quippe : Oppositorum opposita est ratio, *ut fert axioma.*

IV. ADIVO MIECISLAO I. Polonorum Principe Christiano circa Annum salutis 966. Episcopatuum, circa annum verò 1000. Abbatiarum, jacta sunt fundamenta. Dlugossii Miechovitæ, Cromeri, Bielscij, Sarnicij, Stricovij, Guagnini, & aliorum veterum recentiorumque Polonorum scriptorum plenæ historiæ.

Resp. Ad 4tum Ergone etiam hoc stante supposito jam inconcussum Fundamentum Juris collationis posuit Singularius,? relegat dicta supra in primi Singularis refutatione Num. 2. *& videbit quomodo statim in limine fundationis Monasteriorum Poloniæ cum structura suæ fabricæ corruerit. Fundamentaliora sunt quærenda, nam in hoc præcisè fundamento certè non ædificabit quod intendit. Præterea si à Miecislao omnes Abbatias & Præposituras Regulares Poloniæ fundatas esse celebrat, & prædicat, plus unus dicit Singularius, quàm citati omnes ab eo Authores asserunt.* Plerasq; Abbatias & Præposituras *sub absoluto protunc Miecislai Dominio fundatas esse, cum suo Jure intrinseco Ordinibus Monasticis & innato, liberè eligendi suos Prælatos, admitto,* non tamen omnes *à Miecislao. Relegat Singularius* Artic. 7. *& discet seriem plurimorum Fundatorum.* Item Artic. 5. Fund. 3. *ubi veriora inveniet. Sed dato etiàm non concesso, quod omniũ Monasteriorum & Præpositurarum Poloniæ,* soli *fuissent Reges Fundatores, nonnè fundatio Regularium fieri non solet nec debet juxta instituta uniuscujusq;* respectivè *Ordinis ? Cum igitur Ordo e. g. S. Benedicti, ex vi Instituti sui, habeat* Jus eligendi, *quod pro parte Cisterciensium Poloniæ Alexander VII. Circa Reformationem ejusdem Ordinis confirmans, Statuit :* Ut Electiones Abbatum Cistercien: secundum Canones fiant per scrutinium, utq; in eis omnes Monachi voce tam Activâ quam Passivâ gaudeant, nec in eligendis suis Prælatis à quopiam impediantur &c. *Igitur necdum sequitur Jus præfatum electionis per immediatos Fundatores Monasteriorum exclusum fuisse*

isse à Regularibus, aut per quempiam infringi permissum; Fuitne quæso ipsemet Mecislaus in executione Juris Patronatus asserti à Singulario? certe nec Monachi fundationem suscepissent Electionis Jure spoliati.

V. Episcopatuum res pacatæ. Abbatiæ quædam hac tempestate prodiêre in arenam, Regum, & Fundatorum collationi obluctaturæ. Et quia Reges, non Protectores tantùm, sed & Fundatores sunt Abbatiarum, accipe seriem.

Resp. Ad 5tum applaudendumne solenniter, an verò plangendum super pacato (ut inquis) Episcopatuum Statu, Problema interim sit. Pacemne dixeris (ad ignominiam dicentes pax pax, cum non esset pax) *quæ libertatem eligendi sustulit? si* omne justum bellum, pace suspectâ tutius *juxta salustium, quidni talem pacem abhoreant Regulares? qua hostibus eorum hastam & arma contra se ministraret ad Captivandum, imò tollendum prorsus validissimum Jus liberæ electionis. Episcopatuum res non credo primitivè pacatas fuisse, sine peccato injustitiæ; sed ut ut est, absit, ut hanc pacem illis invideam, scio enim quod* scienti & Consentienti non fiat injuria; *Ex præfatis rebus pacatis contenti qui sunt, quiescant, vel vadant in pace, non tamen ad Regulares Abbatias, quibus communicare velle Episcopatuum rem pacatam, in re:* est trahere sub nomine pacis ad litigia; *si pacis quæpiam puncta Monachis offerre placet, curandum ut sint talia, quæ, nec Regularium expungant Infulata Capita, nec Capitularium tangant pupillam libertatis.*

Jeremiæ. 8.

Abbatias in arenam prodiisse, *asserit Singularius, sed immerito. Regulares sunt, ac proindè nequeunt Claustra deserere; provocat quidem Abbatias Singularius ad certamen, sed quia duella sunt Jure prohibita, Armistitium eòusq; petunt, donec absoluta Potestas sedis Apostolicæ, stando pro parte Justitiæ, caussam discernat, absolvatq; litigia.*

Regum & Fundatorum collationi (*sed probandum prius quo Jure eis competat*) obluctari, *sicut neminem decet, ita neq; licet; sciunt*

sciunt Regulares revereri Reges uti suos Protectores & Defensores, *quibus debitam quâ par est exhibent submissionem, salvò nihiliominùs respectu suorum Jurium confirmatorum â Summis Pontificibus, ac roboratorum, ab ipsis etiam Regibus Poloniæ. Hinc si aliquando contingat ad importunam cujuspiam instantiam, in fundamento* putatitij solûm Juris collationis *conferri aliquam non Regulari Personæ Abbatiam, nonne in tali casu crimen imponi debet Regularibus, Jus suum indubitatum defendentibus? Cunctis utiq; notum, quod defensio* Jure naturæ *est licita, & appellare in casu gravaminis ad Judicem* ad quem de Jure, *Jura permittunt. Igitur his, pacis gratiâ positis, ad Singularij Fundamentum descendo, quod inserie Fundatorum daturum se promisit.*

VI. Ab Anno millesimo Mieceslaus I. Princeps Polonorum Christianus, Tremesnensem. Boleslaus Chrobri Primus Rex Coronatus S. Crucis in Monte Calvo & Sieciechoviensem. Casimirus I. Tinecensem Mogilnicensem, & Lubinensem. Miecislaus senex Landensem & Wagrovecensem. Casimirus Justus Copriunicen. Samborius Oliven. Mszczugius Pelplinen. Pomeraniæ Duces, Abbatias â fundamentis erexerunt dotarunt fundaruntq; *Miechovius in histor. & alij passim.*

Resp. ad VI. Adverto in hoc Singulari errorem Singularij, nam apud Cromerum lego, quod Mogilnicense Monasterium Ordinis S. Benedicti, Boleslaus Audax non verò Casimirus fundaverit. Lib: 4. fol. 9. *Sed interim totum transeat*, (nam Fundatores esto Monasteria fundaverint, Abbatias tamen & Abbates erigere, ad Ordinem unumquemq; spectat) *Et quid quæso ex hoc singulari contra Regulares infert sibi Singularius?* Sed fortè dicet: ad superius Singulare collimo, & hâc serie fundationum deduco, Reges non Protectores tantum sed etiam Fundatores esse Abbatiarum. *Ad quod Resp. Libenter id accepto, quod dicis, porrexisti enim tela quibus error tuus perimatur: Hinc sic te mi Singulari ex dictis tuis aggredior. Si*

illa

illæ Abbatiæ, quas recenses in tuo Singulari fundatæ & dotatæ sunt à solis, (*quod restat probandum*) Regibus & Principibus Poloniæ; *jam reliquas Abbatias, quas nec præfati Reges, nec Principes fundarunt, eò ipso videris à Jure Patronatûs illorum excludere, et jam in parte cum Regularibus tenes. Ex quo ulterius infero: Ergo & tu una cum Regularibus videris obluctari collationi Regiæ, Er. videris injurius fieri Juribus Majestatis ac proinde timendum ne ipsemet excludaris à favore collationis, quem fortè expectas, & expetis.*

Sed nec dum Omnia in hoc Singulari enumeravit singularius. Utiq; Rex Jagiello (juxta Cromerum) *fundavit Posnaniæ Carmelitas calceatos, & alia plurima beneficia Sæcularia, imò & dotavit, item; nonne non fundarunt tot alij quoq; Reges Poloniæ varia in varijs civitatibus Monasteria Monialium? Item Dominicanorum, Franciscanorum, Paulitarum, Augustinianorum, Jesuitarum? & aliqua satis munificè dotarunt? & tamen illa ad Jus Patronatûs & collationem Regiam spectare, nec ipse admittit Singularius. Cur igitur solis Regularibus ad stabilitatem loci professione adstrictis, non permittit Singularius jus stabile electionis? quæ hujus singularitatis ratio, & disparitas? Recole ex dictis supra mi Singulari, quod ad eum finem, (ut scilicet subsint Juri collationis Prælaturæ & superioritates Regularium) non sufficiat fundatio, aut dotatio, ut in refutatione ad imum singulare jam deductum,* si desit Privilegium Apostolicum in limine fundationis, *quod certè super nullum Regularium Poloniæ beneficium à Pontifice concessum Regibus; Jam vero è contra quod Regulares habeant pro parte Juris liberæ electionis suorum Prælatorum, dicta Privilegia, statim à limine suæ in Polonia fundationis, remonstravit* Articuli 5. fundam. 3. *Quomodo ergo indubitatum Regularium Jus liberæ Electionis pacificabis cum asserto solum jure collationis Regiæ? Potius errorem tuum corrige mi Singulari, ne alios asserto tuo in eundem trahas.*

VII. Archiepiscopi Gnesnen. Episcopi Cracovien. & alij Comites & Proceres Regni, si quas fundarunt

runt Abbatias? gratiâ, Authoritate, & consensu Regum & Principum Poloniæ fuit. Hæredes enim & supremi Domini nuncupabantur; servitutesq; vecturas, pedagia, contributiones, datias, diversi generis Onera etiam ex bonis Spiritualium, â quibus postea pietate Regum & Principum Abnepotum relevati sunt, Summo Jure sumebant. Remansit ex eò circa Majestatem Regiam Dispensatio gratiosa, & non interrupta gratiarum distributio, nec aliter in Bonis Abbatiarum Advocati, Sculteti, & Tabernatores, consederunt, nisi Regum Privilegijs provisi & donati, prout ex diplomatibus Casimiri Justi Poloniæ, Lesconis albi Cracoviæ, Boleslai Pudici Cracoviæ & Lanciciæ, Semoviti Masoviæ Ducum, deducitur, quæ in Archivo Monasterij Suleovien. conservantur. Recentiori hominum memoriâ Sigismundus III. in pænam reprimendæ seditionis à subditis Abbatiæ Suleovien. in directos suos Dominos assumptæ districtam Majestatis suæ indignationem exercuit, ut privilegia scultetorum, aliorumq; tabernatorum & privilegiatorum libertationes cassaret, & annularet. Solenne est Regum in Abbatias potestatis & Jurisdictionis documentum, provisiones quoq; ipsas, quas Monasteriorum Conventus cum Abbatibus ad Mensæ commoditatem partiri Consveverant, in Omnibus Monasteriis Regum Authoritate, pariter & assensu semper exdivisas fuisse.

Resp. Ad VII. In hoc singulari multum videtur probare Singularius, & hoc ipso nihil probat, cujus dicta punctatim examino. Et Dico 1mo: *quod ex Singulari præsenti sequitur, debere Omnes alios excludi à Jure Collationis Beneficiorum sæcularium, & ad solos Reges Jus præsentandi ad eadem transferri; quæcunq; enim in Polonia est fundatio,* certe non sine favore, gratia, Authoritate, & Consensu Regum Poloniæ fuit. *Et tamen hoc non obstante, plurimi Episcopi & Proceres Regni, ac alij nobiles, ad varias Ecclesias Sæculares, gaudent Jure*

 paci-

pacifico præsentandi, nec à Regibus aut eorum Ministris perturbantur. *II.* Si consensus Regius, *facit verum & justum Titulum Juris Patronatus Regij, jam per legitimam sequelam admittere necesse erit, etiam Summum Pontificem (qui certè dat suum pro fundationibus maximè Monasteriorum Consensum, & approbat Omnium Ordinum Religiones) esse verum collatorem* vi Juris Patronatus. Nota signanter dictum esse: vi Juris Patronatûs. *Nam vi Juris (ut vocant Juristæ)* devoluti, *potest conferre certis casibus beneficia etiam illa, quæ spectant ad Jura Patronatûs sæcularium. Imò siquidem juxta Concilij Triden: Decreta prærequiritur ad quamvis, etiam Monasteriorum fundationem, consensus Loci Ordinarij, sequeretur ex hoc singulari, eos fore eò ipsò collatores omnium omninò beneficiorum in sua* respectivè Diœcesi. *III. Dato hoc, quod Consensus Regius requireretur ad fundationes (licet id gratis asserit Singularius) certe ad dotanda Monasteria e. g. per inscriptionem Summarum in bonis aliquibus stabilibus, aut per elargitionem paratæ pecuniæ etiam in notabili quantitate, quis consensum Regium requiri consentiet ? Nonne legitimi Domini pollentes* Jure proprietatis *sic ligatas habebunt manus, ut casu quo careant successore, non possint independenter ab altiori potestate* bona sua vendere & dare pauperibus ? *in iisq; Christum substantiæ suæ hæredem facere? sufficit super hoc à Rege Regum, & Domino Dominantium, datum jam pridem Consilium & Consensus Evangelicus. Deindè utiq;* Majoratus *seu (ut Poloni vocant)* Ordinationes, *quamvis de facto cum Consensu Regio & Reipublicæ fiant, nec tamen Rex, aut Respub: Jus Patronatûs super illas ex præfato* præcisè *consensu, sibi vendicat ? T. q. si dictus* Consensus *daret fundamentum Juri Patronatûs, illi ipsi antiqui Reges & Principes, qui illum aliquando præstiterunt, usi utiq; fuissent Jure tali, quod tamen non potest probari. IV. Frustra singularius & ex altero titulo* Hæredum, *imaginatur competere Regibus Jus Collationis super beneficia Fundata pro Regularibus Poloniæ. Nam non disputo, an Antiqui illi Reges & Principes, potuerunt nun-*

nuncupari Hæredes respective etiam quod ad bona aliorum ? *præscindo interim ab hujus quæstionis resolutione ; sed advertat singularius ex suo supposito plus se probare quam velit , si enim probat ex titulo* hæreditatis *deberi Regibus Jus Patronatûs, eò ipso probat, quod in præsenti libero Regni Poloniæ statu, præfatum Jus non competat Regiæ Majestati, scit enim nunc nullum nuncupari ex Regibus Poloniæ* Hæredem, *qui titulus per Statuta Regni pridem eis denegatus, utpotè præjudiciosus Juri eligendi Regnantes.* *V.* Servitutes illæ, vecturæ pedagia *&c. enumerata à singulario, utiq; nunquam comprehendebant gravaminosum onus Juris Patronatûs super Regulares Poloniæ.? Quomodo igitur ex eis resultare poterit ? sed dato etiam quod comprehendissent, quando quidem* ab eis (*ut dicis*) oneribus relevati sunt. *Igitur sunt & debent esse liberi, ut quid ergo Juri libertatis Regularium, Jugum servitutis imponis ?* Sed fortè opponet Singularius in contra, de hybernis, de Contributione Capitali, quæ non obstante libertate Ecclesiastica, imponuntur bonis Spiritualium. *Ad quod Resp. Nonne non legit Singularius in Actis Regni Publicis, protestatum esse Statum Spiritualem super hæc & alia gravamina, & nisi accessisset Majorum sacerdotiorum* (licitus ne vel non, ab hoc præscindo) *Consensus, non puto Statum sæcularem ad id se tutè protuisse resolvere.* VI. Dum remansisse ex eis titulis circa Majestatem Regiam dispensationem gratiosam, & non interruptam gratiarum distributionem *dicit Singularius, id probandum est, indebitè quærit gratiosam distributionem Abbatiarum, vagatur per plura, quod fieri potest per pauciora ; sumat Regularem habitum, & post sufficientem probationem, quod si fuerit idoneus huic muneri, non expectatà dispensatione Majestatis, poterit consequi (si ita Deus voluerit) eligentium Monachorum secretis votis intentum.* Distributio gratiosa *(quam allegat Singularius) quod commendet liberalitatē Serenissimorum Poloniæ Regum, quotidiana docet experentia, nihilominus cuivis distributori eam cautelam Jura præscribunt, ut attendat ad hoc : I.* Ne lædat Justitiam Distributivam, II. Ne dicatur largus esse de alieno. *Ac proinde ante omnem distributionem considerare Justitia, &*

æquitas

quitas ſvadet, quid, & cui tribuendum ſit, ? Ac utrum Omne quod petitur, ad manum ſuam & poteſtatem diſpenſandi pertineant, alias, ne per diſtributionem in gratiam unius factam, fiat injuria Juri alterius. VII. *Quod* Advocati ſculteti & tabernatores conſederint in bonis Abbatiarum Regum muniti Privilegiis, id non probat *Jus Patronatus ad Abbatias, cur enim non potius ad ipſas Advocatias &c. Certè dictæ Advocatiæ &c. Semper ab Abbatibus cum Conventu, non verò à Rege conferebantur, quod verò ſculteti ut plurimum Nobiles, Confirmationem à Rege procuraverint pro iisdem, per id, firmitati Juris ſui, jam à Regularibus habiti, providebatur. Uſitatum id in Regno Poloniæ, quod etiam Civitates, Oppida, &c. curent ſua Jura Confirmari à Regibus, non tamen unquam auditum, ex eo Reges Jus Patronatus ad nominandos Advocatos, Conſules, Magiſtratus &c: prætendiſſe. Non unum utiq; extat Privilegium Regum, quo Confirmata ſunt Jura Academiæ e. g. Cracovienſis, & tamen hoc non obſtante, libere Rectores ſuos eligunt, independenter ab ullo Jure Patronatûs. Ipſa quoq; Nobilitas Poloniæ, eſto Regum Privilegiis liberata ſit una cum ſuis bonis, à plurimis Oneribus, non tamen inde promanat Jus Patronatûs ſuper illa, poteſtq; quivis Nobilis Villas & poſſeſſiones ſuas vendere, non requiſito Conſenſu Regis. &c: Imo, & Tribunal Regni, quod Regis Stephani Bathorei Privilegio erectum & munitum ſit, toti Poloniæ notum, nec tamen ſucceſſores præfati Regis, Jus præſentandi aut nominandi Præſidentem aut Mareſchalcum, vel Judices Deputatos uſurpant, ſed hi omnes liberis votis eorum, ad quos id de Jure ſpectat eliguntur.* VIII. Sigiſmundi III. In reprimenda ſeditione ſubditorum rebellium *cooperatio, (quam allegat Singularius,) ſolum probat Regum gratioſam Protectionem, defenſionem, vel forte debitam adminiſtrationem Juſtitiæ, non verò Jus Patronatûs, pariter ac Tribunalia, dum compeſcunt per Decreta ſua oppreſſores Eccleſiarum, & pro illicitis attentatis puniunt, non ex eo quidquam Juris ad Collationem Eccleſiarum ſibi competere autumant.* IX. Exdiviſiones Proviſionum partitæ inter Abbates & Conventus (*quid*

quid

(quid quid sit, an Consens9 Regius fuerit ad id de Jure requisitus, nec ne ?) Jus Patronatus non evincunt, nam eædem exdivisiones, licet fiant cum Summi Pontificis, item Ordinis Generalis, & Provinciæ Commissarij consensu & approbatione, nullum tamen exindè eisdem Jus præsentandi Abbates resultat. Solum igitur præfatarum exdivisionum confirmatio à Regibus facta, documentum dat Regum Poteſtatis defenſivæ, Confirmativæ, &c. *Non verò* Collativæ Abbatiarum, *aut alicujus Jurisdictionis in easdem. Sicut, esto eædem exdivisiones fuerint Authoritate loci ordinariorum approbatæ, non tú illis competit super Abbatias Jurisdictio, ab hàc enim per Summos Pontifices totaliter sunt exemptæ. Præterea nonne potius ex Confirmatione dictæ partitionis Documentum certificans est ? quod sicut ratione exdivisæ & confirmatæ provisionis pro parte Monachorum, non competit Regibus ullum Jus præsentandi Monachos, aut eorum Priores &c. Ita, ex vi ejusdem pro parte Abbatis, nequit super Abbatias competere. Ad extremum pro convictione Singularij unum adhuc allego: Notum est Singulario ex Articuli 5. Fundamento 5. quod præter Confirmationem exdivisionum præfatarum, etiam Jura Regularium confirmata sunt à Regibus Poloniæ, imò ipsum quoq; in particulari* Jus liberæ electionis ſuorum Abbatum ; *Jam verò quis rectè inferat, resultare ex hac confirmatione Jus Patronatûs Regium ad Abbatias ? nisi fortè ille, qui velit libertatem eligendi conjungere cum destructivo ejusdem libertatis, quod repugnat in terminis.*

VIII. Priſca rerum Sacrarum facie Capitula Epiſcopos, Abbates, eligebant, Univerſali Eccleſiæ Catholicæ conſvetudine, non tamen abſq; adminiculo Principum. Hodie (*inquit Piaseccius*) electiones liberæ vix-iam alicubi, ac ne vix retinentur, etiam à curia Romana poſtpoſitæ : rediit igitur Collatio ad Principes, & Primævos Fundatores, non in Polonia tantùm, ſed & in Germaniâ, Hiſpania, Gallia. *In praxi Episcop. proemium de elect. num. 6.*

Resp. Ad VIII. *Prisca illa rerum Sacrarum facies in Electionibus, non soli Consvetudini, sed Corpori Juris Canonici adscribi debet, ex qua quanta venustas Ecclesiis accedebat, clarè patet ex Cromero* ut in Summ: Num. 35. *Capitula Cathedralium Canonicorum quando quidem novam ad præsens faciem applicatam sibi pro decore habent, eam nemo invidet; cæterum Regulares antiquo Juri suo innixi, solicitè cavent nova decora, malunt q; eorum Capitula non ornari, quàm exornatione prædictâ graviter onerari, priscam faciem electionum suarum non erubescunt, id procurantes, ne ullas contractionis rugas aut maculas patiatur. Testimonio Piaseccij, (quô confirmat Singularius electiones liberas à Romana Curia esse postpositas,) fama publica testatur oppositum, denuntians Summum Pontificem stare pro Monachorum Juribus, electionesq; Canonicas nunquam reprobare, ex eo vero, quod quandoq; aut elapsô trimestri, aut non servatis de Jure servandis factas, declarat esse nullas, non per id abjudicantur in perpetuum Jure eligendi Regulares.* Quod si disparitatem petat Singularius, cur non sit idem favor in Romana Curia Capitulis Cathedralibus? *Resp. Non unam esse. 1ma sit, quia Episcopi sunt* Nati Senatores, *ac proindè Romana Curia sciens ad Reges spectare, non ad Capitula electionem Senatorum Regni & Consiliariorum, ideò permisit Regibus Jus præsentandi Episcopos. 2da: Quia Concilium* Triden: ses. 25. Cap. 9. de Refor. *favere ad præfatum Jus videtur Regibus super Episcopatus, jam verò super Abbatias & Præposituras illud omnino denegat. 3tia: Quia Majorem esse resistentiam Juris Communis, ne concedatur Jus Patronatus super Beneficia Regularia, quam super Sæcularia, constat ex* Articulo 4. & 5. *4ta: Quia Regulares Poloniæ habent in limine fundationis Privilegium Apostolicum super liberam electionem suorum Abbatum, ut* Articulo 5. *ostendi, & præterea tot alia privilegia succedentium Summorum Pontificum, quorum præcipuum est Sixti V. decernentis:* eligi debere in Abbates Monachos expressè Professos. *ut extat Const. 10. Bul. Romani tom. 2. pag. 378. §. 4. Item tot diplomata Regum Poloniæ, imò*

Regni etiam Statuta, & Synodales Constitutiones; quæ Omnia confirmant Jus indubitatum Regularium, in ordine ad electiones suorum Prælatorum. Jam verò Ecclesiarum Cathedralium Capitula, nihil simile reproducunt; imò ex Brevi Sixti Pontificis de Anno 1589. *quod incipit:* Pastoralis nostra sollicitudo &c. *Oppositum patet, ubi Pontifex confirmat Synodi Provincialis Petrovien: constitutionem inter alias hanc.* Nequis nominatus à Rege Poloniæ pro tempore existente in Episcopum vel Archiepiscopum ad Ecclesiam aliquam Cathedralem vel Metropolitanam ex iis, ad quas pro tempore vacantes Jus nominandi ipsi Regi ex Privilegio (*adverte Singularem raratione datam à Synodo, cur Regibus præsentandi Jus competat ad Episcopatus*) Apostolico competit, assumat sibi honorem nec locum, neve in regimine & administratione Ecclesiæ hujusmodi, illiusq; bonorum, quoquo modo sese immisceat, nisi prius à Sede Apostolica eidem Ecclesiæ de persona sua sic Nominata provideri, seu in Pastorem præfici obtinuerit, literis Apostolicis desuper expeditis &c. Præfatum Breve, *vide apud Zaluscium Tom.* 1. *titt. de Archiepis. Gnesn. Primatu. Cap.* 3. *sub. Num.* 18. Juris Collationis super Episcopat9 fundamentum.

Rediisse Collationem ad Fundatores Monasteriorum, *arbitrariè asserit Singularius hoc singulare prosequens, quomodo enim id redire dici potest, quod nunquam in manu fundatorum fuit?, & nunc nonnisi Usurpativè prætenditur. Aut si rediyt collatiò ad fundatores Monasteriorum, cur non ad Omnium Omnino, etiam Monialium, quæ extant in Polonia?*

Paritas (si quæ est) *ab exteris Regnis petita, pro parte Regularium Poloniæ magis quadrat, in tota quippè Germania & Hispania libere Abbates à Monachis eliguntur, ut ipsemet Singularius infra singulari 33. recognoscit. Imo Galliæ quoq; Regulares, nonne nescit Singularius, plurimos gaudere Jure eligendi.? Quamvis vero ibidem aliqua Monasteria spectent* vi privilegij Apostolici ad Collationem Regiam, *frustra id ante oculos ponit, & assimilare vult Monachis Poloniæ, nam Poloniæ Regulares præter alia sui Juris fundamenta, etiam Statutis Regni firmatas habent suas electiones, ut relatum* Art. 5. *jam autem de exteris id nobis non constat.*

Sed opponere hic potest Singularius, Cur Regulares Poloniæ admittunt Regis gratiam, dum eos nominat ad Episcopatus, recusant verò nominationem

Episcoporum ad Abbatias? *Resp. ideo, quia primum est favorabile, secundum verò odiosum & destructivum Juris eorum. T. q. rarum id exemplum non potest trahere consequentiam nominationis ad Abbatias, alias, quia aliquando à Regibus nominati sunt seculares Principes ad Episcopatus obtinendos* servatis servandis; *sequeretur etiam posse nominari Episcopos ad ea munia, quæ ordinariè solis Secularibus conveniunt, adeoq; possent nominari ad Starostias, Mareschalcatus, &c. imò ad ipsum Regni solium.*

IX. Insistunt Juri suo Principes, ut planum sit ex multiplicatis præsentationibus, uti disposuit Tridentinum Concilium; Per antiquissimum temporis cursum (*verbis Concilij loquor*) qui hominum memoriam excedit, suarum Majestatum præsentationes successivè â Casimiro Magno & â Ludovico, qui Bozantam Szeligium, contra electum a Capitulo Nowodworscium ad sedem Gnesnen. Urbano VI. præsentavit, atq; alij alios Archiepiscopos, Episcopos Abbatesq; longâ, quæ hic non recensetur, quia nota & vulgari serie. ses. 25. C. 9.

Resp. Ad IX. Juri asserto â Singulario, quod sit insistendum ad Episcopatus, concesserim, id enim competere Regibus palam fit ex responsione ad immediatum supra singulare. Jam verò ad Abbatias Regularium quomodo subsistere potest præfatum Jus, cum nullo solido fulciatur fundamento? Multiplicatas Præsentationes Regum Poloniæ ad Abbatias *fuisse dum dicit Singularius, abutitur terminis, potius enim multiplicatas recommendationes dixisse debuerat. Porro harum usum recognoscunt Regulares, ut patet ex Stephani Bathorei literis reccomendatitijs, relatis* in Summ. N. 13. *qui Andreoviensibus Monachis commendavit Rescium eligendum, alij vero Reges, alios, ea tamen recommendationes non præjudicabant libertati Monachorum, his enim non obstantibus ille eligebatur, quem Spiritus S. dictavit eligendum. Non novum est, quod etiam Summi Pontifices recommendare soleant Polonæ Reipub. sub tem-*

pus

pus electionis hunc vel illum eligendum in Regem, nec tamen per id tollitur Regum Poloniæ libera electio. Sic Urban9 VIII. per Archiepiscopum Larissenum Nuntium Apostolicum esto recommendavit Uladislaum, ej9 tamen electio in Regem utiq; libera fuit, cum recommendatio non sit quantum de se *sublativa libertatis.*

Ad id quod allegat Singularius de Ludovico Szeligium contra electum à Capitulo Novvodvvorscium ad sedem Gnesnen. promovente, *dico: vel id fuit post assumptionem Episcoporum ad senatum Poloniæ, & post datum Regibus Privilegium à Pontifice ad Conferendos Episcopatus, vel ante.?* Si primum: *constat ex supradictis responsio:* Si secundum: *supponendum est illam electionem fuisse vitiosam, juri Communi non conformem, adeoq; non Canonicè factam, hoc autem supposito, devolutum fuit Jus ad Pontificem pro illa vice, vi cuius providere debuit sedi vacanti legitimum Pastorem, Igitur si ad recommendationem Ludovici Regis providit Szeligium, favor hic non est in sequelam ad omnia omnino beneficia etiam Regularia, (nisi fortè in simili casu defectuosæ electionis) trahendus. Nota est aliundè & ex Articulo VII. series Canonice à Monachis electorum Abbatum Regularium, quos sedes Apostolica confirmavit. Relege supradicta* Articulo I. *& videbis præsentationes Regias, non sortitas effectum, sic dum præsentatus esset à Rege Michaele Olszovius ad Abbatiam Hebdovien: & postea ad Andreovien: hoc tamen non obstante à Monachis Canonice electi alij sui Ordinis Professi, & à Romana Curia Confirmati. Quod ipsum evidenter probat series rescriptorum Sacræ Congregationis Consistorialis, quæ pluries denegavit Monasteria Poloniæ in Commendam, etiam iis qui fuerant à Regibus commendati* vide in Sum. Num, 36.

X. Aperuit Campum Abbatia Lubinensis prout patet ex Statuto Regni non ita multo post Annum 1460. Cromeri testimonio. Porro cum Monachis (inquit) Lubinensibus constitutum, ut ne Abbatem nisi â Rege destinatum haberent. Jnde adeò hic mos inoleuit posterius in cæteris quoq; Monasterijs totius Po-

loniæ*, ut novi Abbates aſſenſum Regis requirant &c. Quo non obtento Abbatia minime acquiri poteſt. Ac proindè poſteriori tempore ultra centum Annos mos invaluit obtinendarum ante electionem præſentationum etiam cum clauſula Cancellariæ : ut hunc & non alium eligatis, quibus nunquam Monachorum Conventus ipſorumq; Capitula contradixerunt. *Verbo Abbates. â* principio, *lib 24. fol. 552.*

Reſp. Ad X. *Abbatia Lubinenſis non aperuit, ſed clauſit Regularem portam ambitioni, ne intraſſet eorum Clauſtrum, neq; ullum Jus Patronatûs data â ſe aſſecuratione ſtabilivit, ut legenti patebit* in Summ. Num. I. *Cromerus non fideliter citaturâ Singulario, nam loco citato ſic habet:* Porro cum Monachis Lubinenſibus conſtitutum, ut ne Abbatem niſi à Rege approbatum haberent, *jam vero Singularius ſcribit* : niſi a Rege deſtinatum, *idq; non ſine quare ?* Sed apud Herburtum titt. Abbas. fol. 1. *resplenius in aſſecuratione Lubinenſium refertur.* quam vide in Sum: loco ſupra citato. *Porro ex præfata aſſecuratione â Lubinenſibus extorta, non poteſt trahi ſequela ad alia Monaſteria Poloniæ, ut alibi jam dixi.* Mos (quem Singularius aſſerit invaluiſſe poſterius) *ante electionem obtinendarum præſentationum, multò magis mos* (ut dicit) *hujus clauſulæ Cancellariæ* : ut hunc & non alium eligatis, (*nota tales literas præſentationes, ſub excommunicatione lata prohibitum eſſe Regularibus ante electionem procurare, per quas impediretur libertas eligendi, igitur, quis eas procuret ? facile inferri poteſt*) *mos inquam ille,* (ſi fortè eſt) *potius dicendus eſt* Corruptela *juxta Canoniſtas, quia Jus indubitatum Monachorum cum ſuarum electionum radice tollit, imo tollit etiam Statuta Regni allegata* Articulo 5. fund. 5. verbo: Jam vero. *quæ certè nec præſentationis obtinendæ faciunt mentionem, nec apponendæ in eis dictæ clauſulæ* ; hunc & non alium eligatis, *dant cuiquam poteſtatem, ſed ſolū reſtringunt præfata Statuta electionē ad nobiles, Polonos, idoneos, eligendos præcæteris, relictâ liberâ determinatione quô ad reliqua, in eligentium voluntate. Ex hoc verò patet*

quod

quod initium præfati moris (ut inquis) *præsentandi, est invalidum. T. q. juxta omnium Theologorum sententiam*, nulla consvetudo etiam si sit immemorabilis, ullo modo contra immunitatem Ecclesiasticam prævalere potest, *ut tradit Zuaretz def. lib. 4.*

Demum non bona fide dicit Singularius Monachorum Conventus, ac eorum Capitula his nunquam contradixisse, inveniet oppositum in Articulo I. ad Annum 1504. *videlicet quod Regnante Alexandro in Poloniæ Regno, in simili gravamine Regulares statim ad sacram Romanam sedem cum protestatione appellarunt. Præterea si non contradixissent ? cur Synodorum Provincialium Authoritatem pro Jurium suorum defensione invocabant ? Cur toties ad Romanam Curiam recursum fecerunt, ? ut Cromerus testatur; Cur tot processus formarunt cum impensis notabilibus, contra præfato modo præsentatum* ab Aula Olszovium ? *ut retuli Articulo I. ad Annum 1671. & sequentibus. Addo: si leges (ut alibi dicit Singularius) non obligant cum non acceptantur? quomodo mos ille Stÿli Cancellariæ obligere poterit Regulares, defendentes semper pro posse Jura liberæ electionis. ?*

XI. Ducenti triginta anni grande mortalis ævi Spatium sufficiunt præscriptioni, et firmant possessionem Principũ ab immemorabili bonæ Fidei, quia Spontaneè, quâ ante Prædecessores Majestatum gaudebant, Casimiro III. delatam, ut infra patebit.

Resp. Ad XI. Ad legitimam præscriptionem præter certam Annorum Seriem, & plura alia, Canonistæ requirunt etiam bonam fidem, quam sic definiunt. Bona fides: est judicium quo sibi quis prudenter persvadet rem quam possidet esse suam, vel saltim inculpabiliter nescit esse alienam. *Vel ut alÿ definiunt*; est sincera rei alienæ ignorantia. *Et constat ex Can. si virgo. 5. quæst. 2. ubi dicitur.* Tamdiu quis bonæ fidei possessor dicitur, quamdiu se possidere ignorat (intellige invincibiliter) alienum, cum verò sciverit alienum esse, tunc malæ fidei possessor perhibetur. *Cui concordat. L. qui bona fide. 23. ff de acquirendo rerum Dominio. Hinc Jus Canonicum Statuit ad præscriptionem, non sufficere etiam longissi-*

gissimum tempus, neq; sufficere quod ab initio fides bona adfuerit, sed requiri, ut toto præscriptionis tempore eadem fides bona continuetur. Placeat ipsos textus auscultare. Quoniam Omne quod non est ex fide peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absq; fide bona Præscriptio, tam Canonica quam Civilis, cum generaliter sit omni Constitutioni atq; consvetudini derogandum, quæ absq; peccato mortali, observari non potest. *Unde Oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte conscientiam habeat rei alienæ. Cap. fin. h. t. Et Cap. sæpè. 18. de restitut, spoliat.* Qui novit se rem alienam possidere restitutioni obnoxius est; ac tandem *Cap. possess. 2. de Regula Juris in 6.* Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. Et: præscriptio interumpitur dum successu temporis supervenit mala fides. Et: non firmatur tractu temporis quod de Jure ab initio non subsistit. *Reg. Juris 18. in 6. Porro allegata â Singulario præscriptio non capio quomodo firmare potest Principum possessionem, & facere eam bonæ fidei? Cum noverint ex Jure Communi & particulari relato Art 4. & 5. Jus eligendi esse â se alienum, spectareq; de Jure ad Monachos. Præterea licet asserat spontaneè Casimiro III. delatam esse possessionem Singularius, probare tamen id nequit, maximè respectu Abbatiarum Regularium. Nam oppositum constat ex ar. 1. ubi retuli Casimiro III. denegatum esse Privilegium Apost. super collatione omniũ sacerdotiorum. & ad Annum 1504. Regulares opposuisse sese collationi Regiæ. T. q. Monachi sunt in Jure possessorio electionum, quamvis pluribus modis ab Aulicis illicitè perturbentur.*

XII. Regum Venustam Majestatem Ornat & illustrat hera præmiorum, Justitia distributiva, quâ omnes Europæ Principes â Poloniæ Regibus superantur. Jnæstimabile illud solij Regalis pretium, ac proindè ingenti Studio & conatu acrioribus nonunquam mediis & Jure Guerrico tentum & defensum â Regibus, ad mentem Statuti Regni, cujus Verba sunt: Quia tamen tanta est Multorum hominum temeritas, tanta rerum & temporum Varietas, ut nihil tam solidi obtineri ac ordinari possit, quod non turbetur & labefiat in posterum, nisi vi & potestate Principum defendatur & manuteneatur. *Tit. Spiritualis Fol. 449.*

Resp. Ad XII. *Justitiâ distributivâ præmiorum non solum Regum Majestatem, sed unumquemq; debitè præmiantem ornari, non minusq; onerari, & aggravari in Conscientia, certum est, maximè si præmians aliena velit distribuere, nec id Justitia dici posset* (cuius munus, atteſtante D. Aug. lib. 19. de civit. Dei, eſt: Jus ſuum unicuiq; tribuere.) *ut pote lædens Jus alienum. Igitur ut præmiorum distributio justa sit, juxta Canonum mentem facienda est, quæ præscribunt Sæcularibus Sæcularia danda esse, Regularibus verò Regularia cum suo Jure relinquenda.*

Ad id quod ultra dicit Singularius : *Inæstimabile illud solij Regalis pretium acrioribus nonunquam remediis & jure Gverrico tentum & defensum a Regibus. Resp. Justum est, ut Reges suam & Regni defendant fortunam, deflecteretur verò â Justitia, si manus extenderent ad distribuenda Sæcularibus ea, quæ omni Jure ad Regulares spectant ; Nec talis distributio jure Gverrico teneri aut tentari licitè potest, contra quam militat Jus Commune Ecclesiasticum, & particulare Poloniæ ; id non permittens.*

Statutum Regni â singulario allegatum, pro Regularibus est, cum enim Jura illorum validissima sint, ea tamen ambitiò multorum, (ne dicam temeritas,) perturbare & labefactare nititur, & sese jactat, igitur ut firmius solidentur, ea, vi & potestate Principum defendi contra violatores, ac manuteneri est necesse, quod supplici poplite implorant Regulares Poloniæ apud Seren. Majestatem, ut exemplo Antecessorum suorum novo Privilegio confirmet Antiqua Jura Regularium. Deindè legenti Herburtum loco citato patebit, præfatum Statutum esse contra violatores Privilegii â Clemente VII. dati loci ordinariis, aliisq; Personis Ecclesiasticis, quô illis conceditur perpetuis deinceps temporibus vicissim cum ipsa sede Apostolica per sex menses liberos (verba ſunt Statuti) *collatio Sæcularium Beneficiorum. Hinc præfati Privilegij effectus, ne â quopiam impediatur, supradicto Statuto cautum est. Ut verba Statuti docent. Sed ostendat Singularius simile Privilegium concessum*

esse

esse cuipiam super collatione Abbatiarum & Præpositurarum Regularium, & tunc casu quo Regulares sese opponerent, Statutum præfatum extendi etiam contra illos poterit. Tandem certus sit Singularius, quod nullus Regularium dicto Prilegio Ordinarijs ad instantiam Sigismundi à Pontifice concesso derogare intendit, sed omnes non nisi circa sua Jura Regularia petunt inviolabiliter & pacifice conservari.

XIII. Plusquam notum est Annalium gnaris Gruszczynium â Casimiro III. Regio & excelso Spiritu in vim supremam obfirmato ad Episcopatum Cracoviensem, Strzempinio vita functo, contra proterviam Sienninij, & Capitularia vota in Brzezium, provectum fuisse. Singula prolixè narrante Cromero & aliis fastorum scriptoribus. â Casimiri Nepote Sigismundo Augusto Jacobum Uchanscium ad Cathedram Uladislaviensem ex Chelmensi translatum, nihilosecius. Porro quo ad Abbatias sæpe nimis. Majorum memoriâ, & nostrâ singuli quibus Abbatiæ Regia liberalitate obtigerunt, hoc meritorum præmio, vigore nominationis Regiæ potiebantur ; qui secus; strenuè ut Reges decuit, repressi sunt. Coadjutoriam Gaspari Gescau Abbatis Olivensis, Joannis kostka Palatini Pomeraniæ Filium coaptatum citra Regis assensum Stephanus Rex Bathoreus per oratorem, suum Demetrium Sulicovium Archiepis. Leopoliensem apud Sixtum V. seriò impedivit. *Reincholdus Heydensteinius narrat luculenter.* Sigismundus III. Sumptis Regni fascibus, Romæ per Joannem Kuczborscium intimum â secretis, post hac Epis. Culmensem in causa Tynecensis Abbatiæ, quæ non egerit ? qualiter Baranovium electione Capitulari frustra tumidum & laborantem compescuerit ? qualiter Andream Batoreum Cardinalem in possessionem Abbatiæ Czervinensis vivente Falski Abbate seniculo in præsentia Nuntij Apostolici, Germanici Malaspinæ, & Archiepiscopi Gnesnensis Karncovij, Plocensisq; Episcopi Baranovij introduxe-

duxerit? Stanislao Sulovio in manu potenti pacificam possessionem Abbatiæ Tynecensis paraverit? Uladislaus IV. Niewiarovium Româ redeuntem, ibidem a Nepote Pontificis Innocentij X. benedictum, Abbatiâ Tremesnensi exturbaverit, & ab agmine militari captum vinctumq; deduci jusserit, & tres subindè sibi succedentes Abbates spectare & tolerare coegerit? Joannes Casimirus Piaseccium, Episcopi Præmisliensis ex fratre Nepotem, Abbatiâ Clarætumbæ exuerit? Pstrokonium Episcopum Chelmensem, ope armata Monachis nec quidquam obnitentibus Tynecum introduxerit, quis ignorat? neq; hæc vis fuit, ubi â Monasteriis vi agebatur. *Lib. 24. Fol. 554. Rer. Polon. lib. 7. fol. 238.*

Resp. Ad XIII, *Plusquam notum est, allegari hic â Singulario plurima absurda cum læsione Authoritatis Supremæ sedis Apostolicæ, sed plus adhuc nosse vellem â Singulario, an scilicet Casimirum III. non pænituerit coram Deo ejus Regij & excelsi* (ut inquis) *Spiritus? nam quod conscientiam suam læserit violando Jura Ecclesiastica cum Spiritualium Personarum gravissimo dishonore, Pontificiæ Authoritatis contemptu, &c. testis est Cromerus hanc describens dolendam historiam. Refert idem vindictam Dei super Gruszczynium, qui occasio Casimiro extitit ad depressionem libertatis Ecclesiasticæ,* & sic de ejus obitu lib 28. fol. 621. scribit: obiit vero Joannes Gruszcynius &c. cum Cracoviam â Rege vocatus venisset repentinâ correptus amentiâ, ita, ut nec procuraretur quidem sacris misteriis, consentaneum (*sunt verba Cromeri*) exactæ vitæ exitum consecutus, fuit enim. &c. (*parco sepulto, legat qui volet in fonte*) cujus ambitione Cracoviensis Diæcesis graviter, ut supra memoratum est, divexata erat. &c. *Hactenus Cromerus loco citato. Ulteriora â Singulario adducta exempla violenta, non tam probant legitimè Jus Patronatus Regium, quam Regularium consvetam de jure electionem; Contra quam violentis mediis usi Reges instinctu cupiditatis ambitiosæ ad Abbatias concurrentis, igitur esto Regularibus non modica damna causarunt, non tamen eosdem Jure electionis* in-

in perpetuum spoliarunt ; arma contra electiones liberas minus laudabili zelo parata, quis triumphum de imbellibus Monachis reportasse dixerit ? gloriosius facturos Reges crediderim, si armatam manum in defensionem Ecclesiæ contra hostes fidei & Patriæ convertissent. Omnia quæ hoc Singulari adducit Singularius lugenda potius quam legenda, prælia hæc cum Regularibus, indigna prelo, quis enim ex eo quæreret gloriam, quod rubori est coram Deo, ut potè non tutâ attentatum conscientiâ. Quod si Singularius præfatas violentias & oppressiones Regularium eô fine publica luce typi mandavit, ut ad similia accendat Regnantium pro tempore futurorum animos, excitetq; ad præfatum excelsum Spiritum ; intentum certè non consequetur, scio Reges quamvis Potentissimos decere clementiam ; Et Regna JUSTITIA & PIETATE stare, secus verô (ut inquit S. Augustinus) remotâ JUSTITIA, quid sunt Regna, nisi magna latrocinia ? *Non puto igitur ullum ex Regnantibus ad similia processurum, nisi stimulentur cupiditate & ambitione aliorum, quibus vitiis non novum est etiam optimis abuti ad pessima, & ex defensoribus infensos efficere. At justum ne esset, vi agere contra Justitiam, & quod obtineri nequit tam de Jure, quam gratiosò Pontificis Privilegiô, armati militis licentiâ attentare, ? & velle possidere Jure gladij, quod acquiri non potest pondere convictivarum de Jure, aut saltem congruentium rationum ; cum nullæ sufficientes pro parte Juris asserti â Singulario afferantur. Si quid pro illo calamitosô tempore Regulares Poloniæ armorum stimulis necessitati præpotenti dexteræ cedere debuerunt, id ut potè violentum præjudicare nequit Juri validissimo electionum liberarum, ab ipsismet Poloniæ Regibus, subsequentibus postea Annis per plurima privilegia contra insultus similes munitarum.* ut retuli Articuli V. fundamento 5. *Et tum Statutis Regni quadrinis, tum Synodalibus Constitutionibus, ac Summorum Pontificum Authoritate firmatarum ; relege præfatum Articulum totum, & veritas hic dictorum patebit.*

Præterea non bonam fidem Singularij in hoc Singulari redargu

redarguunt Annales Conventus Olivensis, cujus Archivum oppositum testatur relationi Singularij, ubi sic lego: Gasparo Geskau ordine 39. Abbati Regulari successit Joannes Koslka 40. Abbas, huic vero David Konarski 41. Adamus Trebnitz 42. Joannes Grabinski 43. &c. omnes Regulares Canonicè electi. Ex quo, aut de errore, aut de falsitate convincitur Singularius in iis, quæ de Bathoreo narravit.

XIV. Jamq; eò res processerunt, ut absq; Regia Nominatione, ne Romæ quidē tam Sæcularia quam Regularia Beneficia impetrare liceat. Assertum ex Lipscio accipe. Et certe superioribus (inquit) temporibus, usq; ad Sigismundi I. imperium, tantum is mos in curia Romana impetrandi Beneficia, tam Juris Patronatus Laicorum, quam Spiritualium invaluerat, ut etiam legibus â Serenis. Regibus Alberto & Alexandro eo nomine promulgatis, vix imò ne vix quidem prohiberi id potuerit. Prout videre est in Statutis Regni. Donec tandem Summo Studio ac labore Sigismundi I. id effectum est, quod ex præscripto Indulti â Sede Apostolica, Summoq; Pontifice Clemente VII. impetrati, nullus posthac Cortesanus, quod idem est, in Curia Romana commorans, hujusmodi Beneficia, quæ Juris Regij fuerint, tum Laicorum vel in Mensibus ab eadem Sede Apostolica Ecclesiasticis Personis gratiosè concessis impetrare præsumat. Postmodum Statuto ejusdem Regis Cracoviæ lato Anni 1540. confirmatum fuit, quo in hujusmodi Cortesanos contra præscriptum indulti superius recensiti impetrantes, gravissimæ pænæ statuuntur. Hucusq; ille. *In Decad. quæst. Public. q. 9. Num. 13. sub. Verb. Juris Patronatus.*

Resp. Ad XIV. Absq; Nominatione Regia illa Beneficia Romæ impetrari nequeunt, super quæ Regibus Poloniæ, aut concessum Privilegium Apostolicum, aut saltem quorum Nominationi non ita contrariatur Jus Commune, & Particulare Regni Poloniæ. Porro neutrum super Abbatias & Præposi-

posituras Regularium Poloniæ quadrat, ut constat ex toties dictis, & præcipuè ex Artic. 4. & 5. Hinc ipsa curia Romana volens conservare illæsa Jura Regularium Poloniæ, quæ Statuta etiam Regni firmarunt; ne eisdem per concessas aliquando justâ & gravi urgente de causa commendas fiat aliquod præjudicium, hanc in Commendarum expeditione apponere solet clausulam: quod post cessum vel decessum Commendatariorum, Monasteria ad pristinam naturam tituli reverti debeant, utq; Regulares ad Abbatias vacantes eligant sibi Abbatem Regularem, ac si nunquam commendatum fuisset Monasterium. Esto verò Regularia Beneficia in urbe impetrare cum præjudico Juris Monachorum non licere concesserim, nonnè tamen non licet viâ breviori liberæ & Canonicæ electionis absq; ulla prorsus nominatione obtinere? Sciunt Regulares antiquam praxim de Jure sibi competentem eligendi Abbates suos, quâ dum utuntur, nemini injuriam faciunt, Juri suo unicè insistentes, illiusq; exercitium quantum pro posse valent, promoventes.

Frustra ulterius trahit Singularius Privilegium Clementis VII. ad Abbatias, jam ostendi supra in refutatione Singularis 12. verbo: Deinde, *quid, & cui concessum sit per Pontificem. Regulares Poloniæ habent utiq; in favorem electionum suarum statim in limine fundationis, & præterea alia plurima tam antiquiora quam recentiora Pontificum & Regum Poloniæ Privilegia, quibus innituntur, ac proindè pœnas contra Cortesanos per Comitia Regni statutas non merentur; secus dicendum de iis Sæcularibus Clericis qui per vim timore Dei abiecto ad Abbatias Regulares irrumpere non verentur, quos Synodus pridem repræhendit, ac proindè eorundem Comitiorum Statutis cautum est,* ut nemo in Abbatem eligatur, qui non fuerit vacantis Monasterij Professus. *Vide in Sum. Num. 5. Et postea confirmatum, hâc adjectâ clausulâ:* quod si quis contra præscriptum Statutorum præsumpserit obtinere Abbatiam, talis succumbat pœnis contra Cortesanos in Jure expressis. *Ut videre est in Sum. Num. 14. lit. B.*

XV. Fulti beneplacito S. Sedis Apostolicæ Spiritualium & Sæcularium Ordinum Status Regni, reassumptis antiquioribus de Cortesanis Statutis, leges perpetuas condunt: Abbates Nobiles sunto. Reges ad Abbatias bene meritos præsentato, Episcopi post fata Abbatum Abbatias regunto, & â Rege præsentatos instituunto. Perspice Constitutiones, quæ tibi diserto & vernaculo sermone rem edisserent.

Resp. Ad XV. Ut Singularius singulariter assertum à se Jus Patronatus super Abbatias stabiliret, jam illud sedis Apostolicæ beneplacito fulcire, jam Statutis roborare laborat, sed frustra oleum & operam perdit, si (ut certum est) nunquam Authoritas Pontificia contra seipsam agit, quomodo potentiæ Sæculari potestatem concedere suo beneplacito potuit, ferendæ legis alicujus contra Jura Ecclesiastica, ad quæ regulantur & Jura Regularium? Ostendat prius Singularius (si quod habet) *beneplacitum Apostolicum favens asserto Juri Patronatûs super Præposituras Regulares & Abbatias Poloniæ; sed cum nullum extet, illud frustra ab illo petitur. Quantum attinet ad Regni Statuta, quibus restringitur libertus electionum ad certam qualitatem Personæ eligendæ, inquirendum hic merito esset, cujus motivo & solicitudine talia Statuta contra Regulares emanarunt? sed respondet pro Singulario Cromerus lib. 1. de repub. & Magistr. Polon. in Corpore Historiæ Polonicæ fol. 107. & seq in hæc verba scribens:* Ne Abbatum quidem &c. & Monasteriorum malè prospexit similis pietas & Beneficentia. Ipsi etiam superiorum temporum Episcopi, Abbates, & Sacerdotes, (adverte qui fuerint Monasteriorum Dotatores) Successoribus & posteris suis permultum addiderunt, Patrimonia sua, vel empta aliundè bona &c. adjungendo &c. Atq; hæc omnia cum ipsis adeò Personis Ecclesiasticis, Majorum legibus ac Principum benignitate immunia sunt *&c. Quo polixior autem fuit hominum in ordinem Sacrum munificentia, superioribus temporibus, hoc erant abundantiores & ipsi, qui de suo liberales erant, licet minus curæ laborisq; rei familiari impenderent.* Nunc passim in alienas donationes invaditur, longè majore Avaritiæ rapacitatisq; infamiâ, quam egestatis relevatione.

tione. Atq; id tentatur etiam, proch nefas (exclamat Cromerus) placito & Authoritate Comitiorum publicâ, quâ refrenari potius talis privatorum hominum temeritas & injustitia deberet, ut fuit refrenata antiquioribus Constitutionibus, & Magistratuum severitate, laudabiliter, juste, ac utiliter. O tempora! O mores! *Hactenus Cromerus Classicus annalium Poloniæ Scriptor. Cæterum etiam ea quæ ex Statutis allegat Singularius perpendenda. Dicit legem esse conditam:* Abbates nobiles sunto. Reges ad Abbatias benemeritos præsentato &c. *Resp.* quo ad primum. *Non ne in Statutis non legisti in particulari sub hoc verborum tenore legem;* Rex Catholicus esto. ? *Et tamen hac lege stante, nec dum corruit libera Regum Poloniæ electio. ? Pariter sentiendum de Abbatibus, Et ratio est, quia eadem Statuta præscribunt expresse eligendum præ aliis Polonum, nobilem, idoneum, lege in Sum. Num. 14. lit. A. & B. sub Sigismundo III. Statuta, & vera esse quæ dico, certo & evidenter cognosces. Resp.* quo ad secundum. *Legem non fideliter allegat Singularius, nam lex relata in Sum. Num. 14. solum vult, ut liberè electus â Monachis, post electionem denuntietur Regi. Singularius verò volens eam corrigere, dicit: Reges ad Abbatias præsentato, quod valde diversum est & aliud, quàm lex jubeat. Sed dato non concesso, quod hæc lex ita ut intendit Singularius, corrigatur, non ne non legit lege Universali Ecclesiastica sub Anathemate cautum esse* in Bulla Cænæ, *contra ferentes leges præjudiciosas libertati Ecclesiasticæ? Deinde relegat in Sum. Num. 4. Constitutionem Synodalem Anni 1542. & 1544. quid contra supradictam etiam restrictionem Statutorum Regni decreverit? ubi inter alia expresse attestatur Synodus, quod per actus contrarios fuerint dicta Regni Statuta abrogata. T. q. juxta Canonistarum Communem sensum, Leges Civiles solum possunt habere vim directivam, respectu Regularium, non verò præceptivam; quæ si exorbitent â Jure Communi Ecclesiastico, nè quidem alios Ecclesiasticos obligare possunt.*

XVI. Agebatur de abrogatione horum Regni Statutorum & legum in Synodis Provincialibus enixâ Abbatum & plebeiorum Monachorum curâ, sed prisca

ſca Conſvetudo firma ſtetit & inconcuſſa, diplomatibus â Leone X. per Joannem â Laſco, & ab Urbauo VII. per Eraſmum Ciolek Regum nomine impetratis; omnes illas de electionibus Abbatum & Plebejorum non conſtitutiones, ſed potius cohortationes, ſeu melius conſultationes & totum de electionibus titulum Lib. Conſtit. Provinc. comprehenſum, evacuavit. *Anni 1550. & 1588. & 1607.*

Reſp. Ad XVI. *Regni Statuta reſtringentia liberas electiones Monachorum abrogata eſſe per Synodos Provinciales, imò & per Summorum Pontificum Conſtitutiones, & Regum Poloniæ diplomata, patet ex Articulo 5. adquem benevolum lectorem remitto. Sed nec multum de abrogatione deſudandum erat, propter rationem â ſynodo datam, quam vide ſi placet in Sum. Num. 4. lit. A.*

Per Diplomata â Leone X. & Urbano VII. obtenta Regum nomine, evacuari Synodales Conſtitutiones de Abbatum libera electione, perperam & licentioſe aſſerit Singularius. Nam Leo X. Pontifex ad Eccleſias Cathedrales, 4. Doctores ex plebeiis aſſumendos præcipiens, & Urbanus VII. ſuper certa Beneficia Sæcularia loci ordinariis Jus præſentandi concedens, non tangunt pupillam libertatis electionum Abbatum Regularium, priſca Conſvetudine firmiſſimè ſtantium & inconcuſſarũ. Utiq; in Curia Romana exiſſet in lucem adprobandum & verificandum aſſertum Jus Patronatus, dum exprofeſſo ibidem â Procancellario Regni per ſtrepitum Juris promovebatur, ſi aliqvando extitiſſet, vel ad præſens extaret, aliquod ſuper Abbatiarum Collatione pro parte Regum Privilegium? Sed quia in rerum natura non datur, in ejus carentia poſt tot Controverſias agitatas, pars prætendens Jus aliquod ſuper Abbatias, recurſum fecit ad viam gratiæ, ſed eam non obtinuit, ut alibi jam retuli. Allegat Singularius Privilegia Pontificum, ſed non in materia Abbatiarum, legat potius pro electionibus liberis Regularium, quæ retuli Art. 5. fund. 3. Verbo: Demum. *Item ibidem fund. 4. & 5. Et ſi pervicax non fuerit ſentiet oppoſitum.*

Constitutiones Synodales dum appellat esse Cohortationes, seu melius (ut seipsum pejus corrigit) *consultationes, crassius hic ejus error patet, idem enim videtur sentire de Trid. Concilio, cui insistens Synodus, ea de electionibus statuit Regularium, quæ Tridentinum præcepit, ut videre est in Sum. Num 10.*

Deinde nonne non notum Singulario, præfatam Synodum approbatam esse à Gregorio XIII. Ut retuli in Sum. Num. 11. quo igitur fundamento ejus Constitutiones evacuatæ & abrogatæ esse poterunt ? Si mi Singulari Ecclesiasticus es ? Cur plenam Authoritatem Ecclesiæ sic evacuas ? Si sæcularis, cur non obtemperas ? dato quod Synodus solum consulat, quia tamen conformiter ad mentem Tridentini, observantiam Juris Communis commendat, cur igitur non servanda ? Cur ejus consilia non sequenda ? Dum Synodales constitutiones de electione Abbatum Regularium evacuare contendis, in vacuum laboras, eò enim ipso evacuare intendis plenissima Juris Communis volumina, electiones præfatas præscribentia. Præterea : cur per enumerara plurimorum annorum Statuta dicis evacuari Synodales Constitutiones non verò è contra,? relege dicta Artic. 1. & invenies exactiorem de uno quoq; Anno connotationem Statutorum Regni, & immediatè subsequentium Synodalium Constitutionum Statutis Regni sese directè opponentium.

XVII. Talis Consvetudo etiam Privilegia evacuat, uti expertus Juris Episcopus Præmysliensis Paulus Piaseccius tradit. Sed maximè, inquit, circa ista Privilegia advertendum est, an fuerint in Usu, in loco, ubi controvertitur. Si enim adesset Consvetudo contraria, illa derogaret etiam talibus privilegiis, & esset tenenda. In Praxi Episc. de priv. Regul. par. 2. C. 3. ar. 6. num. 60.

Resp. Ad XVII, Errat ut consvevit Singularius, etiam dum de consvetudine loquitur. Nonne non legit ? Reg. Posses. de reg. Jur. in 6. quod Actus per quos consvetudo introducitur, bona fide faciendi sint. ? *Deinde : quod ex communi omnium DD. sensu, indubio, an consvetudo legitimè introducta sit,? non obligat. Multo minus si illegitimè introducitur ; Et vulgatam*

gatam Regulam Juris : Non firmatur tractu temporis, quod de Jure á priore non subsistit. *Legit præterea* (ut supono ,) *quod sæpe â pluribus corruptela , indebitè decoratur specioso titulo consvetudinis. &c:*

Dicit Singularius priscam & firmam stetisse Consvetudinem, quæ Privilegia Regularium evacuat. Sed vellem hic exploratam habere ejus mentem , quid in præsenti consvetudinem vocet ? Si violentam perturbationem electionum Regularium, ? *hujus quidem consvetudinem, ambitio & cupiditas consveta alienum appetere, vult inducere, sed non potest, stante in oppositum Jure Communi pro Regularibus.* Sed supposito etiam *gratis , quod sit jam inducta, non potest evacuare Jura Regularium. Alias sequeretur, quod etiam Consvetudo injuriandi proximum , appetendi & appropriandi sibi aliena, violandi Jus Commune, imò consvetudo ipsa peccandi, peierandi &c. evacuaret Jus Divinum, Jus Ecclesiasticum, Jus naturale &c. firmaretq; è contrario, Jus ad injuriandum, ad appropriandum, ad commune Eccles. & Divinum Jus violandum, imò ad quodvis peccatum ; cum tamen id nequeat recta ratione admitti. Deindè reflectere se debuit, antequam hæc scripisset Singularius , an tali (quam allegat) consvetudini, non consveverunt Poloniæ Regulares sese cum suis Juribus opponere? & conformiter ad ea Abbates Regulares eligere ? quæ certè Regularium legitima consvetudo , quantùm dese firmissima & constans, firmat eò magis Jura eorum, aliamq; violentam, (si quæ introducitur) consvetudinem evacuat , & in desvetudinem abire facit. Proindè habitus ille , quem Singularius formare consvevit contra Jura Regularium præscribentia uniformem modum Ordinandorum Abbatum , irregularis est, & quia non quadrat pro Regularibus Poloniæ, ideò utuntur usitato de Jure habitu eligendi. Quodsi verò Singularius dicat & velit esse, consvetudinem* recommendandi â Regnantibus *eligendum deinceps liberè à Monachis. ? hanc Regulares non præjudicare Juribus suis consentiunt, nec per eam evacuari sua privilegia recognoscunt. Quæ et qualis consvetudo in præsenti materia sit tenenda ;*

nenda; & quæ non? rectius hac dere illi Juris periti docent, qui non sunt interessati, *quorum sensum conformem Juri Communi, jam præmisi statim ab initio responsionis ad præsens Singulare; & sequi opto potius, præ illo, quem citat Singularius.*

XVIII. Cum impetrarentur â Summis Pontificibus Diplomata, cum conderentur Statuta, & leges, cum laboraretur in Synodis, in æstu Controversiarum, consvetudo immarcescibilis viguit, Abbates gente nobiles, â Regibus nominatos Abbatiis præfuisse, ipsis Monasteriorum cætibus sic volentibus, Electi cum scitu lociordinariorum prout lex lata. Pro veritate & in comprobationem relatorum, unicum Episcopatus Posnanien. stet Archivum, quanquam & Uladislavien. plura suppeditat, quæ subycere hic fastidium vetat. Ab An: 1442. ad An. 1612. & infra ex Nominatione Regia & intimatione Episcoporum Abbates electos fuisse constat. Namq; Anno præmemorato die 28. Decemb. Nicolaus Abbas Lubinen. in manus Andreæ Episcopi Posnanien. Abbatiam resignavit, & de novo Abbate provideri postulavit. An: 1552. Petrus Kamienski Bledzevien. & Joannes Bielecki, cum Consensu Benedicti Jzbinski Episcopi. An: 1558. Stanislaus Wierzbinski Paradisien: cum consensn Czarnkovij & An: 1560. Joannes Wegorzewski Præmeten. Anno 1570. Lucas Koscielecki Lubinen. cum consensu Konarij Episcopi. An. 1577. Joan. Bronikowski. An. 1579. Andreas Koscielecki. Anno. 1594. Sebastianus Grabowiecki Bledzevien. cum consensu Lucæ Koscielecki. Anno 1597. Joannes Brzeznicki Præmeten. An. 1604. Jacobus Lempicki Lubinen. & Christophorus Karsnicki cum Consensu Gosliccij. Anno 1607. Stephanus Charbicki Præmet. Joannes Dluski Bledzov: Abbates, ex nominatione Regia electi & constituti, usq; ad Constitutionem hoc eodem Anno 1607. latam finaliter, ac postmodum successivè instituti & introducti fuere. Ita res, prisca con-

svetu-

ſvetudine & legibus firmata obtinuit, & hodiè etiamcum tenet.

Reſp. Ad XVIII. Æſtum controverſiarum, de Jure eligendi Abbates Regulares, certum eſt, non excitaſſe Monachos, ſed fervida aliorum Cupiditas ardentium ſemper majore ſiti, ut ex Synodis Poloniæ conſtat, illam, ut Beneficia Regularia extinguerent, capiditas ex ſcintilla flammam fecit, hactenus non plenè extinctam, ſed ſcio benè quod æſtuantia cupiditate pectora, nunquam dicunt, velut ignis ſufficit, cæterum Abbatiæ & Præpoſituræ Regulares quomodo ei ire poſſunt in pabulum, ? cum ſint materia indiſpoſita, approximationemq; ad eas, Jus Commune & Particulare, ac plura alia vetant.

Immarceſcibilem Conſvetudinem viguiſſe nominandi Abbates in tanto æſtu controverſiarum, fruſtra aſſerit Singularius, fieri ne potuit, ut Regularium cætus (ut dicis) volentes, eam probaſſent, ante impoſitum per Decreta Pontificia hisce controverſiis finem, & ante latam definitivam ſententiam Supremi arbitri & Judicis omnium omnino controverſiarum? Ipſe æſtus controverſiarum (quem protunc fuiſſe dicit Singularius) nonne clarè ſatis demonſtrat oppoſitum.? Quodſi verò pendente lite in urbe, per vim quispiam intrudebatur ad Abbatias (dequo necdum ſatis conſtat) id caſu quo fuit, an licitè eſt attentatum, conſulendi Juris periti, ego interim præſcindo. Nihilominus tamen hoc non obſtante certum eſt, quod apud Regulares, etiam ſub hoc æſtu, exiſtentes in poſſeſſione Juris ſui, viguit conſvetudo immarceſcibilis electionum, quamvis eas perturbaſſent plurimi, & nunc ex Dei gratia viget, ut patet ex Articulo 7.

In Archivo perluſtrando Epiſcopatûs Poſnanien. & Uladislavien. fruſtra operam perdit Singularius, non inveniet, nec verificabit ex eis, quod intendit. Oſtendat, ut toties expeto Privilegium Apoſtolicum in limine fundationis pro Jure Patronatus ſuper Abbatias, & æſtum Controverſiarum mox extinguet legitimè.

Cætera quæ in hoc Singulari adducuntur de Abbatibus, tempus examinare in particulari ſingula non permittit. Univer-

 ſaliter

versaliter dico : vel illi Abbates enumerati Regulares fuerunt, vel non, ? si Regulares, ? nondubium est, viâ electionis, vel viâ provisionis Apostolicæ obtinuisse eos Abbatias ; Si Commendatarij ? viâ dispensationis Apostolicæ Sedis ; an vero intervenerit, vel non, recommendatio Aulæ, hoc examinare superfluum ; Nihilominus nominatio Regia quod protunc in usu non fuerit, demonstrat illa ipsa, quam allegas, constitutio 1607. lata, inqua & in anterioribus aliis, nihil legitur de nominatione Regia præmittenda electioni, sed solum quod ad Abbatias sui Ordinis Professi, nobiles, capaces, libere (nota signanter) *â Monachis eligantur, & ne Abbatiæ uniantur Episcopatibus, sub pœna contra Cortesanos lata.* ut videre est *in Sum. Num. 14. lit. B. Quod si verò aliquando quidpiam usurpativè & violenter attentatum est, palam est id fuisse contra leges, nec ab eis firmitatem quampiam obtinere posse, cum talia Jus Commune infirma esse testetur.*

XIX. Scis ? quibus sedes Episcopales & Curules Senatorios designarit in Polonia Leo X. in Bulla Provinciali Lib. 1. Constit. Synod. inserta & recepta. Qui inquit, Consilio, verbo, Authoritate, & exemplo præsint. Pari passu Abbates, cæteriq; Prælati Sæculares, cum in Procerum consessu censoriam dignitatem, & vicariam Regis potestatem sub Judiciis Tribunalitiis gerunt, generis Prosapiâ pares sint, est necesse.

Resp. Ad XIX. scientiâ de designatione Summi Pontificis ad sedes Episcopales & Curules Senatorios, abutitur Singularius, contra electiones Prælatorum Regularium ; Non juxta mentem Concilij Triden. (ne dicam, quod etiam contra suam) id asserit, melius hâc de re docet Concilium præfatum sess. 25. De Regul. Cap. 6. ubi districtè præcipit Regulares Prælatos eligi & designari debere â Monachis per vota secreta.

Contra paritatem, quam facit ab Episcopis designatis ab Aula ad Abbates designandos, datæ jam plurimæ & solidæ disparitates in responsione ad Singulare 8. *verbo :* quodsi. *ad quas remito lectorem.*

Fru-

Frustra demum Singularius ad finem hujus Singularis enumerat aliquas qualitates, earumq; necessitatem esse dicit in Abbatibus; sciunt Monachi ex Cap. 2. Regulæ S. Bened. qualis debeat esse Abbas? quod pensare non ad Singularij Caput, sed ad Capitula eligentium Monachorum singulariter spectat. Jam verò quas qualitates in aliis Primis (ut inquit Cromerus) *Sacerdotiis S. Paulus requirat, ? patet ex ejus Epist. ad Tymoth. Cap. 3. ubi dicit ;* oportet ergo &c: *Et ad Tytum Cap. 1. ad quas necessario habendas, S. Greg. Papa Paternè adhortatur hom. 17. in Evang. quæ incipit ;* Est aliquid fratres charissimi quodme &c. affligit, &c. *Ea opto Singularius legat, & plurima longè utiliora ac necessariò scienda discet, quam in hoc suo Singulari docet.*

XX. Quamobrem Constitutiones illæ, seu potius Consultationes de electionibus Abbatum evanidæ, antiquatæ, nunquam ad usum aut in praxim reductæ, in desvetudinem abierunt, prout ex posterioribus Constitutionibus patet: de Abbatijs Vacantibus, de præsidentia electionum, non absq; Regis nominatione intimandarum & peragendarum, de Judicibus Regni Tribunalis, de interessentia Episcoporum Comitijs, â quibus illæ vetustiores suffocatæ, & ut gliscenti obviaretur hæresi ab Episcopis ævi subsequentis sublatæ.

Resp. Ad XX. Quod Constitutiones de electionibus Abbatum vocet singularius Consultationes, accepto interim; si ex eò illas sic nominat, quia per eas Sedes Apostolica & Synodi Provinciales, consulunt paci & tranquillitati Regularium, & quia eas, prævio non nisi consilio & maturâ deliberatione præhabitâ, conformiter ad Juris Communis dispositionem statuunt. Illarum tamen observantiam, non putet Singularius (ut fortè hactenus putavit) consilij solum, sed sciat procerto de præcepto esse. Nam lex præsertim Pontificia, jubet, non disputat, aut consulit. Præterea quæro: cur dictam denominationem consultationis non appingit potius Statutis Regni, restringentibus electiones liberas Monachorum? quæ ratio pro uno, & non pro altero? Scio

benè,

bene, cui bono per eam denominationem consulat Singularius, sed noverit, etiam eum, qui consulit contra libertatem Ecclesiasticam, obnoxium esse peccato, imò & ille qui consulit etiam bona fide, non adhibitâ tamen diligentiâ ad indagandam veritatem, peccat graviter ut inquit Navarrus Cap. 14. Num. 31. Consultabatur de præsenti Abbatiarum materia, (ut refert Zaluscius tom. 1. par 2. fol. ultimo ad Annum 1695.) sed punctum illius consultationis 16. (quod retuli supra Articulo 3. verbo: præterea.) realitatem Juris Regularium manifestam omnibus facit, & indisputabilem.

Deindè Constitutiones de Abbatum electione vocat Singularius, evanidas, antiquatas, nunquam ad usum & praxim reductas, ac in desvetudinem abiisse; sed desvetudinem hanc non probat consveto suo more, nec probare potest, stante continuâ praxi ad hæc usq; tempora eligendi Abbates Regulares de medio Monachorū, & manutentione electorum in Curia Romana, ad quam adversi Regularium Juribus provocant toties, volentes reddere evanidas electiones Regularium, non tamen prævalere possunt, militante pro parte Regularium Jure Communi, aliisq; jam toties allegatis, obstantibus. Ut evanidas efficiat Singularius Constitutiones faventes Electionibus Monachorū, prius necessè est, ut reddat evanidum Jus Commune Ecclesiasticum, sed quia hoc repugnat, Ergo & illud.

Per posteriores constitutiones dicit sublatas esse priores, sed ostendat vel unicam, aut Apostolicæ sedis, aut Synodalem, primis non consonam. Si per sublationem liberæ electionis intendit stabilire Commendas, legat Concily Trid. de Regul. ses. 25. C. 21. abrogantis intentum.

Ad Constitutiones, quarum ulterius mentionem facit Singularius, nec citat ex quo nam fonte emanarint; Resp. Si eas Sæcularis tulit Potestas? jam ne ex eò Juri Communi Ecclesiastico vis & robur suum ablatum? Si Ecclesiastica? de hoc non constat, indigitet prius Singularius, est necesse.

Demum, ut gliscenti (inquit Singularius) obviaretur hæresi, vetustiores constitutiones suffocatæ & sublatæ sunt. Ad quod Resp. Ergo ne sublatis

latis Constitutionibus electionum hæreses extirpari putas ? erronea assertio tua fidem non habet, id nullus Regularium credere potest, absq; tamen vel minima nota hæreseos. Regulares Abbates (ut video) vult extirpare Singularius , non hæreses, si in Monasteriis gliscere putat hæresim, errat ; Regularium Clausuræ non admittunt , multo minus eorum Capitula eligunt hæreticos in Abbates ; efficaciora licet obvia svadeo , si mi Singulari verè vis nocere hæreticis,? legem Regni procurra contra eorum tolerantiam , & tunc forte hæresi obviabis. Bonum Religionis propagandæ ita intendat Singularius, ne approbatis à sede Apost. Religiosorũ institutis mala intentet, non enim (juxta, axioma commune) *sunt facienda mala, ut eveniant bona.*

XXI. Neq; Corruptela dici potest illa Consvetudo, quam sana ratio conservandæ Religionis Catholicæ, & totius Reipub. integritatis afferendæ invexit. Cum non aliter Hæreticis & Schismaticis in Regno præpotentibus resisti , bona munificâ Principum manu & Procerum liberalitate collata ab invasionibus defendi, â licentia & direptione militari protegi , ab oneribus bellicis vindicari, immunitatem locis sacris & Personis Ecclesiasticis servientem inconcussam servari , extremis Ecclesiæ & Reipub. casibus subveniri potuerit, nisi sanguine præpotentes , cognationibus validi, opulenti opulentum tuerentur Patrimonium Christi.

Resp. Ad XXI. Non dici solùm, sed & probari potest, imo jam supra probatum est , talem consvetudinem corruptelam esse, quæ intendit Jus Ecclesiasticum corrumpere , & oppressionem afferre Juri Regularium. Conservandæ Religionis Catholicæ prætextu , tegit conatus suos Singularius , & sub hoc palliolo spoliare intendit Religiones plurimas Jure eligendi Abbates, idq; dicit sanâ ratione invehi. Ad quod respondere superfluum, hic enim quivis facile deprehendit Singularij palpabilem errorem (ne dicam malitiam) à recta ratione deviantem. Sanane ratio id svadere potest , ut infirma reddantur Jura Regulari-

gularium? Religiosorum Capitula velle esse sine capite Regulari, est velle turpia monstra facere, est velle Regulare gubernium eum sua observantia exanimare, adquam Prælati Regularium cæteris verbo & exemplo præire obligantur. Undè iam inaudita contra benèmeritos Regulares indignatio? Quis ignorat, qualia, & quanta bona ex Religionibus proveniant? Nonne in multiplicatis Ordinibus Regularium, velut in pluribus fulcris, Catholica Ecclesia, non validius sustentatur? nonnè eorum Apostolico zelo & labore fides non magis propagatur? Nonne studium & opera multarum Religiosarum Personarum in confutandis erroribus hæreticorum non plus proficit? & prospicit extirpandis? si his fidem negat Singularius, convictum se noverit ab ipso hæresiarcha Luthero, qui plurima contra Monachorum Statum ex odio hallucinari ausus, ad extremum eorum doctis scriptis, errores suos prementibus, graviter se convictum sentiens, exclamare tandem ore impio non semel auditus: tolle Thomam & dissipabo Ecclesiam. Neq; conservandæ integritatis Reipub. ratio, *ac si Statistica, juvat ad tollendas electiones Regularium, nam illam tunc tantum verè conservandam dixerim, dum unusquisq; in Repub. integritatate suorum Jurium pacificè uti permittetur.*

Resisti hæreticis & Schismaticis aliter non posse, *dicit Singularius*, nisi ut Patrimonium Christi opulenti tueantur. *Sed fortè dixisse voluerat, nisi ut Patrimonia Christi ab opulentis teneantur.* Ad quod Resp. *Inane telum est ad explodendam hæresim, quod suggerit opulentia; si Vati credimus, ? hic testatur:* Auro pulsam esse fidem, auro venalia Regna. *Hinc hæreticorum pertinacia auro ab errore flecti non poterit, sed eò magis â fide propulsari. Nisi rationibus (auxiliante Deo) convincat Singularius hæreticos, certè auro non expugnabit errores. Demum si ejus suppositum rationabile est, sequetur jam ei uni omnia Beneficia Poloniæ conferenda esse, ut validius oppugnet hæresim, cæterum id non permittunt Theologi, docentes:* hæresim formalem esse errorem in intellectu contra fidem, cui pertinaciter adhæret quispiam fide susceptâ. *Ita Com. Zuar. Bec. C. 14. qv. 2. Porro talem errorem velle aurea Casside expugnare, est prorsus in cassum operari. Non deest utiq; Poloniæ armata manus,*

nus, cui etiam Regularium bona sat magna solvunt stipendia, & tamen hâc existente, pravitas hæreticorum non tollitur, sed hactenus toleratur. Utiliora consilia pro extirpanda hæresi sumenda sunt, quæ pridem Synodus Provincialis proposuit, in suis Constitutionibus. lib. 4. fol. 116. Deinde Singularius dicit necessitatem (ut jam clarè proferam) Commendarum, ut bona Spiritualia defendantur ab invasionibus, à direptione, & à licentia militari protegantur. *Ad quod Resp. defensorem vult agere Singularius contra licentiam militarem &c: per licentiosam invasionem Abbatiarum & Præpositurarum Regularium, volens prorsus excludere ab eisdem Regulares. Ergonè, miles ne rapiat, sibi vult totum dari Singularius, ? tene quod tuum est, Regulares tali defensione tueri, est opprimere. Quid olim profuit Regularibus Regni Sveciæ, quod in suam possessionem, sub prætextu defensionis Rex Gustavus eorum bona acceperit, ? benè docent Historici.*

Immunitatem item locis Sacris & Personis Ecclesiasticis servientem, inconcussam servarè vult, ut video Singularius, per læsionem immunitatis Regularium, hæc ne est sana ratio ? appetitus inordinatus Abbatiarum, perturbavit (ut palam sit ex dictis ejus) sensum & rationem Singularij.

Tandem pro finali inquit, hanc esse (intellige Commendarum) necessitatem, ut sanguine præpotentes &c: tueantur Patrimonium Christi. *Cui Resp. Omnia Monasteriorum bona esse Christi Patrimonia, nemo est qui nesciat, hæc dum tueri vult per Commendas Singularius, non defensorem agit, sed oppressorem Regularium; si defensor dici & esse velis Patrimonij Christi, caveas ne sis inquus aggressor Justitiæ & Juris Communis violator ? alias hostem te Regularium esse monstrabis, non tutorem, nisi forte tuitionem esse dixeris, Abbatiarum in Commodum tui itionem. Satis defensionis tunc præstiturum Regularibus crediderim Singularium, si eorum Jura nec ipse lædat, nec ab ullo alio violari permittat, vel si eam defensionem recusat Singularius, saltem scriptis suis non offendat Regulares, desinat Jura eorum lacessere, cesset cavillari mordaci calamo &c: & jam defendet satis: Nonne non implorarunt Regulares Poloniæ defensionem in Provincialibus*

Sinodis,

Synodis,? quæ postea ad eam præstandam obligarunt Episcopos, nec tamen is subsecutus effectus, ac proindè nec præsentibus Singularij promissis adhibenda fides. Quodsi vero Singularius putet Patrimonium Christi non posse aliter defendi, nisi fortè brachio Juris Patronatûs asserti, sciat talem defensionem â Pijs Fundatoribus sub interminatione Divini Judicij esse vetitam, ut retuli Articulo 5. Si Regulares tueri non possunt, nisi â sangvine præpotenti (ut inquis) cognationibus valido, Opulento &c. Regularibus hæc Cura relinquenda, sollicitus es (ut video mi Singulari) & turbaris circa plurima (intellige beneficia) porro unum tantum est necessarium. Regularibus pridem Pius 5. (ut perhibet Bulla Greg. XIII.) facultatem concessit eligere sibi Conservatores, qui certè efficacioris defensionis præsidio tuebuntur (ut non dubito) Jura eorum; sic enim defendendos Regulares præcipit Justitia, ut non impugnetur Jus Commune, defensionem promittenti Singulario, ex dictis ea resultat ad considerandum reflexio, ne defensorem agens, unus sit contra omnes.

XXII. Jus Patronatûs res Spiritualis, Sæcularibus Personis ab Ecclesia Dei concessa non aliam ob causam, nisi ut egestate pressis subveniretur Patronis. Crediderim morale fuisse ultra lucrum animæ, cuiq; Abbatiarum Fundatori, ut fatiscentes Familiæ amplo & copioso reditu earundem relevarentur, & nobilium surculi eruditionis & literaturæ subsidiis utilitati Reipub. succreturi expolientur, idonei postmodum toga sagoq; bellisq; gerendis. Adverte verba Statuti: tit. *Spiritualis.* Cum magna pars (inquit) Reipub. nostræ in Ordine & Statu Ecclesiastico consistat, Ecclesiæq; Regni nostri per antecessores nostros sint ampliter dotatæ, tum ad Divinum cultum peragendum, tum etiam ad viros literatos & idoneos, maximè vero nobiles promovendos, quorum pauci essent, quibus, & animus vel facultas esset ad literas incumbendi, & alia studia, per quæ emergitur sectandi, nisi bona Ecclesiastica, non solum facultatem vivendi, sed etiam opem multis se et suos sublevandi præstarent.

Undè

Undè nobilitas Regni quæ potiſſima eſt iſtius Regni portio, & cujus Domus & Familiæ, partim multiplicatione prolis, partim etiam aliis eventibus plerumq; extenuari ſolent, præcipuum habeat ſtatus & provectionis ſuæ ſubſidium & adjumentum, ac cum ſucceſſu temporis multi indigni homines variis artibus & præſertim Romanis impetrationibus ſeſe ad ſacerdotia ingererent, ac illa viris dignis ac idoneis præriperent; Anteceſſores Noſtri multiplicatis Statutis & pænis graviſſimis, collationes ſuas, & ſubditorum ſuorum Sæcularium, aſſeruerunt ac defenderunt.

Reſp. Ad XXII. Nec hic cum aliis tenet Singularius, plurimi enim id negant, licet non deſint, qui ſentiant, Jus Patronatus partim eſſe Spirituale, partim temporale, ſi quis non credit dictis, Authores de Canonibus tractantes revideat.

Quod autem ulterius Singularius dicit, acſi Jus Patronatus non aliam ob cauſam ab Eccleſia reſpectu aliquorum Beneficiorum conceſſum ſit Sæcularibus, niſi ut egeſtate preſſis ſubveniatur Patronis. Id ſimpliciter negatur. Alius eſt longè Juris Patronatus finis, ut inquit P. Viva S. J. in opuſculo morali, Cardinali Pignatelli Archiepiſ: Neopolitano dicato. Qu. 4. Art. 1. de Jure Patronatus, ubi ſic hac de re diſſerit: Poteſtas præſentandi aliquem ad Beneficium eatenus concedi ſolet, ut fideles alliciantur ad pietatis opera, & ad dandum novæ Eccleſiæ fundum, aut ad Eccleſiam ædificandam, aut ad illam dotandam; *Eccè finis longe diverſus. Eſto certum ſit, quod caſu quo Patronus in magnam egeſtatem deveniat, debeantur illi alimenta juxta ſuam conditionem ex ſuperfluis Eccleſiæ. Sed quis quæſo ex habentibus legitimè Præfatum Jus Patronatus in Polonia, ad talem pervenit egeſtatem?*

Nihilominus aſſertum ſuum ut probare ſe demonſtret Singularius ſic proſequitur: Crediderim morale fuiſſe ultra lucrum animæ &c. *lege in ipſo Singulari. Cui repono: Credit, quod vellet verum eſſe Singularius, ſed fides ejus revelatione caret, niſi fortè caro & ſangvis revelaverit illi &c: Fides ejus, quâ ſe dicit credere, ſolum opinio Singularij (ne dicam error) eſt. Fundatores*

e. g. Abbatiarum , ſicut nullū Jus Patronatus ſibi reſervarunt, ita de relevandis Familiis ex reditibus earum ne quidem ſomniarunt ; Improba opinio Singularij improbabilis redditur ex allegato Regni Statuto tit. Spirituales. Nam illi Statuto, quoad præſentem materiam oppoſitum decrevit poſteriori ſuo Decreto Concil. Triden. ſic ſeſſ. 25. Cap. 1. de Refor. definiens de proventibus Epiſcopalibus : Qui Epiſcopale miniſterium ſuſcipiunt, quæ ſuæ ſint partes agnoſcant, ac ſe non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, ſed ad labores & ſollicitudines pro Dei gloria vocatos eſſe intelligant, &c. Sancta Synodus omnino eis interdicit (*adverte non Conſilij eſſe ſed præcepti*) ne ex reditibus Eccleſiæ Conſangvineos , familiaresve ſuos augere ſtudeant, cum & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, Conſanguineis donent, ſed ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant &c. quæ verò de Epiſcopis dicta ſunt , eadem obſervari ab omnibus , tam Sæcularia quam Regularia Beneficia tenentibus , imo ea & ad Cardinales pertinere, decernit. &c. *Ex quibus Trid. verbis convincitur erroris , falſa opinio Singularij , qui conſultius eſt, ut potius credat Tridentino Concilio , quam ſuo capricello. Tridentino conſonat D. Bernardus ſuper illud : ecce nos reliquimus omnia. Tom. 4. ſic omnibus inculcans:* Non extollat clericus de facultatibus Eccleſiæ Conſanguineos ſuos, aut neptes, (ne filias dixerim) nuptui tradat, res pauperum non pauperibus dare, par ſacrilegii crimen eſſe dignoſcitur. *Ita mellifluus Doctor, non ſine tamen aculeo. Deindè Statutū illud Regni quod allegat Singularius, utiq; liberas de Jure Regularium electiones non impugnat, utquid ergo à Singulario extenditur ad Abbatias.? T. q. Erroneum ejus ſenſum cui tam affectatè adhæret, ſatis evidenter convincunt ipſiſſima Fundatorum inſtrumenta relata Artic. 5. Fundamen: 3. Proculdubio Fundatores Monaſteriorum in Polonia pro iis , quæ Regularibus primitivè contulerunt , lucro animarum ſuarum & copioſa in Cælis mercede contenti ſunt ; nec Monaſteria fundarunt pro ditandis Familiis, ſed pro ſervis Dei alendis, ut eorum orationibus, mortificationibus, vigiliis, jejuniis, & aliis piis operibus Deus placatus, neceſſitatibus Eccleſiæ & Regni opituletur. &c.*

Multiplicationi prolis & Familiæ, velle provideri ex bonis Regularium, eſt contradicere communi Regulæ Juris quæ dicit : Semel Deo dicatum, non eſt amplius ad prophanos uſus transferendum. *Pro-*

vidit

vidit jam pridem prædictæ multiplicationi, Regni Statutum; dum cavit, ut nobili habenti 10. filios, ſubveniatur collatione vacantis Staroſtiæ. Jam verò Singularius provideri illis cupit de proventibus Eccleſiaſticis, neſciens quod (juxta Navarrum,) prodiga largitio de reditibus bonorum Eccleſiaſticorum peccati mortalis reatum redoleat. Singularium (quandoquidem in ſuo ſenſu variat) non eſſe audiendum cenſeo. Recole illum ſupra Patrimonium Chriſti ſe defenſurum promiſiſſe à militibus, & jam illud diſpensando prodigè in Familias, Patronum vult agere amore carnis & ſanguinis, Petrinum ſe eſſe oblitus Juribus Eccleſiaſticis obligatum. Advertat hic quæſo benevolus lector, quomodo Singularius more Prothæi formas ſe vertat in omnes, ut ſub his pluribus ſpecioſis titulis, ſaltem unô acquirat Abbatias. Hinc, nunc allegat inſufficientiâ ad reſiſtendum Hæreticis, nunc indigentiam ſubveniendi familiis, nunc neceſſitatem providendi multiplicationi prolis Sæcularium ex Statuto deducit, vultq; omnes ſpirare ſecum in unum, contra Abbatias Regularium, immemor quod Patrimonium Chriſti, famulorum ejus eſt, non Familiarum, & ſoli fæcunditati Religioſarum virtutum, non vero multiplicatæ proli dicatum. Huc ſpectat quod ex Cromero retuli de fundatoribus, in reſponſione ad Singulare 15. ubi diſces, quod qui de ſuo in Ordines ſacros liberales erant, eò plus abundabant & ipſi, licet minus curæ laboriſq; rei familiari impenderent, nunc vero &c. relege ibi allegata.

Pro finali hujus reſponſionis, addo: Injurius vis eſſe mi Singulari Familiis, dum eas cupis ditare ex reditibus Eccleſiæ, ſi hujus aſſerti deſideras fundamentum,? lege in Sum. Num. 37. & doceberis.

XXIII. Mixtus eſt in Regno Poloniæ Reipub. Status, longè diverſa ab aliis Rebus pub. facie, ſubſellia in Senatu & in Judiciis Regni Tribunalitiis ſpirituales primi cæpêre, & ubi deſunt multa deſunt. In ea dignitate, pro dignitate, qua ratione muniis ſufficerent, cum equos famulitium, ſupellectilem, commeatum alere, ſumptibus quotidianis exhauriri, curis in publicum impenſis, dome-

stica deserere; aliis inserviendo consumi, aliorumq; officio sibi officere, extra seipsum vivere, pene sint adstricti.

Resp. Ad XXIII. *Singularius hoc singulari vult miscere sacra prophanis; hinc ut Saecularibus officiis adjungat Abbatias, aliis iterum coloribus pingit verba & fingit necessitatē Commendarum in Polonia; Status Polonae Reipub. remonstrat externam faciem, ut ex ea, mentis suae arcana palam faciat, quae pridem concepit de Abbatiis Regularium. Subsellia quae Clerus Saecularis in Senatu & in Tribunali Regni capit, enumerat, vultq; Spirituales Clericos etiam in Abbatiis locare, dum dicit:* ubi desunt, multa desunt. *Sed id quia non probat, auscultet saltem quid ei loco responsionis dicat Seneca:* Avaritiae tam multum deest quod habet, quàm quod non habet. *Cui appono: Quaerit Singularius Commēdas ad Abbatias, sed hae ubi adsunt, multum deest. Notum est ex Jure Canonico & Synodis Poloniae, quam magna incommoda sequuntur Commendas, imò ipsum etiam Tridcn. Conciliū defectus non modicos ex eis promanare testatur. Sess. 25. Cap. 21. de Regul. Quippè,* ubi adsunt, *plerumq; deest observantia, deest suus legitimus gregi Pastor, deest fabrica, deest suus Ecclesiis nitor, ac propterea imminuitur ordinariè Cultus Divinus &c: quam verò multa mala praeterea adsunt, numera si potes,? ea Romana Curia melius novit, quam explicari possint. Omnia in iliade expressit Trid. loco citato, attestans quod* ex Commendis Monasteria non levia patiantur, tam in spiritualibus quam in temporalibus detrimenta.

In eis Dignitatibus (quas refert Singularius) constitutus Saecularis Clerus Poloniae, dignum ne, & justum est, ut Regularium jura violet? Si cum Senatoribus gestat muricem,? non vermem conscientiae foveat, qui eum pro violatione Jurium Regularium rodat. Si induit purpuram? non spoliet absq; rubore Regulares antiquis suis praerogativis, si in Tribunali Regni subsellium tenet,? contra insontes non vibret gladium. Si est causarum arbiter? se ipsum disjudicet, & ne condemnet, scripta sua expurget. Justum ne est & rationi consonum, quod proponit calamo Singularij.?

Muniis suis in ea dignitate, pro dignitate non posse se sufficere,

cere, absq; adminiculo proventuum Abbatialium improbabile est. Et cur tot plurimi Anteriores iisdem muniis adstricti suffecêre? Spirituales adstringit Singularius ad equos, famulitium, supellectilem, commeatum ve fovendum, & similia, sed nimis laxè; nam hac de causa, vult eos solutos esse ab observatione Juris communis Ecclesiastici, contra mentem Concilij Trident; permittit eos non servare Justitiam, dum injustè Regularium Abbatias in eorum comitatum adaptat. Sed æquum ne est, ut pro Sæcularium Prælatorum equitatu, pro eorum pompis & vanitatibus ac mero luxu, reditus abeant Monachorum? Hæcne fuit, aut esse potuit mens pia Fundatorum? Falsa opinione metitur Singularius necessitatem, moderatione rationis ponderanda est, & servatâ in omnibus commendatâ â Concilio Trid. ses. 25. Cap. 1. de Refor. modestâ suppellictili & victu frugali contentus, experietur, parsimoniam esse magnum vectigal; *ponat modum quotidiano luxui & certè in quavis dignitate pro dignitate sufficiet, ne suæ in publico exhauriantur opes, opus est nimiâ Regularium Beneficiorum carere siti, ita Publico bono impendendæ Curæ, ne privatis Monachorum reditibus pessima quæq; eveniant.*

Aliorum Officio sibi officere dicit Singularius, & cur tam nimium Officiosum se esse monstrat,? non ne non magis suæ conscientiæ officit, quò cum injuria Regularium plures proventus Abbatiales concupiscit? Domestica se dicit adstrictum deserere, nec tamen deserit Abbatiarum appetitum. Aliis inserviendo consumitur; & hic certè condolentiam mereretur, nisi mens ejus absumeretur invidiâ, audiat consolationis gratiâ, quid dicat Seneca: generosos (*inquit*) animos labor nutrit. *Extra seipsum vivere cogitur, nec dissentio; abstractus est, totus ejus Spiritus est in possidendis Regularibus Abbatiis, quas exanimo desiderat; at frustra vagaris extra, intra te mane, intra te vive, ne à recto & Justitia devies, & scito, quod juxta Senecam:* nulli ad aliena respicienti, sua placent.

XXIV. Si privatis & proletariis Abbatiæ, atq; aliæ Prælaturæ cederent, Senatum minorari, Tribunal Regni attenuari, Aulam deseri cerneremus. Sic frau-

daretur Cancellarius Ecclesiasticus, & alter Majestatis Reginalis, Secretarius magnus, Referendarius Regni, Notarius thesauri, Secretarij Commissarij, Judices Parlamenti, Assessores Judiciorum, residentes in exteris, & alij Curiales intimi, in obsequio Regis & Reipub. attritis Patrimoniis, omni spe præmii & adminiculi excluderentur. Senatus Consiliis, Rex Ministris, Tribunal Judicibus, subsellia Assessorib9 diminuta, pristino splendore exuerentur.

Resp. Ad XXIV. Errat in suo supposito Singularius, nunquam enim ad Abbatias eliguntur privati & proletarij, sed, tam vitæ Regularis meritò, quam aliis insignibus talentis conspicui viri, quorum obligatio est, non privatis servire commodis, sed communi Religionis bono. Singularius eos privatos nominat, vis scire quare? quia ejus mens est, eos tales facere in effectu, & quam citissime privare Abbatiis contra Jus commune. Privationem Abbatialis Dignitatis intendit inducere in subiecta capacia, sed utinam attendisset, quod illi, competat non nisi sola negatio juxta Philosophos, cum affectet formam, cujus incapax est. Privare Regulares Abbatiis, est visu destituere oculos, & velle cæcos reddere, ut Singularium Ducem, ac ejus privatum sensum sequantur, & eant, quà non est eundum. Patet ex dictis quod re & nomine sit Singularius; privata loquitur, Ductorem vult agere ad Abbatias, & eccè agit seductorem; utinam egisset Doctorem Juris Communis, nunquam certè contra Jus Regularium quidquam arroganter dixisset, sed potius, postquam solus disceret, alios docuisset, Jus Suum unicuiq; tribuere. Regularibus debere cedere Abbatias, Jus Commune jubet, hinc Singularij cadunt Singularia, quibus, nititur in vetitum, cupitq; Jure Communi negata.

Senatum minorari ex eò, quod Abbatiæ Regularibus conferantur, negatur Singulario, alias minueretur ex eo etiam, quod Prioratus, Rectoratus, Guardianatus &c. conferuntur solis Regularibus; aut quod Canonicatus conferantur Canonicis, Plebanatus Parochis, quod nemo probabit. 1. q. Abbatiarum Stalla

la, Regularium sunt, non Senatorum, sicut è contra, curales Senatoriæ, Senatorum sunt, non Regularium. Sit igitur suâ quisq; sede & sorte contentus, saniora danda sunt, & sequenda Singulario consilia, hæc enim quæ ille suggerit, etiam sanam mentem (ne dicam conscientiam) debilitant, quamvis Jura Regularium validissima, nequeant ex dictis ejus infirmari.

Nec, Tribunal Regni attenuari per electiones Regularium, justè asserit Singularius, Tribunalitia Potestas, honor unius nonnisi Anni est, ac proindè legitimé exauthorisare Abbates Regulares Jure, quod habent advitalitium ad Abbatias nequit : sed Singularius quia id quod æquum est non consvevit loqui, mavult etiam injustè iniqua suo more allegare. Aulam insuper deseri cerneremus (inquit ultra Singularius) si Regularibus cederent Abbatiæ; ad quod Resp: Ergone Abbates aulisare cupis, & redire ad negotia Sæcularia? scias extra Professionem Abbatum esse Aulicorum vitam. Qvodsi verò Aulicos Abbatisare optas, ? id nec Jus Commune, nec recta svadet ratio. Abbas Pater est utiq; Monachorum, igitur Monachus debet esse, non aulicus. Abbatiale pedum ad atria transferre Principum, Sacrilegij crimen est ; aulam desere, qui Abbas esse cupis, non enim conveniunt, nec in una sede morantur, vita Regularis cum aulica; vel si aulam habitare elegisti, deserere Abbatias est necesse. Sed Singularius nimium contra Jura Monachorum disertus, nec aulam vellet, nec Abbatias deserere, quia verò id naturales excedit vires, fortè replicari optaret, volens per suam præsentiam utrobiq; esse, & prodesse nullibi. Non vult cernere, aulam deseri, hinc ut plena sint Aulæ atria, evacuanda censet Monasteria, suisq; orbanda Prælatis. Sed non ne non toties audisti, ? non esse facienda mala, etiam tunc, dum sperantur exindè bona. Hæc dum futura putat ex aulicis Abbatisantibus Singularius, graviter errat, bonumne id dici debet, vel potest, Abbatem esse aulicum, ac præesse non regularem Regularibus? Igitur meliora svadeo: exeat ab aula, qui volet esse Regularis.

Fraudari curiales intimos omni spe præmij, nisi Abbatias teneant, est merum commentum, nonne ut illi præmientur, Regu-

lares

lares benemeriti in Religione, acsi indigni, excludendi à præmio? In dandis præmiis Justitia Distributiva attendenda est, quæ certè magis favet Regularibus. Si Statuta Regni in conferendis Abbatiis Polonos Germanis præferunt, eadem Regulares aulicis (si benè legisti) anteponunt; ut videre est in Sum. Num. 5. 1q. merita, si quæ sunt Curialium, potius Aulæ præmiis compensanda sunt, non Beneficiis Regularium, sicut enim qui altari servit, de altari juxta scripturam vivere debet, ita qui servit Curiæ, curet de Curia sibi præmia, extra spem ullam Abbatiarum. Sunt utiq; ad largam manum Principis plurima Sæcularia dona, quæ absq; ulla injuria Sæcularibus juxta eorum merita minimè denegabit. Adest præterea Publicum Regni ærarium, quod pro Publicis functionibus Legatorum notabiles Summas elargiri consvevit.

Demum: exui pristino splendore Senatum, Regem Ministris, Tribunal Judicibus, Subsellia Assessoribus diminui, absq; Abbatiarum manutentione asserit Singulari9, sed vera ne dicat? hactenus scrutatū fuit. Probarine potest, præfatis honoribus, Abbates Regulares pristinū splendorē detrahere? certe Singulari9 verius obscurat dictis suis Senatum re & nomine Illustrissimum, Ministris umbram appingit, dum Patriæ prima lumina luce carere dicit, quorum ut splendores augeat, extingvere conatur Abbates Regulares; sed dum intendit exornare Senatum, videat ne inoneret Conscientiam, lumen rationis attendat, quod clarè indicabit, Suum esse cuiq; tribuendum; nec (ut Sæculares splendidè induantur) spoliari debere suo splendore Regulares.

Ad extremum sic inverto dicta Singularij. Si Curialibus, aulicis &c: Abbatiæ cederent,? Regularem disciplinam cadere, cultum Divinum minorari, Jus Commune & particulare violari, Pontificiam authoritatem pessum ire, Statum Regularem cum sua observantia deseri, & plurima alia pessima quæq; cerneremus. Electiones liberas Abbatum tollere in Polonia, est pristino splendore Regulares Poloniæ exuere, pias Fundatorum intentiones frustrare, benè meritos in ordine à præmio excludere, Communitates Regulares Jure & Dominio proprietatis (quod illis

super

ſuper bona etiam Abbatialia juxta Theologos competit) ſpoliare &c: & tandem ſenſim Monachos ex Monaſteriis extirpare. En quanta abſurda, ex uno admiſſo â Singulario ſequerentur !

XXV. Epiſcopi tenuiores auguſtare domi, foris in Publicum prodire, conſilia opportuna ſubtrahere, reſidentiam ad latus Regis lege cautam omittere, Particulares & Generales Conventus, ad quos ſubpæna mille marcarum per Conſtitutionem ultimæ Synodi Wezykovianæ â Summo Pontifice Urbano VIII. approbatæ, irrogata, venire tenentur, refugere, nullius eſſe uſus Publici cogerentur. Ita Religio, Eccleſia, Reipub. adminiſtratio, conſultationes in Publicum, bona Spiritualium, Familiarum decus, periclitarentur.

Reſp. Ad XXV. Jam Singularius vim coactivam imminere ſibi ad non ſatisfaciundum ſuo muneri formidat, niſi cogantur Regulares ad cedendum Abbatiis. Metum hunc quis ſperaſſet poſſe cadere in conſtantem Singularium, ? Sed quia ex Abbatiarum forti apprehenſione ortum habet, ideò ad meram imaginationem ſpectat, quæ quantum degenerat â primo protypo antiquioris Statûs Eccleſiaſtici in Regno Poloniæ, palam eſt. Munus Epiſcopale longè diverſum ab Abbatum officio, Singularius in unum redigit contra Synodum Wezykowianam, quæ non ſolum Epiſcopos, ſed etiam Abbates tam particularibus quam generalibus conventibus vult adeſſe ſub pœnis gravibus lib. 4. Conſtitutionum Synodalium fol. 145. expreſſis, jam verò ſi Abbatias permitteret uniri Epiſcopatibus Synodus, quomodo eam obligationem imponeret Abbatibus ? Præterea hoc ſæculo neminem in Regno Poloniæ ad aliquem Epiſcopatum cogi videmus. &c: igitur ſi quis conſequitur quæſitum â ſe Beneficium, conſequens eſt, ut obligari non gravetur ad ritè exequendum ejus Officium, abſq; læſione Juris Abbatum Regularium. Aut ſi fortè quis gravatum ſe ſentiat ? transferendum Epiſcopatum cenſuerim in Regulares, nec jam hoc ſtante, ſubſiſtent imaginationes coactivæ Singularij.

Tandem periclitaturam Religionem, Ecclesiam, bona Spiritualium &c: dicit Singularius, nisi Abbatiarum Commendis evitentur pericula. Et ecce, eo ipso incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim. Abbatialia bona utiq; Spiritualium sunt, quæ gravius periclitari nequeunt, quam si ab aliis occupentur, non à solis Regularibus. Longè utiq; majora Statui Monastico & Juribus Regularium vult Singularius malesvadus inferre discrimina, quæ jam superiori respondendo Singulari, retuli; Sed justumne quis esse consenserit, evidentibus Regularium periculis, incerta Singularij propulsare? repeto applicatius, quæ supra solum in genere dixi: non sunt facienda mala Regularibus, ut bona eveniant Sæcularibus.

XXVI. Regis Majestati quantum decederet ademptâ collatione Abbatiarum, & Episcopatus sequerentur. Cæterum Parochialibus Beneficiis vigore gratiarum delatis ad locorum ordinarios, nihil residui Regibus, præter Sæculares vacantias, quæ pravo exemplo per Palatinatus electionem expeterent, relinqueretur. Potior Commissarij Ordinis Regularis munificentia foret, qui Abbatias pro arbitrio dispensaret. Secretarius (ut vocant) Provinciæ designaret. Illa Justitiæ distributivæ amplitudo, quâ Principes Europæ Rex Poloniæ superabat, evanesceret.

Resp. Ad XXVI. Decedere Regum Majestati quidpiam, frustra sibi imaginatur Singularius, si non accedat id, quod aliquando legitimè fuisse, nunquam hactenus verificatum est in Romana Curia, videlicet assertum Jus collationis Abbatiarum & Præpositurarum Regularium. Ostendere prius debuerat Singularius, præfatum Jus competere Majestati in rigore Justitiæ, & tunc credi posset, quod dicit. At quomodo id præstare poterat, stante in oppositum Privilegio Apostolico in limine fundationis pro parte electionum liberarum dato Regularibus,? ex quo manifestè sequitur, assertum à Singalario Jus collationis Abbatiarum, nullum prorsus esse; hac verò veritate admissâ

missâ, jam ulterius inferendum, non plus decedere Regum Maje-stati, præter ipsum nihil, dum eis Jus collationis ad Abbatias, quod nunquam legitimè habuerunt, non conceditur à Sede Apo-stolica. Scio adstrictam esse jure jurando Majestatem, avulsa repetere, sed juxta Leges Justitiæ, id solum licitè repeti potest, quod quis injustè abstulit. Regulares verò Poloniæ illæso Jure cujuspiam, contenti suis Juribus, præter alia, etiam tot Regum diplomatibus & Regni Statutis firmatis, quæ tamen inquietum Singularij Caput per 50. Singularia captiosè persequens, expun-gere & proscribere cupit.

Episcopatus quod viam Regiæ Collationis declinare nequeant, ex responsione ad Singulare 8vum patet, nam per Privilegium A-postolicum; in manu sunt Majestatis, ac proindè horum ademptâ Collatione, multum Majestati decederet, ut perse patet, privare-tur quippè facultate adsciscendi sibi magni Consilij Angelos, pri-varetur Jure, quod illi ad præsens jam legitimè competit &c. Secus dicendum de Abbatiis Poloniæ, quas Singularius arbitrariè annumerans ad Beneficia Collationis Regiæ, eas decedere dicit Ma-jestati, cum nunquam ad legitimam collationem accessissent. Sed cur quæso nihil, etiam juxta Singularium, decedit Regibus per id, quod alia plurima Beneficia Sæcularia Poloniæ, sint extra collati-onem eorum? aliquorum enim collatio spectat ad Episcopos, ali-quorum ad Regni Proceres, aliquorum ad alios nobiles, imò ali-quorum etiam ad Regulares, aliquorum ad Civitates &c: Certè non alia ratio est, nisi quia quisq; Jure suo liberè utens, nulli fa-cit injuriam, faceret verò, si Jus collationis, quod alius habet, sibi illegitimè usurparet. Lege quæ retuli in Sum: Num: 28. de Præbendis Ecclesiæ Gnesn. quarum prætensa collatio in malo sup-posito, postea autem re melius perspectâ, renuntiata.

Nihil residui Regibus relinqui, non permissâ Jure, Collatione Abbatiarum, veritati non consonat, nonnè non legit Singulari-us; ultra Episcopatuum Collationem, in manu Regum esse vi Privile-gij Apostolici, Jus Patronatus etiam ad alia Ecclesiastica Bene-ficia,? videat pro informatione quæ in Sum. Num. 38 retuli. Et præterea non ne plura alia in amplissimis bonis Regalibus, non præ manibus sunt Majestatis?

Quantum attinet merè Sæculares vacantias in Polonia, (ubi Rex ipse liberis votis eligitur) has ad duplicem spectare Classim scit, licet non dicat, Singularius, aliæ sunt Collationis Regiæ, *ut sunt: Clava Ducalis, tam major, quam minor, utriusq; Gentis, Polonæ scilicet & Lithuanæ, Ministeria Regni, & plurima alia officia in Senatu, Item: Generalatus, Palatinatus, Castellanatus tam majores quam minores, Capitaneatus seu Starostiæ copiosissimæ & opulentissimæ, bona caduca &c:* aliæ vero electivæ, *ut: Maraschalcatus Tribunalis Regni, qui ex, & à deputatis ad Tribunal, Deputati vero à suis Palatinatibus eliguntur. Item Succamerarij, Judices Castrenses, Subjudices, Notarij, Nuntij ad generalia Regni Comitia, & eorum Mareschalcus &c: sicut vero ex immediatè enumeratis electivis vacantiis nihil decedit Majestati, ita ex Abbatiis Regularium ad Beneficia electiva de Jure spectantibus, exquibus pravum exemplum ne metuat Singularius expetendarum à Palatinatibus electionum super vacantias collationis Regiæ, alias idem metus immineret ex supra allegatis electivis de Jure vacantiis Sæcularibus, cum tamen oppositum experientia doceat.*

Commissarios Ordinum, quampiam Potestatem in Abbatiarum dispensatione habere, malâ fide asserit Singularius, illi quippè, esto de Jure præsideant in Electionibus Abbatum, non tamen sunt eligentes, aut Jure Collationis gaudent, licet commendare merita alicujus candidati possint; nihilominus ipsa Canonica electio de Jure & Consvetudine penes sola Capitula Regularium libera manet. Multo minus ad Secretarium Provinciæ Abbatum spectat designatio, sed votorum secretorum in electione connotatio, & Instrumenti electionis fidelis confectio; prætereaq; nihil.

Justitiæ Distributivæ amplitudinem Serenis: Regibus Poloniæ in iis vacantiis, quæ de Jure ad Collationem Majestatis spectant, evanescere posse, qui diceret, graviter esset injurius Juribus Majestatis. Cæterum hæc amplitudo, non est perperam, & sine ullo fundamento Juris, extendenda ad Abbatias Regularium, Regulares Poloniæ insistunt Juri electionum liberarum sibi debito, quod ne unquam evanesceret, Jure Communi Ecclesiastico, Constitutionibus Pontificum & Synodorum, Regum Poloniæ diplomatibus,

tibus, imo & ipsis Statutis Regni cautum est. relegat Art. 4. & 5. qui de hic dictis certiorari cupit.

XXVII. Statuta Regni hoc in passu dant rationes latæ legis; Ubi igitur ratio, quæ est mens & anima Legis, locum habuit, ibi habet locum legis dispositio, etiamsi esset contra Jus commune. Hoc Legistarum placitum eruditè illustrat insignis Jure consultus *Aloisius Riccius Neapol. in prax: rer: quotid. Respub. 452. Antiq. edit. Verbo:* Abbas. *& Verbo:* Spiritualis.

Resp. Ad XXVII. *Iterum ad Statuta Regni provocat Singularius, sed certè ex illis quod intendit non probabit. Contra se illa citat, nam si benè legantur, patebit ex iis electionem Abbatum Regularium confirmari, solumq; ad certas eligendas Personas restringi. Ut videre est Art. 5. fund. 5. verbo.* Jam vero &c. *Motivum verò dictæ restrictionis quale fuerit? expressit statim ab initio Statuti de An: 1538. Sigismundus III. quod vide si placet in Sum. Num. 3. Cæterum tam hoc, quam aliæ si quæ sunt, præterea particulares rationes, Juri communi Spiritualium derogare neutiq; possunt.*

Per Legistarum placitum ab Aloysio Riccio Neapol. illustratum, evincere non plus potest Singularius, nisi quod legis Civilis particularis *rationabiliter latæ, habeat locum dispositio, etiam contra Jus* respectivè commune, seu civile; *jam verò dispositionem Juris Civilis, posse præjudicare Juri Communi Ecclesiastico, nemo Legistarum somniavit. Frustra igitur singularius suum singulare placitum authoritate communi Legistarum fulcire desiderat, quorum nemo ignarat hanc esse Juris Canonici Regulam 5. in lib. Decret. Greg.* Id quod per vim introductum est, nullà debet stabilitate subsistere. *Ex qua hæc communis DD. sententia ortum habet:* Spirituales non obligari ad servandas Leges Civiles, quæ sunt latæ in præjudicium libertatis Ecclesiasticæ.

XXVIII. Prisco illo ævo, electiones Monachorum viguisse non ambigitur, cum â primordiis Christianæ Religionis Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, Itali, Galli, Alemanni, gubernarent: Fidei Mysteriorum & politi-

politioris literaturæ callidiores Polonis ; quibus, ut antea ipsismet simplicitas rudis fuit. Pariter & in Civilibus, Jura Teutonica, Saxonica, Magdeburgensia invecta, & cuiq; potiori civitati Germani Præsides, consulesq; erant. Acta quoq; publica, linguâ Flamengâ, scribebantur. Ævo politiore, & cum externi insolescerent, vel partis abuterentur, Respub. correxit seipsam, ambitus externorum repressit, Classes Ordinum, in Senatorium, Equestrem & Plebejum divisit, leges tulit, quæ futura respiciunt, non præterita. Hinc Plebeij manere in sua Classe jussi. Nam Spiritualis, nobilis tantum est (*ut vocant Legistæ*) fictione Juris.

Resp. Ad XXVIII. Priscis, quæ hoc Singulari allegat Singularius pro parte Electionum, recentiora adjungo. Legat si vult expeditiones modernas Bullarum, & videbit etiam nunc per Supremi Capitis Oracula, Jus priscum liberæ electionis confirmari. Idipsum tot formati in Urbe processus in negotio Abbatiarũ Poloniæ una voce fatentur, ut ex supradictis patet, præcipuè Art. 1. ad A. 1671. & seqq. Confirmant præterea Rescripta Sacræ Congr. recensita in Sum. Num. 36. Ad id; quod ultra dicit Singularius, videlicet quod ævo politiore, & cum externi insolescerent, vel partis abuterentur, Respub. correxit seipsam. Resp. Politiora in dies & momenta tempora cernere in Regno Poloniæ, sicut gloriosum, ita & utile Reipub. est, sed nonne tot exemplis non docemur Exterorum, optima etiam corrumpi, ubi perversa Mundi Sapientia invaluerit? Cujus iuxta S. Greg. in lib. Moral. primum principum est: Cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera sunt, falsa demonstrare. Et hæc mentis perversitas (*ut inquit S. Doctor.*) Urbanitas vocatur â Sæculo. *Quid pretiosius Polonia in Regno habet aureâ libertate? & tamen ævo politiore metuendum, ne amisso suo pretio, degeneret in licentiam. Conycio ex tuis mi Singulari 50. Singularibus, quod ut politum te monstrares, maluisti agere Politicum quam Veridicum. Sed quid tua prodest Politia,? culturam quidem ostendis ingeny, sed simul ejus acumine pungis Jura Regularium, & ut palam*

eſt, ſingulariſſimè contra libertatem Eccleſiaſticam cornu elevas. Rempub. correxiſſe ſeipſam dum nuntias, optarem bonum ejus exemplum ſequi, ut ſcilicet ipſemet errores proprios corrigas, in quos inducis alios per tua Singularia. Veré Sapientis eſt, errori depræhenſo non ſubſcribere, & ut adverterit ſe erraſſe, mox (exemplo tot SS. Doctorum) retractare dicta. Si error unius calami, multæ nonunquam calamitatis eſt occaſio, quid ſi mens ſit pertinaciter erronea? Errat graviter Singularius, qui putat Jus liberæ Electionis Regularium Poloniæ hoc ævo politiore ſublatum eſſe, errorem hunc damnat Jus Canonicum, Sedes Apoſt. & Reges Poloniæ toties reprobarunt, quoties Regularibus jus præfatum confirmarunt. Correxit ſe tota Reſpub; quidni ſe corrigat Singularius? nam ſi ſolus contra Jus Commune ſapiet, videat, ne Sapientis nomen amittat. Cæterum etiam de correctione loquenti Singulario, dum aurem adhibeo, errorem ejus ſat craſſum neceſſariò corrigendum adverto. Dicit: correctionem in eo eſſe Reipub: quod tulerit leges, quæ futura reſpiciant, non præterita. *Cui Reſp. Erras palpabiliter mi Singulari, ut toties conſveviſti, ſi lex lata eſt, & quidem (ut dicis) perquam ſeipſam correxit Reſpub. reſpicere utiq; in ferenda lege neceſſariò debuit errata præterita, correctio quippè ſubſecuta, errorem manifeſtè indicat præceſſiſſe. Verùm aſſequor Myſterium in præfato Stylo Singularij. Cujus ratio non alia eſt, niſi hæc: Singularius, quia errorem deprehendere nequivit in ſolitis ab ævo, & de Jure electionibus Canonicis Abbatum Regularium, non vult reſpicere præterita, ſed in futurum proſpicit, ut illis careant Regulares. Porro dum futura talia meditatur, videtur non reſpicere, quid futurum ſit in tempore noviſſimo, quando non ſolum errata cunctorum mortalium, ſed ipſe etiam Politiciſmus, & ſpecies apparentis non niſi Juſtitiæ, veniet in faciem & libram judicij. Correxiſſe ſeipſam Rempub. bonum eſt, ſed nonne etiam Status Spiritualis non correxit, aut non corrigit errores ac defectus (ſi qui ſunt, vel fuerunt) Eccleſiaſticarum Perſonarum? hinc diſtrictè lege Canonicâ cautum eſt, ne Laicalis Poteſtas uſurpet Jus in Clericos, utq; tunc nonniſi Eccleſiaſtici corrigantur à*

Secula-

Sæcularibus, postquam Authoritate Suprema traditi fuerint brachio Sæculari. Sed & Ordines Regularium Poloniæ ordinatè procedunt in Correctione subjectorum suorum, habent utiq; præscripta sicut pro benè actis præmia, ita pro erratis pænarum Statuta. quibus respiciendo præterita, futuris prospiciunt. Correxit præterea unaquæq; Religio circa Jus electionis errata præterita, legemq; tulit, ne ullus ex Regularibus sub vinculo excommunicationis latæ, resolvat se ad talia procuranda in statu vacantis alicujus Abbatiæ, quibus libertas eligentium arctaretur.

Inter Classes, in quas divisa est Polona Respublica erroneè reponit Singularius Statum Regularium. Solitarii namq; sunt Regulares & exempti, habentes suas alias Classes, in quas unus quisq; divisus est Ordo, juxta statuta propria regulat9. Tandem dum in fine Singularius Spirituales putat solum esse fictione Juris Nobiles ; *hâc suâ conclusione ad disputandum provocat de eo :* quis sit dicendus verè nobilis ? *â cujus quæstionis resolutione interim præscindendo, sufficiet pro responsione aliorum nonnisi sensus hâc de re allegare. Quia vero Singularius Legistarum se dicit infundatum principiis, legendum porrigo eidem imprimis Jus Canonicum, quod in Can.* vilissimus. *1. qu.1. sic habet:* Vilissimus computandus est, nisi præcellat scientiâ & Sanctitate, quæ est honore præstantior. *Ex quo fundamento D. Angelicus* 2. 2. *qu.* 63. *Art.* 1. *infert quod* Personarum acceptio, & ad certum illarum genus restrictio in electionibus faciendis, opponitur Justitiæ distributivæ. *Jam vero recentissimus P. Joannes Miller S. I. in lib. intitulato :* Spiritus excelsus. *impresso Brunæ An: 1716. quid de præfata Conclusione Singularij dicat audiamus. Hic in Colloquio 41. fol. 202. inducit Titum, talem sibi objectionem proponentem :* Hodiernis (*inquit*) temporibus, Virtus vix attenditur, sed sola Nobilitas in omni hominum Statu consideratur & æstimatur; cum ipsa suppleat omnes defectus, virtutis, doctrinæ, prudentiæ, meritorum ; cum deniq; sola nobilitas, subjectum qualecunq; , reddat capax ad munia quæcunq; Ad quam objectionem, sic præfatus Author in Persona Pauli respondet : *Male loqueris, talem Nobilitatem Sapiens & excellus Spiritus Epileiæ gratiâ reveretur quidem, sed non æstimat sentitq; cum S. Greg. Nanzian. Oratione 18. dicente :* illud Nobilitatis genus, quod in Principum edictis consistit, tunc in pretiô habebo,

cum

cum pictam quoq; pulchritudinem laudandam dixero. Ex quibus præfatus Author distinguit nudam nobilitatem, â nobilitate virtutis & scientiæ & hanc, primæ præferendo, verè nobilem facere asserit, confirmatq; suam sententiam Authoritatibus plurimis. *Sic Baronius ad An: 620. inquit*: Vera Nobilitas, non ex Carne & sangvine, sed ex virtute animæ formam sumit, & characterem. *Item Leo Imper. dicit:* Hominum Nobilitatem non ex laude Majorum, sed ex suismet Actionibus, rebusq; gestis oportet æstimare. *Et Urbanus VIII:* Magni viri non nascuntur sed virtute fiunt. *Et tandem Prophanos allegat. Ex Plutarcho:* Opes antiquæ aut vetus gloria, in nostro arbitrio non est, virtus verissima nobilitas est. *Ex Lucano:* perit omnis illo nobilitas, cujus laus est ab Origine sola. Et infra idem S. I. Author sic rem suam prosequitur: *Regula Spiritus excelsi, non est judicium sæculi, sed Dei.* Nudam nobilitatem *Deus, (qui non sapientes secundum carnem, non potentes, non nobiles, sed quæ stulta sunt mundi & infirma, & ignobilia mundi, & contemptibilia, Deus eligit, ut non glorietur Omnis Caro in conspectu ejus) nec æstimat nec remuneratur, solam virtutem præmiat.* Ac tandem sic concludit: *Virtutis nobilitas, nobilitatem sangvinis atq; Doctrinæ reddit illustriorem & æstimabiliorem, non vice versa. Ex his vero patet, an spirituales pollentes præfatis qualitatibus, dicendi sint nobiles tantum fictione Juris; ut illos vocat Singularius.*

XXIX. Plebeij Abbates, ignaviâ diffluebant et divitiis. Alemanni, proximâ labe Lutheranismi aspersi, aut in sacris nutantes, bona Abbatiarum emungebant & discerpebant, reditus opimi extra fines efferebantur: Quidquid quæsitum, sibi ad privatos usus Monasteriorum vetitâ testandi facultate acquirebatur. Quâ re Antistitum Concilium sub Gamrato cognitâ, statuit Provinciale edictum; Cum pleriq; (ait) Abbates, Præpositi, & Abbatissæ, villas & bona Monasteriorum suorum & Juris Patronatus Ecclesiarum hactenus alienarunt. &c. Decernit hæc Synodus, ut DD. Episcopi Monitoria contra tales Abbates &c. decernant; Ex quo legem illam plurimum

proficuam: Post Abbatis vel Præpositi Regularis obitum loci ordinarij bonum ordinem monasteriorum curent, proventibus in potestate Monachorum relictis. Electionem vero Episcopi, morte defuncti Abbatis significatâ, quam primum indicant, de eoq; cum Rege communicent, & consvetudinem veterē observent. Electum competenter Regi significent, â Rege præsentatum instituant. Legem inquam illam, non aspernati, observant, & in usu etiamnum hodiè habent. Recurre ad Constit. Regni *1550. & 1588.*

Resp. Ad XXIX. Hoc Singulari deficiens Singularius in probatione sui Juris asserti; jam non ad lydium, sed ad saxa properat, omnem lapidem offensionis movens, quo Jura Regularium expugnare & excutere ex Polonia possit. Hinc finito præterito singulari in fictione Juris, jam fingit & efficit calumnias, & quia capare Abbatias Jura vetant, famam Abbatum Regularium carpit. Cujus in hoc passu instinctu ducatur, indicat S. Aug. Tom. 2. Epist. 137. dum sic inquit: quem diabolus non potest devorare seductum ad nequitiam, famam ipsius inquinare conatur, ut si fieri potest, opprobriis hominum, & malarum linguarum detractione deficiat, & sic in fauces ejus ruat. *Et S. Greg. lib. 2. Epist. 23.* habet hoc proprium invidia antiqui hostis, ut quos decipere non valet, famam eorum dilaceret, falsa ad tempus fingendo. *Igitur cum similem instinctum sequi in respondendo nefas sit. Omnes calumnias Singularij refutare adæquatè non svadet Modestia, sed potius ne scommatibus ab utrinq; contendatur, jubet vincere in bono malum. Videat nihilominus Singularius quales contra se in defensionem Regularium Sol Doctorum Augustinus vibret radios, dum sic lib. de com. vita Cleric. dicit:* Nemo laceret servos Dei, quia non expedit lacerantibus, servis quidem Dei merces falsis detractionibus crescit, sed crescit etiam pæna detrahentibus. *Quia verò insuper unumqemq; Siracides ad defensionem famæ stimulat, Cap. 41. inquiens* Curam habe de bono nomine hoc enim magis permanebit tibi, quâm mille thesauri pretiosi. *Proindè saltim modestiori calamo ut respondeam Singulario, quæro ante omnia: Undè tibi mi Singulari, quod prisci illi Abbates fuerint Plebeij? Nonné jam supra non deduxi, quæ vera dicenda nobilitas? Quod â prima Religionum in Polonia fundatione, fuerint Abbates (ut hic, & supra in Singulari 28. dixisti)*

Alema-

Alemani, Itali, Galli, Saxones &c. Verum est, dum verò illis ignobilitatem obijcis, id nec te nobilitat, nec illos obscurat; Audi quid pro omnibus ex eorum monumentis echo resonet? Si prima Domus repetatur Origo, nec nos animi, nec stirpis egemus. Statius lib. 1. Et Sigillatim, quid pro unoquoq; dicat:? Nec si generosa probàris nomina, despectis arguor ortus Avis. Ovidius. Sed quia nudam Nobilitatem suarum Familiarum jactanter prædicare, ignobile est Dei famulis, Singulario incumbit probare, quod illi tales, (ut asserit) fuerint. Veteres jam pridem sepultos, quorum nec ossa supersunt, exhumat Singularius; at frustra, cineribus mortuorum, id quod quærit, non tegitur, inter sepulchrales pulveres citius perdet lumina, quàm jus à se quæsitum inveniet. Nec dum tamen his acquiescit Singularius, & quia operosus vult dici pro Jure à se asserto, ex atomis pridem quiescentium, montes calumniarum non sine scandalo ædificat, a demptis Stemmatibus, procedit ad scommata, suô ubiq; insistens sensui. Primævi illi (inquit) Abbates Plebeii, ignaviâ diffluebant & divitiis &c. labe Lutheranismi aspersi &c. Ad quod Resp. Hic Singularius ut fidem à se dictis, (quæ malâ compillavit) conciliet aliorum, Hæresim inter alia appingit Abbatibus, sed si fideliter (ut decet scriptorem fidelem) scripsisset, â calumniis calamum temperare debuerat, quibus quàm procul à vero deviavit, declarat Statutum de An: 1538. relatum in Sum: Num: 3. Sigismundi III. veriora docens, inquo id lego: caventes, ne nova Dogmata ex Germània in Regnum nostrum inferantur. &c: Eccè non dicit Statutum illata esse Dogmata (quod tamen dicit Singularius) sed solum præcavet, ne inferantur, & ideò ibidem disponit, ut Poloni, nobiles &c. in Abbates eligantur. Ex quo demonstratur mala fides & malevolentia Singularij, qui referre potius debuisset, si veritatem amasset, Regulares variorum Ordinum, ut sunt, Lateranen. Benedic. Cistercien. Cameldulen. &c. primos fuisse in Regno Poloniæ propagatores fidei, & postmodum extirpatores hæresum. Lege mi Singulari annales Poloniæ, revide archiva Monasteriorum, revolve fastos Martyrologiorum, & contra hoc singulare audies vocem clamantis sangvinis, tot Martyrum Olivensium, Coprivnicensium &

ali

aliorum plurimorum, pro fidei Catholicæ defensione, à Hussitis, Tartaris, Lutheranis, &c. crudeliter occisorum. Quomodo igitur labe Lutherana aspersos probabis? Veriora si scire placet de hæresi Lutheri illata in Poloniam, lege quid scribat Cromerus de Primis Pastoribus Pomesaniæ & Sambiensi, de Gedanensi Prælato, aliisq;, & scies, cujus operâ defecit á fide ordo Theutonicus in Prusia? quis fuerit Ductor, & Doctor in Polonia errorum Lutheri? Jam veró quid de Primævis illis adscititijs Abbatibus Poloniæ tenendum sit? indicat melioris fidei Cromeri publicum testimonium, qui obturat os Singularij iniqua & falsa loquentis, lib. 4. fol. 77. tit. Casimirus Rex, eam primo Abbati Tynecensi Ord. S. Benedi. adscribens panegyrim: Fuit autem primus Abbas Tynecen. Aaron Gallus, cujus integritas, pietas, & industria, Cluniaci adhuc Casimiro perspecta erat. *Et recentissimus P. Naramowski S. I. in lib. An. 1726. edito, sub titulo. Facies rerum Sarmaticarum, præfati Aaronis Tynecen. Abbatis, demum Archiep. Cracovien. copiosarum virtutum laudes, & simul Nobilitatis stemmata, in serie Archiepiscoporum olim Cracovien. fol. 192. luculenter recenset. Idem quid scribat de plurimis a iis Poloniæ Abbatibus, qui ad Episcopales in præmium meritorum admoti Curules, patebit legenti. Hic, fol. 548. testatur, quomodo Christinus ex Cister: Ordine ad Culmens. Episcopatum assumptus Religionem Orthodoxam zelosè promoverit? dequa etiam librum publicæ mandavit luci. Ex eodem Authore fol. 561. constat, de Stanislao Zelislawski, ex Abbatia Pelplinen. Ord. Cister. An. 1571. in Antistitem Culmen. assumpto, quantum Religiositatis & bonitatis famâ fuerat conspicuus? Ibidem fol. 642, lego de Bertholdo ex Abbate Lucano Ord. Cister. ad Livonien. Episcopatum promoto, qui ab hostibus fidei confossus, bonus Pastor pro grege animam posuit. Item fol. 644. de Alberto 2. ex Abbate Ord. S. Bened. Livoniæ Antistite, qui quali curâ tantô muneri correspondit,? lege ibidem. Item de Villibaldo natione Gallo, genere nobili, religione Lateranen. Canonico. & post Archiep. Gnesnen. lege fol. 87. cui non satis fuit uni Regno Poloniæ subvenire subvenit & vicino Hungariæ, ubiq; pro dilatatione fidei strenuè laborans ac ple-*

plenus semper meritorum. Item de Meynardo é Cænobij Sigebergensis Claustro ad Episcop. Livoniæ assumpto, lege fol. 641. qui religione pius, zelò ardens, verbum Dei prædicare non destitit, ut oves sibi creditas ad fidem adduceret; similia de aliis ex diversis Ordinibus assumptis ad pedum Episcopale, ibidem leguntur, quorum Omnium laudibus satis hæc ingens accrescit, quod non solum Regularibus, sed etiam Diœcesibus laudabiliter & fructuosè regendis, idonei extiterint, & operosi, non sine fidei magno incremento, ac animarum lucro, in vinea Domini cultores; plures laudes omnium ex Abbatibus ad varios Episcopatus assumptorum, vide si placet apud præfatum Naramovium S. I. Quid verò idem de aliis licet de Stemmate, non tamen ex Regularium cætu assumptis referat? quæ & qualia, sub, & ante tempus gliscentis in Polonia hæresis egerint? remitto lectorem ad fontem ipsum: vide fol. 118. & fol. 264. item fol. 320. de Nicolao Kurowski, Gente Srzeniavita. Item fol. 279. de Joan. Droiewski de familia Korczakorum; Item fol. 448. de Tidemanno Gise, in Cancellaria Sigism. 1. & Sigis. Augusti literarum scriptore, & post Varmien. Antistite. Item fol. 558. de Joan. Konopacki Epis. Culmensi, & fol. 559. de Tidemanno Gisio ex Parocho Giedanen. Antistite Culmensi, lege item ejusdem libri appendicem fol. 666. de Episc, Curonensi & Osiliensi & plurima stupenda ad rem præsentem spectantia disces. Patebit ex ibidem lectis, quomodo Singularius contra fidem Classicorum Authorum scribat, maximè de Abbatibus Poloniæ, ac mendaci penna involet in censuram à se confictorum vitiorum? porro, si sola iniqua cavillatio vitæ ac morum cujuspiam sufficeret ad convictionem asserti criminis, quis innocens erit? ipsimet timendum optarem Singulario, ne pœnam luat talionis.

Dicit præterea Singularius, Concilium Antistitum sub Gamrato celebratum, Provinciale Statutum decrevisse contra Abbates Poloniæ. quod incipit. Cum pleriq;. *Ad id Resp. 1. Quia infirmæ te esse memoriæ declaras hòc Singulari, commemoro dicta in Singulari 16. & 20. meminisse oportet te ibidem supra Provinciales Synodos vocasse,* Consultationes, Consilia, *nunc vero mutatô sty-*

lò, cur Synodos vocas : Concilia ? *Ratio in promptu est, quia ibi pro parte Abbatiarum Statutum de electionibus liberis, hic vero contra Abbates. &c. Resp. 2. Nonnè non legisti in iisdem Constitutionibus Statutum etiam contra Episcopos sub Dzierzgovio de An.* 1551. *tale. ?* quia nonnulli D. Episcopi, prætextu piarum donationum, alienare fundos & decimas Ecclesiarum suarum consveverunt, acceptâ occultè pecuniæ Summâ ab his, quibus donationes hujusmodi facere se simulant & fingunt, *&c. Igitur ex ista ratione videntur dicta Singularii extendi etiam ad muricem Antistitum Poloniæ, sed quia eorum aliqui, utuntur Jure gladij, contra solos inermes Regulares nimium audaci calamo insurgit Singularius. Resp. 3. directe : Illa tempore, quia ante constitutionem prohibitivam Regni, licitum erat Regularibus, bona terrestria una emere, alia pro suis commutare, in feuda locare &c. ex quo postea subsecuta detentio, usurpatio & possessio bonorum Ecclesiasticorum, & à malis vicinis in limitibus coarctatio cum gravi injuria Monasteriorum &c: ideó Synodus obligavit ad recuperationem avulsorum : sed datò, quod etiam contigerit aliquem ex Regularibus verè alienasse villam aliquam Monasterii ? (quod si fuit, laudari nequit, licet penitius id prius indagandum esset, quàm concedendum) justene mi Singulari omnes Abbates omnium Religionum pro uno vel altero lapidas ? plus unus facis, quam tota Synodus, lege attentius quod allegas edictum Synodale, & errorem vel malitiam, quam illò Statuto stabilis, emendabis, ibi in hæc verba incipit Synodus :* cum pleriq; Abbates &c. *Jam verò quomodo pro eo omnes censurari & reprehendi debent, quod pleriq; solum, Synodo attestante, fecêre ? ex prædicto Statuto quid certi & determinati in particulari, contra Abbates hujus vel illius Ordinis inferes ? alias ab indeterminato ad determinatum argueres, contra doctrinam Dialecticam. Stante igitur hoc : quod pleriq; &c. necdum quod illi, multo minus inferre potes, quod omnes Abbates &c. quia iterum non concedent Dialectici, à sensu distributivo indeterminato, ad collectivum arguere. Deindè : cum contra tales Decreta fuerint (ut dicis) monitoria, puto jam rem esse, et in hoc & in illo sæculo judicatam ; ergo jam mortuis dona requiem, jam parce sepultis. Quod ultra dicit,*

de

de Statuto respiciente vacantes Abbatias, illud ex alia longè causa, quam dicat Singularius, emanavit, nam latum est ad instantiam Regularium petentium defensionem Synodi contra invasiones Ecclesiasticorum competitorum ad vacantes Abbatias, quorum execrabilis ambitio perturbare solebat, & quandoq; impediebat electiones Regularium, quod ipsum attestatur Synodus, ut in Sum. Num. 9. & 10. & clarius patet ex Constit. A. 1551. relata in Sum. Num. 6. quæ præter illa, ita etiã decrevit: Ocurrente cujuscunq; Abbatiæ & Præposituræ Regularis vacatione, præcludendo viam improbo & ambitioso hujusmodi ingressui (*loquitur de concurrentibus Ecclesiasticis ad Abbatias*) statim DD. locorum Ordinarij ut intellexerint de vacatione Abbatiæ talis aut Præposituræ, viros maturos de gremio sui Capituli pro die constituta electionis ad Monast. sic vacantia mittant. &c. *Singularius verò alienato mente, dicit Const. præfatam de vacantibus Abbatiis emanasse ex motivo alienationis bonorum Monasterij factæ ab Abbatibus; sed malam ejus fidem ipsa ejusmet verba demonstrant, quid enim Synodus tali decreto providisset cavendæ alienationi? nonnè in vita Abbatum alienantium, id potius exequendum non foret, quam post mortem? mortuus utiq; & alienigena à viventibus factus, nihil jam alienare potest? Demum vacante sede bonum Ordinem Monasteriorum Poloniæ procurare, & electioni præsidere, Officij est DD. Commissariorum Ord; administratio verò bonorum Abbatialiũ quod ad solos Monachos protunc spectet, Decreta & decisiones Romanæ docent, ut retuli in Sum. Num: 33. Cur autem præfatam administrationẽ plerumq; prætendant etiam violenter Prælati Sæculares, sub colorato prætextu Protectionis, & boni Ordinis Monasteriorum? ratio in luce est, quam non semel experientia ipsa monstravit. Indictionem electionis Abbatum Regularium, dum Singularius probat spectare juxta veterem (ut inquit) consvetudinem ad Episcopos, videtur in terminis sibimet contradicere, supra enim in Singulari 28. negavit competere his temporibus Jus eligendi Monachis, quamvis prisco illo ævo viguissent, jam verò in hoc Singulari contra supra dicta, eandem ad Monachos spectare probat ex Statuto, de indictione electionis facienda à loci ordinario; indictio enim, à quocunq; demum fiat, evidens est utiq; Indicium subsecuturæ electionis.?*

Et hic, in parte assentior Singulario, prisco enim ævo Loci Ordinarios præsidentiam habuisse in electionibus Abbatum, quas præviè intimabant, certum est, id enim protunc petebatur â Monachis, ut sub Authoritate tantorum Præsulum, Jura liberæ electionis eò tutius servarentur, sed postquam hujus Authoritatis pondere gravari cæpit, & deprimi Jus eligendi, Regulares apud Supremam Sedem Apostolicam protectionem quærentes, â Greg. IX. & Sixto V. bullas impetrarunt, quibus jam inhibetur, ne in posterum ullus Episcopus, aut quævis alia Persona Regularem Abbatum electionem impediat, aut de instituendo, vel removendo Abbate sese intromittat; item ne de modo electionis inquirat, aut Personarum electarum qualificationem examinet, ne electioni præsidere, electos sibi præsentari, approbare, confirmare vel installare prætendat. Quorum locò Jus præsidendi &c. commissum solis DD. Commissariis Ordinis Vide Bull. Roman. ut veritatem eorum quædixi, clarius perspectam habeas. Tandem Singularius dicta sua vult usu etiamnum præsenti firmare, sed contra manifestam experientiam. Notum Polono orbi, quod electiones Abbatum intimare, & in eis præsidere, soli Commiss. Ordinis maximè apud Cistercien. in more sibi de Jure competenti habeant ab immemorabili, ij item electos installant, benedicunt &c. Recursum quem jubet facere in fine hujus Singularis ad Constitutiones Regni An. 1550. & 1588. etiam Regulares Poloniæ svadent, ibi enim cuiq; patebit præclusum esse iter aliud ad Abbatias, præterquam viam Canonicæ electionis liberè per Monachos faciendæ, quæ sola in dictis Statutis approbatur. Præfata Statuta vide in Sum: Num. 5. & Num. 14. lit. A.

XXX. Palam obscurioris conditionis Clerici & alij Præsbyteri è cætu Illustrium virorum ab Episcopis amoti, cum Ecclesiarum Cathedralium Statuta conderent approbarentq; de non recipiendis Plebeiis inter Canonicos, ex quibus creantur Episcopi & Abbates, indicant, qui & quales Abbatiis gubernandis designantur.

Resp. Ad XXX. Ad istud Singulare antequam respondeam, præmitto Cromeri sententiam, qui lib. de Magistr. Poloniæ

niæ fol. 94. ita ſcribit. Patrum & Avorum noſtrorum memoriâ, ab Epiſcopalibus,non tam (*nota ſignanter*) functionibus, quam ſedibus,et primariis quarundam opulentiorum Eccleſiarum honoribus, quæ Prælaturæ & Canonicatus dicuntur, Plebeij, Theologis, Jure Conſultis, & medicis aliquot exceptis, excludi cœpere. Quod jam ad Abbatias quoq; & Monaſteria, ubi ex profeſſo mundana omnia abdicantur, inducitur. &c. *Porro ex hac Authoritate Cromeri palam fit, amotos eſſe obſcurioris conditionis Præsbyteros, ſolum ab opulentis honoribus, non verò â functionibus, et eorum oneribus,ut certum eſt plerumq; enim fit, quod ij ſoli curam ovium in beneficiis habeant, aliis indebitè vellera tondentibus. Hoc præmiſsô, Reſp: Dignum & juſtum eſt, obſcuros diſtingui ab Illuſtribus,ut â ſole tenebras, ſed ut clarum ſit, quinam ad horum, qui ad illorum cœtum pertineant, (id enim non declaravit Singularius) Cromerus lucem porrigit, ad dignoſcendos obſcuros ab illuſtribus, dum, ut ſupra patet, dicit :* Theologos,Juris Conſultos,& Medicinæ Doctores,ſpectare ad cœtum Illuſtrium. *Ex quo ſequitur, â honoribus arcendam eſſe omnem mentis caliginem, non vero ingenua, plurimôq; labore debitè exculta ingenia, ac verè ſubjecta nobilia, quibus etiam Juſtitia diſtributiva dat palmam præ aliis. Igitur ex Cromeri ſententia Concluſum ſit, quod ad eandem Claſſim omnino pertineant, tam nobilitatus & excultus ſcientiis, quám Stammate characteriſatus, ſi hujus cætera ſint ſaltem cumprimo aliquomodo ſimilia, ſi non omnino paria. Sed ne ipſius Cromeri arbitrio & Authoritati non niſi deferatur, remitto benevolum lectorem præterea ad Herburtum, Regni Poloniæ Statutorum celebrem ſcriptorem, apud hunc leget fol. 328. diſtinctionem inter ipſos Plebejos, ex quibus iis, quibus Doctoralem Cathedram Minerva dedit, etiam Regni Statuta Stallum Cathedrale in unaquaq; Cathedra concedunt, duobus videlicet in Theologiæ, duobus in Juris Canonici, & quinto in medicinæ facultatibus promotis, judicio loci Ordinorij approbandis. Quod Statutum obſervari in Polonia, & in uſu etiamnum hodie eſſe videmus, in Cathedris, Gneſn Cracovien. Poſnanien. Varmien. &c. Indicium, ex quo Singularius monſtrare ſe dicit, qui & quales Abbatiis gubernandis deſignandi ſint? nullum in ejus Singulari video, alias ſi paritas ejus curreret quam affert, idem, aut ſimile indicium deberet eſſe, qui & quales recipiendi ſunt in*

cœtum Monachorum? quale juxta illum est, de qualitate recipiendorum inter Canonicos, cum tamen oppositum indicet conformis ad uniuscujusq; Religionis Regulam & Statuta, quotidiana experientia. In Regula sua S. Bened. Cap. 2. præcipit: ut in suo Ordine, non præponatur ingenuus ex servitio convertenti. Et rationem dat, quia sivè servus, sivè liber, omnes in Christo unum sumus. Jam verò in ordinando Abbate quas requirit S. Legislator qualitates? indicat Regulæ Cap. 64. ubi lego: Vitæ autem meritò, & sapientiæ doctrinâ eligatur, qui ordinandus est in Abbatem etiamsi ultimus fuerit in Congregatione. *Quam Regulam exponendo, plurima ad propositum deducunt, Card. de Turre Cremata tract. 138: pag. 275. Smaragdus Abbas super eodem Capite 64. pag. 416. & Rota decis. 65. par. 1. sub Num. 4. & seq. similia lege in aliis aliarum Religiorum Statutis & ordinationibus. Indicat præterea qualitates Abbatis eligendi Alex. VII. in suo brevi emanato d. 19. aprilis An: 1666. circa generalem Ord. Cistercien. reformationem, & observantiam per eum faciendam Regulæ S. Bened. Bul. Rom. tom. 6. constit. ejusdem 168. § 36. ubi de d. Capite 64. hæc habentur:* præterea eligendus iis dotibus & virtutibus sit instructus, quas S. Bened. in hoc capite, & secundo hujus Regulæ in Abbate requirit, vitentur autem in electionibus hujusmodi omnes inordinati ambitus & processus, & secundum Canones fiant per scrutinium, in quibus omnes dicti Ord. utriusq; observantiæ &c. Monachi, voce passivâ respectivè gaudeant. &c. *Quam constitutionem Alexandri esse observandam in Monast. Cisterciensium Poloniæ, inhærendo decretis Capituli Generalis latis An: 1683. suo particulari brevi præcepit Innoc. XI. 26. Januarij 1685. cum voto Sac. Congreg. Episcoporum & Regularium, ut videre est in Romano Bull. Indicarunt tandem pridem requisitas in eligendo Abbate qualitates, Constit. Synodales Poloniæ, ut in Sum. Num. 4. & 6, Igitur quandoquidem Singularius in hoc Singulari fallitur in suis erroneis indiciis, ex præsenti eorum refutatione veriora capiat, ex quibus certo cognoscet, qui, & quales, Abbatiis gubernandis sint designandi, per libera vota & suffragia eligentium Monachorum?*

XXXI. Collatum etiam Jus Patronatûs Principum inter Regalia, & de non alienandis, Reges sacramen-

mento obſtricti. Et ſi quis illud uſurpare præſumpſerit, infamem lex dicit, & bonis publicatis proſcriptum; uti Statutum Regni fuſius loquitur, verbo: *Jus Patronatus.*

Reſp. Ad XXXI. Singularius jam video per calcatam liberam electionem Abbatum Regularium, collocare vult Abbatias Poloniæ inter Regalia, ſed contra Juris Communis diſpoſitionem, contra Sum. Pontificum decreta, Regum Poloniæ diplomata, Synodorum & Regni Statutorum conſtitutiones, & demum contra mentem ipſorum Fundatorum. recurre ad Art. 4. & 5. Deindè quæro: nonnè non ſcit Singularius Abbatias locatas eſſe Eccleſiæ Authoritate inter Beneficia Regularia, ut quid ergo illas indebitè transfert ad Regalia? inveniat prius (ſi poteſt) modum & locum, ut hæc duo conſiſtant, libera electio Abbatum Regularium, & jus (quod aſſerit) Patronatus, & tunc poterunt & dicta ejus ſubſiſtere; ſed quomodo contra Communem Philoſophiã duo contradictoria ſaltem arguitivè talia ita pacificabit, ut ſimul ſecum aliquando ſtare valeant? Præterea: ſi Abbatiæ locantur inter Regalia, cur non Commiſſariatus, Provincialatus, Rectoratus Prioratus &c.? Quænam locari debeant inter Regalia? ut ſcias, lege Herburtum hoc titulo, & aliter ſenties de Abbatiis. Reges de Regalibus non alienandis ſacramento obſtrictos eſſe verum eſt, ſed etiam nec id negare poteſt Singularius, quod iidem ſimiliter ſint obſtricti ad immunitatem Eccleſiaſticam defendenda, & conſervanda uniuscujusq; Jura & libertates â Prædeceſſoribus ſuis confirmatas, ut teſtatur Herburtus tit: Confirmatio Jurium, fol. 99. & ſeque. Tandem ipſos etiam Regulares, nonne neſcis, graviter obſtrictos eſſe legibus Eccleſiæ ad vitandam omnem alienationem rerum Eccleſiaſticarum? C. nulli licet. de rebus Eccleſiæ non alienan. Id ipſum teſtantur prohibitivæ Conſtit. Synodales Poloniæ lib. 3. fol. 167. eodem tit. Quomodo igitur conciliabis Leges Eccleſiaſticas cum iis, quæ lego in tuo Singulari? At aſſequor ex ſupradictis ſingulare Sacramentum Singularii, cur ſe obſtrictum magis Regalibus demonſtret quàm Regularibus? extant ejus Myſte-

sterÿ plurima vestigia in novis Anonymi. Cæterum ut res magis elucescat, quid hic asserat Singularius, ejus dicta intrinsecè examinanda sunt. Dicit: Reges Sacramento obstricti sunt de non alienandis Regalibus, *& inter hæc locat implicite Abbatiarum collationem. Sed edissere mi Singulari, quis sensus intrinsecus foret præfati Juramenti? nonnè non iste? Juro me Jus Regularium alienaturum, electiones Monachorum liberas impediturum, Privilegia à Prædecessoribus meis data eisdem violaturum. &c. Et ulterius quæro: obligaretnè tale Juramentum in conscientia? utiq; nec in foro fori.? Igitur perpende mi Singulari, quid tuis pallias Singularibus.?*

Dicit ulterius: infamem talem vi Legis esse, qui Jus Patronatus usurpaverit. *Sed iterum quæro: cui inuris infamiam? si Regularibus,? frustra, hi enim non usurpativè sed legitimè, ut ostendi Art. 4. & 5. utuntur Jure liberæ electionis. Porrò usurpator solùm ille ad mentem Legistarum dicendus, qui alienam rem sibi appropriat; tandem Regni Statutum pænale, tit. Jus Patronatus, quod allegas, nonne nescis latum esse contra eos, qui impetrant Sacerdotia Juris Patronatus Regÿ? Jam verò Abbatiæ utiq; non impetrantur, sed per Canonicam electionem de Jure obtinentur, multo magis non spectant ad præfatum Jus Regium, id si negat Singularius, probet oppositum, jam enim meum assertũ sufficienter, imò demonstrativè supra dicta probarunt.*

XXXII. Cum Regalia Principib9 Regibusq; sit moris factô præpugnare, non jure, dedecet Majestatẽ Regiam de Jurib9 suæ collationis litigare. A Rege Bathoreo Demetrius Sulicovius, ut refert Heyndenstenius sup. citat. Romam missus, intentus in conatus eos, jussus esse, maximè si in Judicio Rotæ aliquid susciperetur, ne in controversiam ullam Rex descenderet.

Resp. Ad XXXII. Hic Singularius quasi pro decentia Majestatis scribens, svadet & docet indecentia, imò pessima quæq; & dum actu deficit in probatione sui asserti, factò illud propugnandum censet, non Jure. Ergonè decens, esse

dixe-

dixeris, Jura Regularium confodere pugionibus, & stylò armorum ferreô id sibi adscribere, quod proscribit Justitia? Interim pacis gratia, consilium Singularij consulentis facto Regalia propugnare, sic Jurisprudentiæ limitat; nimirum transito hoc, quod id liceat aut deceat in defendendis Regalibus verè & indubitate talibus. *secus verò, si sint Regalia* solum putatitiè, in voto, aut usurpativè talia. *Deindè: nonnè non decentius est, ut jura, etiam proprissima & indubitata, si fortè ea quis violet, veniant ad lancem Justitiæ, quàm ad Martis lanceam aut gladium? Jus electionis liberæ nodus est, quem ex sensu unanimi Juris consultorum nonnisi Themidis acies potest discernere. T. q. in Regno libero decetne, ut imperaturus omnibus, non eligatur ab, & ex omnibus? Hinc sicut pro tota Polonia Sigis. Augustus An: 1550 decrevit, ne Rex coronaretur, nisi liberè juxta Statuta Regni electus, ita Regulares Poloniæ in votis habent, ne Abbas confirmetur, nisi juxta Regulæ & Regni Statutum de An: 1538. liberè electus à Monachis. Si dedecent (ut inquis) Majestatem juris litigia? suadenda est pax, non media violenta, dicendum quod justa ratio, non furor ministrat, informanda juxta Synodi obligationem Majestas Regia de Juribus Regularium, quod scilicet Abbatiæ spectent de jure ad electiones Monachorum, non verò ad ullum jus Patronatus. Vide hâc de re Synodi legem latam, in Sum. Num. 10. cui consonant relata Art. 3. ad Annum 1695. Verbo: prætereà. De Rege Bathoreo quod hic dicit Singularius, oppositum demonstrat Sum. Num. 12. ubi patet præfatum Regem acceptasse Synodum à Greg. XIII. approbatam, quæ disposuit, ut nihil ex Regia Cancellaria contra liberas Poloniæ Abbatum electiones expediatur, eam Synodi constitutionem ibidem retuli Num. 10. Quod verò Regiam acceptationem prædictæ Constitutionis, subsecuta est & effectiva ejusdem observantia, patet ex literis Bathorei, quibus recommendat Rescium eligendum in Abbatem Andreovien. ut in Sum: Num. 13. Igitur contra Singularij narrata de Sulicovio, ac si jussus sit, ne in judicio Rotæ aliquid susciperet in materia Abbatiarum Poloniæ, illud jussum non ex mandato Bathorei fuisse palam est, sed ex ambientium cupiditate, quæ id nonnisi attende-*

re novit, quod dictat honoris & redituum Amor, non verò quid retrogradè sonet, scilicet, quid Roma dicat? Id singulare & proprium esse Singulario scripta ejus demonstrant, qui consulto declinat Romanam Rotam, ut eò magis exorbitet â justitia; cavet ne de materia Abbatiarum controvertatur in Rotæ judicio, sed frustra; hæc disputatio jam pridem in publicum Romæ exposita, de qua è Vaticani collibus tale echo resonat, quod Argumenta Juris Patronatus asserti, non sint in forma juris, adeoq; hactenus contra Jus Regularium Poloniæ nihil concludunt; vide Sum. Num. 19. 21. 22. & præcipuè 34.

XXXIII. Lex jubet non disputat. Rex ablegat ad electiones Abbatum nuncios, & scribit: *ut eligatis hunc & non alium.* Ab immemorabili Stylum hunc Romana Curia suscepit, cui nunquam Religiosi sese opposuerunt.

Resp. Ad XXXIII. *Si Lex (ut inquis) jubet, ergo audienda, ergo servanda. Lex Divina prohibet aliena concupiscere. Naturalis jubet unicuiq; suum tribuere. Canones præcipiunt, Concil. Trid. imperat, Regularia deberi Regularib⁹ non Sæcularibus; & cur disputas mi Singulari? Regni Statuta relata in Sum. Num. 3. 5. 14. lit A. & B. decidunt, tot Synodales Constitutiones decernunt, illa: ut â Monachis liberé in Abbatem eligatur Polonus, nobilis, idoneus &c. hæ: ut eligatur vitæ meritò, & scientiâ conspicuus, utraq;: ut Professus. Et cur controvertis? Cur in dubium vocas indubitatum Jus Regularium? Demum: Supremum Ecclesiæ Caput palam in suis Bullis pro dicto jure loquitur, tot Regum Poloniæ Coronati vertices suis diplomatibus recognoscunt competere Monachis jus eligendi, illudq; manutenere se obligant, & cur contra mentem Pontificum, contra sensum Poloniæ Regum, solus sentis Singulari? Cur te Authorem exhibes operis (quod tibi ad præsens refutatur) nunquam certè â Potestate legitima approbandi? cur tot evidentes leges offendis, jus solum putatitium, quod in re non est, defendendo? cur pro uno tuo asserto tam multa, licet nihil probantia, dicens, Juri Communi & omnibus Regularibus contradicis? ergone stan-*

do

do pro tuo unico sensu, tot leges evertes ? Attende quid dicat vulgata Juris Regula : id omne quod contra legem fit, injuste fit; debetq; pro infecto haberi. *Norunt Regulares, quæ, quid, lex jubeat ? quid prohibeat ? sed & Singularius puto scit, ex Cap, minus. de immun. Ecclesiastica, & ex Cap. noverint, de sent. excom.* quod potestas Sæcularis non valet quidquam contra Ecclesiasticam libertatem decernere. *Item ex Herburto titt. Spirit. fol. 454. novit, quod per Statutum Regni de An. 1543. sub Sigis. latum,* omnes causæ de Juribus Patronatus ad judicium spirituale pertineant, ibiq; examinandæ sint. *Cur igitur Singularius judicium Rotæ supra declinans, disputat extra judicialiter per 50. sua Singularia ? in quibus imperativè volens convincere Regulares inquit :* lex jubet ; *quid verò jubeat non expendens, mavult poti9 imperare, quàm subesse legū imperiis, quarum plurimas pro parte electionis liberæ producunt Regulares. Tandem ulteri9 Singulari9 à lege, ad scripta, monimenta legenda provocat inquiens :* Rex ablegat ad electiones Abbatum nuncios, & scribit, ut eligatis hunc & non alium. *Sed ut scripta scriptis refutentur, legat quæso Singularius in Sum. Num. 8. lit. A. Sigism. Augusti diploma pro liberis electionibus Cistercien. Poloniæ, item ibidem lit. B. pro Miechovien. item Steph. Bathorei pro Andreovien. Sum. Num. 13. & Joan. Casimiri pro Cister. Sum. Num. 15. item Michaelis pro iisdem Num. 17. & Joan. III. Num. 23. Alexan. pro Pelplinen. Num. 30. Item literas Commendatitias Sigis. III. ad Oliven. Num. 39. ex quibus Singularius discet oppositum, videbitq; eam clausulam :* hunc & non alium, *ibidem exclusam Verum dato non concesso, quod alicubi ita præjudiciosè scriptum legeretur, jamne ideo jus Regularium proscriptum, ? quæro : quod juris fundamentum præfati Styli Cancellariæ ? quæ lex, quod Regni Statutum extat de apponenda eâ clausulâ ? quis Authoramentum ad id concessit. ? nonnè non didicisti supra ? quod Rex Michael in confirmatione Prædecessoris sui diplomatis, decrevit pro parte Cistercien. quod;* quidquid ex Cancellaria Regni præjudiciosum juribus d. Ordinis prodierit, pro subreptitio sit habendum. *Relege iterum Sum. Num. 17. In eo fundamento olim Andreovienses, non obstante Regia Commendatione pro Olszovio, Madalinium elegerunt, ut supra retuli, Art. 1. ad An. 1671. Deinde quæro 1. Stylus*

lus præfatus ad Capitula Monachorum, ut videlicet eligant : hunc & non alium, *deceretne Majestatem ? quandoquidem in re præciperet, ut Capitula legem Ecclesiasticam (quæ jubet libere & Canonice Abbates eligi) infringant, ut contra Jus Canonicum agant, ut Statuta Regni non servent, verbo : ut jure sibi competenti non utantur ; super quod, potest ne dari major injustitia ? 2. obligaret nè Stylus talis Capitula ? Neutiquam ; quia alias obligaret ad id, quod est prohibitum Jure Canonico, videlicet ad electionem non Canonicam. 3. Ille ipse, qui tales literas in sui Personam exportaret ex Cancellaria, quid commodi & laudis ex eo referret ? Quis scit an Monachorum Capitula lectâ præfatâ clusaulâ non inferrent sibi, quod taliter recommendatus, non fidat suis meritis &c. sed unicè mandato Principis, qui quantis erroribus in deligendis subjectis est obnoxius, attestatur Cromerus lib. 25. fol 569. in hæc verba :* Longé facilius unus aliquis, & is quidem alienis fere oculis & auribus sentiens, ac judicans, errat & fallitur, quam multi graves acuti, & multarum rerum periti. Et, aliud is plerumq; spectat, quam quod potissimum spectandum est, in deligendo. *Stylum talem susceptum esse ab immemorabili â Romana Curia, dum hic asserit Singularius, id probare debet, nam in Sum. Num 36. Rescripta Sacræ Cong. aliud demonstrant, ubi leges quam plurimos licet â Rege (quidquid sit an cum, an sine illa clausula) commendatos, â Romana tamen Curia non susceptos. Quod verò in fine addit, acsi nunquã styló præfatô Religiosi sese opposuissent, ad id resp: prius est probandum suppositum, nimirum, quod hic stylus in usum venerit ; præterea : præciso etiam hoc supposito, nonnè ex supradictis non patuit, ? Regulares Poloniæ pro manutenendo Jure electionis Abbatum toties desudasse, hujus tot sunt testes, quot literæ in impressis Romæ processibus in negotio Juris Patronatus, relege novissimum Art. 1. ad An. 1671. Item oppositionem antiquiorem Monachorum contra prætensam Collationem Alexandri Regis, Articulo eodem ad An. 1504.*

XXXIV. Jus Patronatûs Principum, Magnatum, vel alicujus Universitatis seu Familiæ, quæ plurimũ pollet Authoritate, (*inquit Piaseccius*) præsumitur potius ex usurpatione, præsertim in locis, in quibus similes Personæ exercent Jurisdictionem, quæ tamen usurpationes firmant jus Patronatus privatorum, quanto magis Regnantium.

Resp.

Resp. Ad XXXIV. *Jus Patronatus ex usurpatione præsumi, si alicubi dicit Piaseccius, intelligendus loqui de Beneficiis Sæcularibus, nam respectu Regularium si non sufficit titulus fundationis & datationis ad legitimè habendum jus præfatum, sed præterea requiritur Privilegium Apost. in limine fundationis, ut toties supra dictum, & ex Jure probatum, multominus sufficiet nuda usurpatio. Jus Regularium fundatum est super firmam Petram, non super arenam, cui cum sensu suo innittitur Singularius; ac proindè ad illud tollendum nequit esse legitimus titulus Authoritatis vel usurpationis. T. q. si usurpatio firmaret Jura Patronatus, haberemus super unam eandemq; rem tot legitimos Patronos, quot usurpatores, cum tamen id nequeat admitti. Legat Singularius Trid. Concilium Ses. 25. Cap. 9. de Refor. & videbit, quod in iis Personis in quibus id jus plerumq; ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, pleniorem & exactiorem probationem ad docendum verum titulum requirat Concilium. Legat item, id ipsum reassumens Concilium recentissimum sub feciliter regnante Benedicto XIII. Romæ celebratum, An: 1725. quid tit. 24. de Jure Patr. Cap. unico decernit? Ex quo excerptum vide in Sum: Num. 40. T. q: ex ipsa præcisè usurpatione imperceptibile est, quomodo possit resultare aliqua Juris Proprietas strictè talis? ex terminis liquet diversa hæc esse:* usurpare jus, &: habere legitimum jus. *Primum nascitur exquocunq; etiam injusto titulo, imò ex ipsa vi & violentia, sed id non fundat legitimitatem. Secundum haberi nequit sine positivo legis fundamento. Notum tot Tribunalium subselliis, in orbe plurima usurpari à pluribus, hoc tamen non obstante usurpatoribus propriè & rigorosè talibus, nunquam id adjudicat Justitia, quod sibi purè usurpant; quia alias etiam malæ fidei Possessores triumpharent.*

XXXV. Claret Jus Patronatûs Regium, & Abbatiarum collatio Regum Poloniæ, etiam apud exteros, lib. cui tit. Breviarum orbis hodie imperantis, quærit Author: Quænam potest solus Rex in Polonia? solus Rex respon-

 det

det poteſt Magiſtratus tum ſacros, tum Civiles conſtituere. Magiſtratus ſacri quos Rex ſolus conſtituit, ſunt Epiſcopi & Abbates, quos tamen non ex pacto ſolum, ſed ipſo jure quoq; conſtituit, adeoq; in hac re Rex Poloniæ, ipſos Germaniæ Imperatores vincit (ut ibi Germanus ſcriptor loquitur) ſed & Severinus de Monzabono neotericus hæc habet: Rex Poloniæ ipſe, Epiſcopos & Abbates nominat, Palatinos, Mareſchalcos, & Cancellarios, Theſaurarios, Duces Militiæ creat, reditus Coronæ diſpenſat, & Præfecturas diſtribuit, deniq; Univerſos Reipub. honores prout ipſi placet confert, habetq; omnes in manu remunerandi, beneficioq; afficiendi, quoſcunq; voluerit modos. *Cromerus lib. 30. fol. 746.*

Reſp. Ad XXXV. Fruſtra Singularius apud exteros lucem quærit Polonæ Majeſtati, ſatis in ſuo Lechico Hemisphærio Sereniſſima eſt abſq; fulgore exterorum, ita tamen, ut nonniſi intra ſphæram activitatis ſuæ gratiarum radiis præclara poſſit operari. Hinc nec liber, cui tit. Breviarium orbis &c. ſplendores Majeſtatis & Jura ampliare ultra valet, quàm lex permittat. Ut clareſcat Jus aſſertum à Singulario, probandum eſt clarius, nam hactenus in conſpectu Vaticani jura Regularium manifeſtius eluceſcunt, & ideò ſacra Congr. Joan. III. regnante, dum Romæ quæſita eſſet Regiæ collationi via gratiæ, reſcripſit: non agi de gratia, ſed de mera Juſtitia. *Ut retuli Art. 1. ad An: 1680. Claret jus Regularium præterea ex Sum. Num. 19. 21. & præcipuè 34. Cromerum pro hoc ſingulari citatum, luſtret ac revolvat attentius Singularius, & clarè deprehendet indebitè hic ſcripta ſua Authoritate ejus illuſtrari.*

XXXVI. Non eſt Regum Poteſtatis quidquam de Jure Patronatus dimittere, cum per Pacta Conventa ſpecificè juret, ſe Regalia non alienaturum, quinimo defenſurum. Neq; Ordines Regni aliter Regem eligunt, ac præcipuè Seren. Regi feliciter nuper electo & coronato, Pactis juratis, id præſcriptum eſt.

Reſp.

Resp. Ad XXXVI. *Singularius nolens dimittere de sensu suo erroneo, multiplicat Singularia, idq; ipsum repetit in præsenti, quod jam dixerat in Singulari 31. Igitur remitto primo ad ea, quæ ibidem pro refutatione dedi. Et præterea hic iterum respondeo: Benè Singularius pro Regum potestate, sed ultra suæ probationis facultatem loquitur; de Regalibus verum est, secus de Regularibus; potestas Regum si nequit quidquam de Jure suo (ut inquit) dimittere, & quomodo poterit licite & legitimè Juri Regularium manifesto palmam præripere, illudq; totaliter tollere? eam potestatem utiq; non permittit Justitia, quæ jubet suum unicuiq; intactum manere. Restat consideranda Singulario Regum potestas, non utcunq; & simpliciter, sed cum addito:* legitima, *quæ juxta omnes non plus virium habere potest, quàm jus tribuat, illud si unicè desit, potestas quidem adhuc manebit, sed solitaria & illegitima, ut potè cui jus non præbet assistentiam. Neq; Pacta Conventa super quæ Reges jurare solent, rumpunt fœderea, quibus Regulares Juribus suis defendendis sunt adstricti. Scio in libero Regno Poloniæ vi ejusdem jurejurandi Reges coram Deo obligari ad libertates defendendas suorum subditorum, igitur si mi Singulari vi dicti sacramenti non urges Majestatem ad defendendas immunitates & jura Regularium, cur ad violanda stimulas? tunc jurejurando obligatam Majestatem probabis efficaciter ad impediendas liberas electiones Regularium, postquam purificaveris conditionem ad id essentialiter requisitam, quod scilicet Collatio Abbatiarum spectat de Jure ad Regalia; alias hôc non evictô, quis juxta dictamen conscientiæ dixerit? Regum potestatem adstringi jurejurando ad violanda Jura Regularium? nisi fortè ille, qui vellet Reges obligatos esse in conscientia, ad agendum contra conscientiam, contra justitiam, & cum gravi injuria aliena. Certè talia velle, est in debitè velle Regem contristare propter jusjurandum. Nec Ordines Regni ita Regem eligunt, ut dicit Singularius, eligunt enim ut conservatorem & tutorem libertatis unicuiq; debitæ, eligunt ut Jurium omnium, adeoq; & Regularium defensorem, idq; primarium est, quod semper & eligentes respiciunt, & electi ad thronum Poloniæ præstare obligantur. Quodsi verò quis velit contendere & dicat, Reges electos stringi per Pacta Conventa ad læsionem Jurium Regularium, adeoq; ad violendam libertatem Ecclesiasticam, noverit ab hoc vinculo, Jure Communi prorsus Majestatem esse absolutam.*

XXXVII. Norunt Catholici Europæ Monarchæ, nunquam Conc. Tridentino id mentis fuisse, Juri Patronatus Regum & Principum derogare, uti deducit Piaseccius. Illæ verò dispositiones S. Con. Tridentini, ut Regulares Personæ ejusdem Ord. Professæ Abbatiis præficiantur, & si quæ sunt aliæ, Consultivas tantum esse docet Celeb. Juris Doctor Steph. Gratianus, & vigere tantum, ubi Regum collationes non interveniunt. Secus aliter ut in Regno Poloniæ, Hispaniæ, Galliæ, ubi merentes in aula hæc præmia sumunt. Imò sæpè contingit plures Abbatias uni accumulari. Hattonem Archiep. Moguntinum, 12. Abbatiis â Regibus Germaniæ præfectum fuisse, longè retro anteactis temporibus adfert Corring. Ut in Gallia recentiores, Richelium & Mazarinum omittam. *Loc. sup. citato Num. 11. & 12. discep. foren. C. 123. Num. 12. adstipulantibus sibi multis DD. disser. pro Mogun. p. 66.*

Resp. Ad XXXVII. *Imo: Ne depræhenderetur Singularius contra propriam mentem se dixisse, recurrit ad mentem Tridentini, sed tardè, prævenerunt Juris Consulti, qui mentem Tridentini ex ipso textu optimè cognoscentes, docent, quod licet nolit Concilium derogare Regum Patronatui* legitimo, *neutique tamen approbat usurpatũ, ut ostendi in refut. Singularis 34 Quodsi adhuc de mente Concilii dubitat Singularius, ne se resolvendo, & ipsemet erret, & alios in errorem trahat, recurrat opto ad sacram Congr. interpretum Concilii, & facile [si quod habet] resolvet dubium. Resp. 2. intorquendo dicta Singularii: nunquam Concilio Triden. id mentis fuit, derogare Juribus Ecclesiasticis, & infringere Jus liberæ electionis Regularium, ut patet ex ses 25, Cap. 6. de Regularibus, ne alias derogaret & contradiceret sibi ipsi, Ergo potius oppositũ dixisse debuit Singularius ad mentem Triden. respectivè ad Abbatias, quàm supra dixit. Verum in gratiam sui asserti jam consulit Gratianum Singularius, qui, quandoquidem res de Justitia in præsenti est, potius Justinianum consulere debuerat, nihilominus etiam præciso ullius Consilio, nonne legenti Concilium Triden; mens ejus quæ sit, non patet ex ipsis terminis? dum sic loco citato inquit:* S. Synodus districtè præcipit omnes supradictos [*ubi & de Abbatibus loquitur*] eligi debere pro vota secreta.

Quo-

Quomodo igitur districtum præceptum Concilij, laxâ explicatione
Gratiani, consultivum dici rectè poterit ? vereor ne Singu-,,
larius quærat quempiam talem Gratianum, qui ipsa De-,,
calogi præcepta censeat spectare ad Consilia. Præterea ut,,
innotescat,an Singularius non abutatur explicatione Gratiani,,
examinandum est,quid hic dicat, citatus ab illo ? dicit Gratia-,,
nus: ubi Regum Collationes (intellige legitimæ) non interveniunt
vigere electiones,secus aliter ; quod doctè ac prudenter inquit, ,,
quomodo enim duo Jura è diametro sibi opposita, scilicet: Jus,,
Canonicè eligendi, cum Jure præsentandi,stare possent? quo-,,
rum unum est sublativum alterius ; certè præsentatus, non,,
eligendus, sed instituendus foret. Cæterum prædicta Gratia-,,
ni docta speculatio, nihil habet in gratiam asserti Singularij. ,,
nam hic simpliciter vult habere pro consilio Electionem Abbatum, &c.,,
fortè sibi consulere intendit tali gratiosa interpretatione Tri-,,
dentini ; sed gratis, fallitur enim in supposito. Non dixit,,
Gratianus in sensu latissimo,ut sibi imaginatur Singularius,sed,,
limitate, quæ limitatio longè alium sensum facit. Hinc cum,,
dixit : secus aliter, id sic intelligi debet : ubi de Iure intervenit
Regum Collatio, ibi non vigent electiones, ac consequenter,ibi Tridenti-
num disponens de electionibus non est præcepti Ex quo tamen adhuc,,
sequitur, quod,ubi Privilegium & dispensatio Apostolica su-,,
per Collatione Abbatiarum non adest, dispositio Tridentini,,
præfata, habet rationem rigorosi præcepti ; aliàs (nota retor-,,
sionem) Decreta similia Triden: quæ sine dispensatione ne-,,
queunt non servari, essent solùm Consilij, quod falsum est.,,
Lege Sess. 24. Cap. 17. de Refor. ubi loquitur Trid. de plu-,,
ralit: benef: & perspecta habebis hìc dicta. Nota in expli-,,
catione Gratiani dictum esse: ubi de Iure intervenit &c. nam,,
nullum talem ex Jurisperitis Gratianum inveniet Singularius, ,,
qui prædicta extendat ad collationem solùm prætensam, &c,,
in nullo legitimo fundatam Titulo. Relege supra citatum,,
sum. Num. 40. ubi videbis mandatum Romani recentissimi, ,,
Concilij decernentis, non sufficere ad Jus Patronatûs quod,,
interveniant Collationes utcunque tales, sed requiri omnino
verum Titulum & Ius, quo Patronatus hujusmodi sunt constituti.
Igitur patet ; malè inferri à Singulario, ac si Electio Abbatum,,
sit solùm Consilij, nam ubi de Jure intervenit collatio Re-,,

gum, ut quid Triden: consuleret Monachis electionem Ab-„ batis? alias (ut per se patet) consuleret violationem Juris„ Collationis, quod nemo dixerit. Ergo potius inferendum est„ contra Singularium, quod ubi de Jure intervenit collatio Ab-„ batiarum (puta vi Privilegij Apost:) illius usus non est præ-„ cepti, ut pote; cum Pontifex concedens tale Privilegium,„ non adstringat ad præsentandum, sed solum permittat facul-„ tatem utendi illô, vel non; ubi autem non adest Privilegi-„ um dictum pro parte Principum, indubitatum est quod De-„ creta Trident. de præficiendis Regularibus Abbatibus præ-„ ceptiva sint, non verò (ut vult Singularius) consultiva. Ul-„ teriùs Singularius â præceptis Tridentini devians, transit ad„ exempla Exterorum, cupitq; etiam in Polonia concedi uni, „ Abbatias plures; sed nonne non legit eam vulgatam Juris Re-„ gulam? gratia uni facta non est trahenda in consequentiam & exemplum aliorum. Concessus â Sum. Pontificibus ex justis ratio-„ nibus uni Regno, vel Personæ favor, nunquid ad omnes„ ampliandus? non omnis fert omnia tellus. Certè Regulares„ exteri, si fuissent provisi tot suorum Principum diplomatibus„ & Regni statutis pro manutenendo Jure Electionis, quot ha-„ bent Monachi Poloniæ, facilè pro illius conservatione â Ro-„ mana Curia favorem impetrassent. Igitur stante hâc unâ (nam„ plures allegare superfluum) disparitate, indebitè Singularius„ allegat exempla Exterorum. Vel: si illa sequi placet, adest„ vicinius exemplum in Silesia, Bohemia, & tota Germania ubi„ pacificè â Regularibus Abbates eliguntur. Deinde quæro:„ cur mi Singulari non sumis pro exemplo tot alia Monasteria„ in ipsa Gallia libertate electionis pollentia? de Hispaniæ Re-„ gno aliud ij testantur, qui ibi præsentes causa peregrinationis„ fuerunt, referentes, vigere ibidem Electiones Abbatum cano-„ nicas apud Regulares. Præmia ex Abbatijs immeritò vult„ Singularius providere in Aula merentibus, jam supra dictum„ unde illi debeant præmiari.

XXXVIII. Sicut æqualitas, ita respectus vicinorum Principum observatu non incongruum suadet, ut Rex Jurium Patronatûs quæ sunt communia Principibus, tenacior sit, ne tenuiori

tenuiori lenitate Imperatoris & Hispaniæ Regis exemplo, occasionem præjudicij pariat, illudq; patiatur.

Resp. Ad XXXVIII. *Pro responsione præter ea*, „ quæ ad superius singulare (nam cum hoc coincidit) dicta sunt, „ hic addo: æqualitatem Principum non æque perspectam esse, „ Singulario, indicat præsens singulare, cui notum esse deberet „ quod alij Principes sint Hæreditarij, alij Electivi, uni Privile-„ giati certis favoribus Apostolicis ad Collationem beneficiorum, „ aliquorum, secus alij &c. Igitur datô quod unusquisq; Prin-„ ceps æqualis sit alteri in ratione dignitatis Principatûs, non, „ enim unus est magis Princeps quàm alter, nihilominus magna, „ est in cæteris inter ipsos Principes inæqualitas, ut e: g: in ra-„ tione amplitudinis & redituum, & (quod ad præsentem at-„ tinet materiam) in ratione Jurium, respectivè ad Collationes, „ ut ex dictis liquet. Hinc Singularius dum allegat & supponit, „ eam æqualitatem in Principibus, probet necesse est Jurium, „ Collationis realitatem coram foro competenti, demonstretque, „ tantum esse Jus unius ad conferendas e: g: regulares Præpo-„ situras, quantum alterius; nam juxta Aristotelem æqualia so-„ lùm illa dicuntur quorum quantitas una. Exempla præjudicij, „ exterorum Principum in hoc singulari fingit Singularius, illi, „ enim Monarchæ quos allegat, negant præjudiciosum sibi esse, „ quod non sint in usu Collationis eorum beneficiorum, super, „ quæ non habent Privilegium Apostolicum, Singularius (ut pa-„ tet) etiam deviô judiciô, quærit, æqualitatem Jurium, Col-„ lationis Principibus excogitatq; Regibus fieri præjudicia, si Col-„ latione careant regularium Prælatorum, sed sensum Singula-„ rij non omnes æquè sequuntur, nam Vates coronatus it inficias, „ qui ipsum etiam Collationis honorem, an in omnibus Princi-„ pibus æqualis sit, discernendum, & ne præjudicium aliquod, „ patiatur, disjudicandum suadet, dum inquit?„ *honor Regis Judicium diligit. Psal. 98. ℣ 3.*

XXXIX. Periculosa res est Principibus, incuria Jurium Majestatis, aut lapsus; Henricus V. â Synodo Rhemensi excommunicatus instigante Callixto II. Pacis obtinendæ gra-

tiâ, Vormatiæ Juri constituendi Episcopos palàm renuntiare coactus est, donec Sæculo XIV. suborto inter tres Pontifices Schismate cum res Ecclesiæ fluctuant, Germaniæ Clerus libertati pristinæ consuluit, Episcoporum Electione ad Canonicos redeunte, Jus investituræ Cæsaribus, circa Curiam Romanam confirmatio mansit. *De Stat. Imper. Germ. superius allegat: Severin. de Monzabano.*

Resp. ad XXXIX. *Solicitudo Singularij præmonens* Reges de proveniente periculo ex incuria Jurium Majesta-„ tis, laudari deberet, nisi præcavendo, unum periculum induce-„ ret in aliud, & quidem longè majus, quia exitiale non solùm„ suæ, sed & sequacium animæ; svadere enim & inducere„ quempiam ad læsionem Juris alterius, sat evidens est utiq; pe-„ riculum tàm inducentis quàm inducti. Renuntiatio Collationis„ de qua scribit Singularius, non ne non laudabilis est; per quam„ Religiosissimus præfatus Monarcha recognoscens in subsistentiam Juris sui, ac prætensam Collationem suam declarans esse„ nullam, imminens propriæ animæ periculum declinavit.

XL. Probabile fuit Fastorum Pol. Scrip. Cromero & Religiosissimo Antistiti, & prima Religionis instituta observare, cum dicit lib: 2. Polon. descript: *Abbatum, & Præpositorum eligendorum Jus Collegia Monachorum hactenus retinuêre, sed jam vix retinent, ab Episcopis primùm, deinde etiam à Regibus labefactatum & violatum.* Et probabile eidem fuit, utilitati Ecclesiæ, necessitatiq; Reipubl. prospicere quando concludit: *ad electionem quidem certè Regius assensus & Episcopi authoritas accedat, oportet.*

Resp. ad XL. *Non probabile, sed certum omninò* (ut textus indicat) Cromero fuit, quod ad regularium Polo-„ niæ Capitula ex vi primi Instituti Jus eligendi Prælatos suos„ spectaverit. Item certum eidem fuit, à quo dicti Juris læsio„ initium sumpsit, dum inquit: **ab Episcopis primum labefactatum & violatum.** Sed his pessimis initijs mox obstitit Authoritas Se-„ dis Apostolicæ, expedito Brevi Julij III. ut in Sum. Num: 7. imò & Synodus Provincialis Regni Poloniæ, ut in Sum. Num.„ 6. Hinc jam mediatè nonnisi, videlicet mediante Regum po-„ tentiâ & Commitiorum authoritate præfata mala initia pro-„

moveri

moveri cæpta ab Adverſantibus Juri Regularium,ut idem Cro-„ merus non ſine admiratione exclamat, cujus verba ſupra„ retuli, in refutatione Singularis 15. fol.82. ſed nec Re-„ gularium Cura defuit pro Juribus ſuis defendendis, ut patet„ ex plurimis diplomatibus Regum Poloniæ obtentis pro parte„ liberæ Electionis â Regularibus, in quibus Reges ſuam prote-„ ctionem contra quosvis violatores Jurium Monachorum pol-„ licentur, ut in Sum. Num. 8 lit. A. & b. & Num. 15.17. „ 23. Utilitas, quam hic allegat Singularius, privata eſt, adeoq;„ non poteſt præferri utili Communitatum Regularium ad cau-„ caſanda ejusdem damna. T.q. unius Eccleſiæ utilitati, quis„ benè proſpectum eſſe cenſeret, cum gravi malo alterius? utiq;„ nequit unum altare operiri, denudatione alterius? Nec neceſ-„ ſitatem juſtam aſſerit Singularius in ſuo Singulari, cui ſimi-„ lem, Chriſtus reprobat in Evangelio inquiens: *neceſse eſt ut veniant ſcandala, verumtamen Væ &c.* quis dubitat proſpici poſſe„ neceſſitatibus verè talibus Reipub, absq;ruina & deſpectu. Ju-„ ris Regularium? Cromeri Authoritas, quâ concluditur im-„ mediatum ſupra Singulare, ne quidem probabilem reddit aſ-„ ſertam â Singulario utilitatem, aut neceſſitatem violandi Ju-„ ra Regularium in Electionibus Canonicis; notum ex eodem„ Cromero, quomodo oppoſitionem pro Electionibus liberis in.„ exemplum adducit lib. 7. fol. 189. ſic inquiens: *Perfecerat id Collegium per Ioan: Archid: ut libera deinceps eſset Electio &c. inquam ſe Principes perverſo more etiam tunc ingerebant.* Subſe-„ quentibus verò annis,quâ de cauſa inolevit jam legitima Col-„ latio Epiſcopatuum patet ex dictis in refutatione Singularis„ 8. fol. 68. Verbo: *quod ſi diſparitatem &c* Tum quia ſi benè„ trutinentur Cromeri dicta, hic ex eo ſolum dicit: *ad Electionem Abbatis Regius aſsenſus accedat oportet,*quia neceſſitati præ-„ fatæ anſam dedit ſubmiſſio, quam Caſimiro III. fecêre Lubi-„ nenſes, vide eam in Sum. num. 1. vi cujus ſpoponderunt„ Electum â ſe liberè ac Canonicè Abbatem, præſentaturos ſe„ Majeſtati Honoris exhibendi gratia,& aſſenſum poſtulaturos.In-„ noteſcit hæc mens Cromeri ex præſenti Singulari, ubi (ut le-„ gere eſt) non negat Cromerus, Jus eligendi Regularibus,ſed„ attentâ præfatâ ſubmiſsione per vim pro tunc extorta â Be-„

nedictinis, Jus illud vocat valdè debile, ac proinde dicit: „ Ius præfatum Collegia Monachorum iam Vix retinent. Verùm,„ præscindendo etiam ab ea explicatione Cromeri, utiq; assecu-„ ratio unius Ordinis aut Monasterij, nequit præjudicare Juri;„ aliorum; quod ne evenisset, meliùs post tempora Cromeri,„ prospexerunt Poloniæ Monasteria validitati & firmitati Juri„ um suorum, ut supra retuli, maximè Artic. 5. fundam. 5. T.q.„ Juxta notam Regulam Juris: ea quæ metu geruntur, insanabilis nullitatis vitio manifestè laborant, etiamsi cum Principe facta fuerint: cui consonat Rota decis: 26. Num. 5. & sequent. T. q.„ quod datur ad redimendam vexationem, tanquam ex turpi Causa datum, repeti potest, ut benè ratiocinatur Rota, decis. 335. num 6,„ & 7. coram Cels.

XLI. Vim sibi illatam fuisse & esse, passim in vulgus spargunt Regulares. Felix, prospera, fortunata vis Monasterijs, penè cælitùs delapsa. Regem prout à primordijs Fundatorem adepti sunt, Patronum, habere, Collatorem, Protectorem. Abbates nancisci Illustres, Magnatum Filios, negotiorum Reipub. gnaros, sublimi Regis judició lectos, qui in Curia negotijs non otiosis immersi diu noctuq; pro immunitate Ecclesiæ, libertate Patriæ, dignitate Reipub: ministerio Regis insudantes, in conspectu Principum, piè, sobriè, castè, vivere didicerunt. Remoti Externi Vicinæ Germániæ peste hæresum afflati, & à gubernaculis abstinere jussi ignari, rudes, Patrimonium Christi dissipantes. Probè disposita munia, Fratres psallere, Abbates qui Regimini nati & magis idonei, regere & gubernare constituti.

Resp. Ad XLI. *Non solum Regulares, sed ipse etiam Cromerus*, vim esse illatam JuriRegularium, palam ut vidimus,„ supra recognovit, dum dixit: Ius Monachorum ab Episcopis primum, deinde a Regibus etiám violatum. Imò & recentior atte-„ statur id ipsum Regni Protectoris Card. Barberini Epist: ad„ Ioan: III. scriptâ, in qua scribit: id vi & violentia velle sustineri, quod justitia obtineri nequit. Ut retuli Art. 3. ad An. 1686.„ Huc spectat quod ibidem leges ad An. 1694. Quantum ad„ Regulares attinet, falsò illos Singularius aspergit crimine non,„ enim ij spargunt, (ut inquit Singularius) sed legitimè pro-„

bant,

bant, & toties in Romana Curia probarunt, vim sibi infer-„ ri; imò id ipsum nonne non satis probat petitum ab Adver-„ sarijs, licet non obtentum â Pontifice, Commendarum Privi-„ legium contra Jura Regularium, cui protunc petitioni rescri-„ psit S. Congr. d. 4. Oct. 1680. non agi in præsenti de gratia, sed de mera justitia,

Resp. 2do. *E contra scripsisse debuerat Singularius, si* veridicus dici, & esse voluisset, videlicet: vim inferri Iuribus Majestatis passim in vulgus spargitur. Quam veritatem ex Zalu-„ scio retuli Art. 3. ad An. 1695. qui sic hac de re scribit: „ Ius Patronatus plenis buccis detonant sæculares, illud ignorantes &c. plura lege locô supra citatô. Ulterius Singularius vocat eam,„ vim Monasteriorum felicem; sed quæro: ergonè violatio Ju-„ rium alterius reddit felicem violatum? quis unquam vidit,„ quod aliquando fecerit felices violatio? nisi fortè ipsa infe-„ licitas felicitatis Nomen indebile sortiatur, quod repugnat in„ terminis. Vocat eandem vim, prosperam; sed poteſtne li-„ bertatis oppressio prosperitatis veræ titulô colorari? Vocat„ fortunatam; sed sicut cæcus de colore, aut malè, aut prorsus„ non judicat, ita obcæcatum crederem intellectum, qui mi-„ seram sortem Regularium, â sibi Adversis violentis modis cau-„ satam, fortunam esse reputaret. Vocat tandem vim illam,„ penè cælitus delapsam; sed poteſtne de Cælo delapsum præci-„ pitare ad inferos? ut præcipitare solet violentia omnis, vim„ inferens legitimo Juri alterius Notum est ex Regij Vatis te-„ stimonio, prospexisse de Cælo justitiam, quæ ut Justinianus,„ inquit: Ius suum cuiq; tribuit, ac ptoinde violare nequit; hinc,„ violentia, sicut de Cælo labi, ita ad Cælum spectare, ne uti-„ quam potest; & licet certò sensu juxta S. Scripturam dicatur:„ quod violenti Cælum rapiant, non tamen ullibi lego scriptum,„ quod illud possideant Jura Ecclesiastica violantes, utpotè, quos,„ Jus Divinum proscribit â Cælo. Monasteria Poloniæ cum suis,„ Regularibus Abbatibus, debitâ cum gratitudine recognoscunt,„ (præcisis etiam Singularij ad id obligantis stimulis) & profi-„ tentur Serenissimos Reges Poloniæ, aliquarum Ecclesiarum fu-„ isse in suis Prædecessoribus Fundatores, & Monasteriorum Ere-„ ctores, aliquarum Dotatores, aliquarum tam hos, quam Illos; &,„

tandem aliquarum longè plurium alios Regni Proceres &c.; Magnates; insuper recognoscunt Serenissimos Reges plurimos,, fuisse Beneficos Confirmatores Jurium Regularium, & præ-,, cipuè Juris eligendi Abbates, enixè verò & humilimè petunt, ,, ut omnes sint ejusdem Juris Protectores; quia verò cum his,, ipsis Serenis. Regum Poloniæ Privilegijs, nequit stare Colla-,, tio Abbatiarum & Præpositurarum Regularium, frustra illam,, propugnat Singularius. Quomodo enim unum idemq; Pri-,, vilegium, quô confirmatur libertas Electionum Regularium, ,, posset simul stare cum sublativo ejusdem omnino libertatis? ,, Jam verò Singularius estò dicit Reges esse Patronos Regula-,, rium, eos tamen vult esse tales, qui solâ violentiâ protegant,, Regulares, qui ruinâ Jurium Monasticorum erigant Singu-,, larium, & tandem qui damnis & incommodis Monasteriorum,, utilitati Commendatariorum prospiciant; ac proinde Singula-,, rius plurima speciosa coacervat Nomina, ut dulce Canens, in,, cautos illaqueet contra cujus industriam Captiosam, singulari,, ter invocanda Increata Sapientia, quæ certè potens est libera-,, re â laqueo venantium. In fine, dum enumerat plurima,, in favorem sui asserti Singularius, quis non attingat quô ten-,, dunt priorum Encomia & Commendationes, posteriorum op-,, probria, quæ iterum renovat contra Regulares, non enim in-,, vidiæ & radicatæ malitiæ satis est semel læsisse. Ad hæc non,, plus hìc respondendum duxi, ultra illa, quæ pro refutatione,, similium ad Singulare, 29 dixi. Laudes coacervatas Com-,, mendatarijs â Singulario non admittit Tridentinum Conci-,, lium, ac proinde quid Ses: 25. Cap. 21. tit: de Regul: dicat, ,, magis est attendendum ibi constabit legenti, laudandæne, an,, potiùs reprobandæ Commendæ Monasteriorum? quod ipsum fusiùs Bulla Innoc: VIII. quæ incipit: Regimini universali ex-,, pressit. Addo: errat Singularius, qui hoc Singulari putat,, & supponit, probari per Regularium Electiones reprobanda, ,, nunquam in Capitulis Monachorum sors cadit, nisi super,, Dignos ac Idoneos regere & gubernare, talesq; quos dudum probavit Religio commendavit observantia, experta toties,, idoneitas & activitas, utiles inposterum fore appromisit. Una,, quæq; Sacra Religio hac in parte aquilarum morem imitatur, ,,

hinc

hinc prius diuturnô exercitiô probare consuevit, quis nam„ ex suis pullis aptior sit & nobilior ad intuendum solem ho-„ noris? eumq; solùm probè disponit ad consequendum Api-„ cem Abbatialis dignitatis. Muniorum dispositio (quam alle-„ gat pro finali Singularius,)ad Prælatos Regulares pertinet,eo-„ rum curæ est, attendere ut Fratres psallant, cæteraq; munia„ Regularia ritè obeant; Sed & Singularium hactenus ut de-„ ciperet, dulce canentem, ipsa jam conscientia obligat,ut tan-„ dem canat omnium à se dictorum palinodiam.

XLII. Rex Patronus & Collator Perpetuus & immemorabilis, nam sicut Episcopi in Provinciis Poloniæ habent Jus præscriptum Abbates instituendi, Administratorem vacantibusAbbatiis dandi,Electionibus præsidendi (ut affirmat Piaseccius, Abbas olim Clarætumbæ meritò dicendus Baldus Polonus) ita Rex nominandi, seu præsentandi Jus inter Jura Majestatis censitum possedit & possidet, præscriptione tanti temporis,cujus initii memoria non extat.

Resp. Ad XLII. *Crambè jam sæpiùs ad nauseam* repetit Singularius, nec sine quia; ratio in promptu est,idem„ repetit, quia appetit, sed de Consilio magnæ experientiæ Me-„ dicorum, falsus appetitus semper est refrenandus, Regem esse„ Patronum, Collatorem,Beneficiorum Regularium, multo ma-„ gis perpetuum & immemorabilem, tam hìc, quam alibi jam„ toties asserentem audivi Singularium, non memini vero ul-„ libi hoc assertum ab eo debitè probatum, igitur probet quod„ asserit, nam ejus nudis dictis non subscribunt Regulares, re-„ ponuntq; *respectu Regularium Beneficiorum*, ne quidem proba-„ bile esse assertumSingularii. Contra allegatam ab eodem præ-„ scriptionem & Consvetudinem,iam sufficienter dictum in Re-„ sponsione adSingulare XI,XVII,XVIII XXI & præterea alibi„ sæpè. Paritate, quâ dicta sua Confirmare hic intendit, po-„ tius Jura Regularium Confirmantur; eam sic contra Singu-„ larium intorqueo: Sicut in Provinciis Poloniæ non competit„ Episcopis Jus ullùm Abbates instituendi, Electioni præsiden-„ di, confirmandi, benedicendi, aut deponendi, Administra-„ tores dandi &c. ut alibi jam probavi, & constat ex sum num„

7. 31. 33.34. ita nec Regibus Jus nominandi &c. ut exhactenus dictis patet.

XLIII. Tanto tempore quæsita Jura Patronatûs Regibus Sedes Apostolica approbavit, & hodie etiamnum approbat, Nominatis â Regibus literas Provisionis impertiendo. Scribit alicubi Cromerus: ante ætatem (inquit) nostram Erasmus Ciołek apud Pontificem Priorum Sacerdotiorum Indulgentias in potestatem Regis redegit. Non piget exscribere, ut supra innuimus, quæ Stanislaus Łubinski scriptor & Antistes Integerrimus annotavit, ut constet de continuo beneplacito summorum Pontificum. Andreæ (inquit) Bathoreo Cardinali, Epis. Uarm: loco Episcopatûs Cracovien. (quem contulerat Georgio Radzivilio Card. Epis: Vilnen: Sigismundus III. Rex, & promisisset Bathoreo) Abbatiam adjunxit Czervinensem, ad quam cum inSveciam iret An: 1593 Mense Augusto divertit, cum Archiep Karnkovio, & Epis: Plocensi Baranovio, ut illius Abbatiæ possesionem traderet Cardinali Bathoreo quod quidem Rege præsente factum fuit, multum renitentibus Monachis, superesse adhuc Abbatem clamantibus, & Jura liberè eligendi Abbates appellantibus, sed frustra: nam Germanicus Malaspina Nuntius Apostolicus ostendit, id summi Pontificis voluntate fieri. Ni parerent, præsens illis Anathema interminaturus. *Oper: posthum: par.* 1 *n.* 8. Non tantum hæc rata habebant summi Pontifices, sed ipsi etiam Jura Patronatûs Regibus tribuebant, asserebantq;. Monachi Andreovienses in vita B. Kadlubkonis quam luci dederunt, ipsi fatentur, Barth: Powsinio Referendario Curiæ Rom. ad commendationem Clementis VIII. Abbatiam hanc â Rege collatam fuisse, ut infra patebit.

Resp. Ad XLIII. *Singularius tanto tempore* frustra & tempus perdit, & id quod hactenus quæsitum esse,„ dicit, non invenit. Probanda sunt, non quærenda; quæ dicit, sed,„ meminerit, non de tempore, sed de Jure præsentem quæstionem,„ esse. Itane Electiones Monachorum tanto tempore in Polo-„ nia viguisse, & hactenus vigere solus ignorat Singularius? do-„ cent id præterita aliquot sæcula, & præsentium recens me-„ moria,

moria; his si non credit? quærat expeditiones Romanas, &c,,
alia huc spectantia, relata, Art. 6. & 7. ubi inveniet ipsissimam,,
hic â me dictorum veritatem. Quod ulteriùs dicit: valere,,
consentio de Episcopatibus, & aliquibus aliis Beneficiis Sæcu-,,
laribus; verùm ab his quod non valeat consequentia ad Ab-,,
batias, jam disparitas data supra inResponsion. ad Sing: 8. re-,,
monstravit. Hic addo: ex eo, quod aliquando Sedes Apost.,,
specialibus ex causis in favorem Regum, postulationi & re-,,
commendationi eorundem condescenderit non per id decrevit,,
privari debere Monachos in perpetuum Jure eligendi, quod,,
patet ex ipsis Bullarum literis, in quibus illa clausula addi,,
solet: **dummodo datarum præsentium tempore, non sit eidem Mona-
sterio de Abbate Canonice jam provisum**, & præterea alia additur?
**ut scilicet Monasterium statim revertatur in titulum, ac per cessum vel
decessum vacare illud contigerit &c** Deinde: si Sedes Apost. Jus,,
assertum â Singulario approbaret per aliquas expeditiones,,
Concessas in favorem Majestatis, ut quid verificationem præ-,,
fati Juris Curia Romana exigeret? imò ille ipse, qui Jus præ-,,
fatum possideret legitimè ut quid recurreret ad viam gratiæ,,
& Privilegium Apost expeteret, omissâ viâ Justitiæ? vide,,
Art.1.ad An. 1671. & seq. ubi oppositum evidenter consta-,,
bit contra assertaSingularii id quamvis ægré audiat Singularius,,
tamèn ab Urbe in rigore Juris probare jubetur, si velit ut sua,,
asserta per definitivam sententiam ibidem approbentur. Cro-,,
merus,quem hic citat Singularius nullibi id de Erasmo Ciołek,,
scribit,quod in Singulari præsenti lego; estò tanto temporeCro-,,
merum volverim,solùm tamen id de eo lib.30.fol. 687. reperi:,,
**Alexander Rex Erasmum Ciołkum hominem Plebeium &c. valde fami-
liarem habuit eumque ad EpiscopatumPlocensem evexit & opera ejus fi-
deli & industria in obeundis apud Pontificem Maximum & Cæsarem le-
gationibus semel atque iterum usus est.** Jam vero Miechovita,,
Tom:2.lib.4.Cap 85. hæc de eo scribit. **Anno 1505 Feria 2. in
Vigilia S. Mathiæ Apost. Rex Poloniæ Alexan. Ius Patronatus Ecclesiæ
Paroch: in Gostyn Diæc: Plocen, de consensu & consilio Consiliario-
rum Regni, Vicarijs Eccl: Cathedr, Vladislav: Contûlit &c, quam dona-
tionem Erasmus Ciołek Episc: Plocen Authoritate Ordinaria confir-
mavit. Sub eodem Alexandro dum alii vellent Abbatias & Præposituras
Regulares uniri Episcopatibus & Ministeriis Regni, Monachi ad S. Sedem
provocarunt,** attestante eodem Miechovio, ut retuli Art 1. ad,,

An:

An: 1504. Sed dato etiam gratis, quod præfatus Erasmus„ impetraverit Regibus Collationem priorum (ut inquit Sin-„ gularius) Sacerdotiorum, jam dixi in Responsione ad Sing. „ 3. nomine Priorum, non esse intelligenda Regularia Benefi-„ cia. Vel ne disputemus de voce, introducat Singularius su-„ per eo Privilegium Apost. quod Authoritate Cromeri vult„ probare. nimirum, quod præfatus Ciołek impetraverit â Sede„ Apost. in favorem Regum Collationem Abbatiarum Poloniæ.„ Citatus â Singulatio Łubiński, dum scribit Abbatiam Czer-„ vinen. traditam esse Card: Bathoreo, Rege præsente longè ali-„ ud est quam si scripsisset, traditam esse prævia præsentatione„ Regiâ. Igitur Rex præfatus supponendus solùm recommendasse„ Cardinalem Pontifici, ut ei per Provisionem Apost: conferre-„ tur dictaAbbatia, quæ vigore Juris devoluti ad Sedem Ap.pro-„ tunc spectabat, eò quod vivente seniculoAbbate (ut inSingu-„ lari 13 supra lego) ob decrepitam ætatem non jam sufficien-„ te ad Regimen, Electus â Capitularibus Coadjutor pro tem-„ pore non fuerit, cui tamen seniculo honesta sustentatio re-„ servata; taliter pro tunc actum fuisse, VerbaGermanici Mala-„ spinæ Nuntii Apost: indicant, qui Monachis obnitentibus„ ostendit, id summi Pontificis fieri voluntate ut refert ipsemet Sin-„ gularius ex Łubinio. Præterea: quod Reges Poloniæ, non„ præsentare, sed recommendare solùm Capitulis eligendumAb-„ batem in usu habuerint, patet de Bathoreo ex sum. num. 13„ & de præfato Sigism: III. Rege ex Num. 39. Id quod Singu-„ larius in fine addit, ac si Summi Pontifices Jus præsentandi, Poloniæ Regibus concessissent, ac asseruissent, probari debet â„ Singulario prout jam toties in simili probandum erat. Ego„ interim oppositum asserto Singularii demonstro ex Sum.Num.„ 18. ubi patebit quod dum semel in expeditione Romana„ facta fuisset mentio, Juris Patronatûs Regii, injuncta est sta-„ tim per Decretum ejus verificatio, quæ quia non subsecuta„ ab iis qui illud dari asserebant etiam super Abbatias; lata est„ expost definitiva sententia A. C. exlusiva Juris Patronatûs„ An. 1675. ut inSum.N.19.& altera primæ conformis ut in eo-„ dem Sum. Num. 34. De Andreovien. Monachis malè refert„ Singularius, meliorem meretur fidem Provisionis Apost. ex-„

peditio

peditio, quam Clemens VIII. ad postulationem Monachorum,, Barth. Powsinio, non verò ad Regiam Collationem expediens,,, prædictam Abbatiam commendasse legitur, ut patet in ipsa,, Bulla relata in Sum. Num. 41. Quia vero Monachi præfatum,, Powsinium postulantes apposuerunt clausulam assumendi ha-,, bitûs Regularis â postulato, in quâ tamen Summ. Pontifex di-,, spensavit, ne id ægrè tulissent Andreovienses, Sedes Apost:,, specialibus literis suis in forma Breuis denuo ad Monasterium,, expeditis super ea dispensatione, commendavit Powsinium, ut,, susciperetur, quamvis non Profess9; vide dictum Breve in Sum.,, Num. 42. Ex quo nota, Ipsum summum Pontificem, non,, absolutâ potestate usum fuisse in præmissis, ne quæpiam vis,, inferretur Juri Canonico & indubitato Regularium, sed Pa-,, ternè solummodo recomendasse acceptandum cum præfata,, dispensatione, & consensum Monachis persvasisse.

XLIV. Sicut in Germania, Capitulis Electio, Cæsari investitura, Curiæ Romanæ Confirmatio competit, ita in Polonia, Regi Nominatio, Curiæ Romanæ confirmatio, penè ex compactis, seu ut vocant, concordatis, Privilegio Clementis VII. quod incipit: *Cum singularem.* ubi dicit quod Coadjutoriæ, ingressus & accessus ad Beneficia usurpari non potest, nisi etiam ipsius Sigismundi & pro tempore existentis Poloniæ Regis, Loci Ordinarij ac Capituli illius Ecclesiæ in qua Beneficium hujusmodi fuerit, ad id expressus accesserit assensus.

Resp. Ad XLIV. *Extranea Exempla extra Poloniam,,* & præsentem Controversiam sunt; non quærunt Regulares,, Poloniæ, quæ aliis Principibus Jura competant, dicuntq; â Re,, gno Germaniæ absoluto (quod & supra innui) non omnis,, urget paritas ad liberum. Concordata quantum ad nomina-,, tionem vacantium Ecclesiarum Cathedralium tenenda sunt,, concorditer, si quæ (ut dicit Singularius) extant favore etiam,, Polonæ Majestatis. Cæterum neq; in Germania Singularius,, reperiet ulla concordata de conferendis ab Aula Beneficiis Re-,, gularibus, vicina utiq Silesia exemplum perhibet, ubi Regu-,, lares quamvis sub absoluto Dominio, liberè tamen eligunt,, Abbates suos, absq; præpedimento, cujuspiam; cur igitur Re-,, gulares Poloniæ, in qua Rex non nascitur sed liberè eligitur,,

potiori Jure non debent gaudere libertate eligendi Prælatos„ suos? maximè cum in favorem Electionis liberæ tam eviden-„ tia suorum Jurium producant fundamenta, ut patet ex Art. „ 4 & 5. Dictum supra: Si quæ extant in favorem Majestatis &c. ra-„ tio est: quia (ut Herburtus refert, tit. Spirituales, fol. 449.)„ Sigismundus Rex â Clem. VII. in favorem solùm Loci Ordina-„ riorum indultum certum se obtinuisse fatetur, de quo & su-„ pra mentio fuit, quod indultum â Singulario Concordata„ nominatum, vtiq; nec lædit, nec discordias præsefert Juribus„ Regularium, utpote de aliis sonans Beneficiis, non de Regu-„ laribus. Cur igitur Singularius inter Reges & Regulares Po-„ loniæ excitat litigia? cur ad controversiam solicitat Majesta-„ tem contra Electionum libertatem? si aliquid â Clem. VII. „ indultum fuisset contra Jura Monachorum, transmissum utiq; „ & communicatum fuisset Monachis tale Privilegium, sicut„ transmisisse Sigismundum Regem ad Cathedras lego apud„ Herburtum loco citato, illud obtentum in favorem Episcopo-„ rum Poloniæ, super præsentatione ad certa Beneficia sæcularia.„ Igitur Singularius extendens Concordata ad Regulares, ut„ solas discordias nutriat, frustra ampliare vult favores contra„ mentem, imo contra expressam prohibitionem Sedis Apost.„ cujusquæ mens fuerit in præsenti controversia, melius explica-„ runt definitivæ sententiæ Romanæ Curiæ, relatæ locis supra-„ citatis in Sum: & præcipuè Num 33. & 34. Ex hoc verò„ Singulari relucet, quomodo Singularius variet in asserto Jure, „ contendens vigore, ac si quorundam Concordatorum, requiri„ ad obtinendas Abbatias, nunc expressum assensum Regium, „ qui certè præsupponere debet Electionem, super quam cadat„ assensus, nunc Nominationem antecedentem Electioni, ac tan-„ dem volendo stabilire Jus â se assertum, cupit erigere Com-„ mendas per ruinam Juris Regularium, reddereq; eô ipso Mo-„ nachorum Electiones nullas. Eam variationem Singularii exa-„ minandam relinquo non interessatis, & versatis in Jure Ca-„ nonico, qui pensatis pensandis probabunt Singularium nihil„ singulare in favorem Juris â se asserti compilasse, & præterea„ concludent Singularium propter singularem dictorum suo-„ rum variationem in Jure asserto, non esse audiendum de lege.„

XLV. Regis Nominatione Abbatiis Præfecti, pro gloria Regii Nominis ſemper enituntur correſpondere ſuæ exiſtimationi. Exinde ipſorum munificentiâ Eccleſiæ DEI, & Monaſteriis multa bona fluunt. Advertit has utilitates famoſus noſtri temporis moralium Scriptor ex ipſo Ciſtercienſi Ordine Joan. Caramuel Epiſ. Metien: Suffraganeus Monguntinus, qui in Theologia Regulari, ſcribens de Abbatiarum Commendatariis, utiliùs ipſis Abbatias collocari cenſet, & ex multis & ponderoſis rationibus, utiliores eſſe demonſtrat Epiſcopos Commendatarios, quam Abbates formales.

Reſp. Ad XLV. Hic Singularius iam palam pro Com- „ mendis agit Oratorem, ideoq; in ſingulares Panegyres Com- „ mendatariorum excurrit, ſed dum ille Commendas ſic com „ mendat, ac aſſerit ex illis multa bona fluere Eccleſiæ & Mo „ naſteriis, quæro: cur Jura Canonica tam valdè Commendas „ improbant? cur Trid Concilium ex eis reſultare graviſſima „ damna, non ſolùm in temporalibus & ſpiritualibus ipſis Mo- „ naſteriis, ſed etiam cultui Divino & Apoſtolicæ Sedi refert, „ Seſs. 25. Cap. 21 de Regul. quod latè explicant & exclamant, „ Selu. de Benef par 4. qu 8 Num. 15. Rebuff in praxi, tit. „ de Commendis Num. 10. & ſeq & plures alii? Cur tot Sum- „ mi Pontifices damnarunt Commendas, revocarunt, & in poſte- „ rum prohibuerunt? ut Clemens V. Extravagan. *Exſuperna*, in- „ ter commun. Secunda de præben. & dignitat. Leo X. in Conſt. „ 7. Bul. Rom. Tom. 1. § 9. Innocent. VI. ut refert Selva de, „ Benef: ut ſupra. Pius IV. ut refert Adden. ad Con. Rom „ 350. lit. A. aliiq; ſæpiſſimé. Et ſpecialiter ne Monaſteria, „ Ord. Ciſter. commendentur, Sixtus IV. Ann. 1475. & In- „ noc. VIII. An. 1489. His antiquis, etiam recentiora teſtimo- „ nia de incommodis & malis Commendarum addenda ſunt, „ Audiamus quid teſtetur de Commendis Poloniæ Synodus, „ Provin. ſub Mathia Łubinſki Archiep. Gneſn. celebrata Varſa- „ viæ Ann. 1647. quæ fol. 22. & ſeq. tit. de bonis, id ſtatuit: „ quia vero non nullorum Monaſteriorum, præſertim vero eorum, quæ per Commendam a Clericis Sæcularibus adminiſtrantur, fabrica prorſus neglecta eſt, S. Synodus ruinas Monaſteriorum prohibere ſatagens, decernit, ut omnes B. Regularium Beneficiorum Adminiſtratores & Commendatarii

datarii aut certam Monasteriorum ruinosorum partem emendare & restaurare, aut pecuniæ quotam circa suas ad Monasteria receptiones &c. definiendam pro fabrica & suppellectili Ecclesiastica, ad manus Priorum quotannis tradere teneantur &c. Frustra igitur Singularius,, laudibus extollit Commendas, quas Sedes Apo: tollendas esse,, decrevit, cum ex iis ordinariè damna pullulare & Monasteria,, ruinari in temporalibus ac spiritualibus palam est, quod com-,, probant tantæ Authoritatis supra recensita testimonia. Dixi:,, ordinariè, nam extraordinariè quod possit accidere aliud, ne-,, mo dubitat, sed id rarum est valdè. Caramuel â Singulario,, frustra citatur, ille enim speculativô suô problemmate estò-aplaudere Commendatariorum desideriis videatur, non tamen,, displicere cupit Regularibus Abbatibus. Indebitè trahitur in,, commendationem Commendarum, aliàs commendaret læsionem,, Juris Regularium, & eô ipsô suaderet violationem Juris,, Divini & humani; cum alibi doceat Electiones Abbatum,, Jure Divino et humano spectare ad Monachos. Legi Caramuelem super Expositione Regulæ S. Bened. quam inti-,, tulavit. Theologia Regularis, ubi digressionem faciens de Com-,, mendis, tale solum de illis problemma format: utiliorne est Monasterio Abbas Comandatarius, an Regularis? verùm â resolutione,, præscindit; alias si Abbates Commendatarios utiliores fore scri-,, psisset, eò ipso seipsum minùs, vel prorsùs in utilem declarasset,, fuit enim Abbas Regularis Monasterii Melrosensis. Porrò,, ex ejus problemmate (quod ut tale, utramq; partem relinquit,, in sua indifferentia) inferri nequit determinata, absoluta,,, certa ac positiva utilitas Commendarum! Præterea: quando-,, quidem præfatus Author in prædicto libro, alia nec non plu-,, rima speculativè tractans, dat pro & contra, rationes; hinc,, dato quod suæ speculativæ rationes præponderent pro parte,, Commendarum, nunquid ex eo practica & indubitata uti-,, litas earum inferenda? nisi forte in casu purificandarum om-,, nium, quas ibidem allegat, conditionum. At scimꝰ axioma,, commune: quod sola conditio nihil ponit in re. Simile problemma,, legi alicubi doctissimè speclativè propositum super eo: an uti-,, lior sit Reipub: Princeps hæreditarius, an verò liberis votis,, electus? ubi primum plurimis & ponderosis probatur ab Au-,, thore rationibus, cum tamen hæ in praxi non semper tutæ,, ac pro-

ac proindè aliundè non ex mera speculatione ingeniorum,, pensandum est, quid nam, & cui, præponi debeat? existimat,, utiq; sæpè hæc & illa utiliora fore humana fallibilis appræ-,, hensio, cum tamen magistra rerum experientia doceat in pra-,, xi ea esse prorsus inutile pondus.

XLVI. Jus Patronatûs Regum nemini obicem ponit assequendæ dignitatis & præmiorum pro meritis quinimo tramitem monstrat. Rex virtutum & ingeniorum Supremus Arbiter, ita Collationem suam temperat cum Instituto Regulari ut non implicet provehi Regularem Professum, dummodò sit utilis, & publico bono accommodatus.

Resp. Ad XLVI. *Imo. Deflectens Singularius* â tramite justitiæ, ut alios sui sequaces efficiat, ex industria,, hoc Singulari erroneè ducit, dũ injusta svadet, ad quæ blandè in-,, ducere nititur, inquiens: **Ius Patronatus nemini obicem ponit &c. quinimo tramitem monstrat.** Verùm si Præcursorem agere vo-,, luit, ambitiosis cupiditatibus adspirantibus ad Abbatias regu-,, lares, dixisse debuerat: **dirigite viam Domini & pænitentiam agite,** ut locutus est quondam Justus Præcursor Domini. ,, ℞. 2do. Regularibus ad præmia tritô ab antiquo incedendum,, itinere, non eâ semitâ, in quam alios ducens Singularius, in-,, tendit se ducere. Illud quod nam sit? norunt benè Regu-,, lares Poloniæ, quos hoc in passu Regiâ viâ incedere Jus com-,, mune prohibet, ac ptoinde aliâ ire, leges uniuscujusq; ordi-,, nis, imò & Regni antiquiora Statuta jubent, ut ostendi Art.,, 5. hæc verò unica est, videlicet via Canonicæ Electionis, ejus,, tramite â primo suæ fundationis lapide, ad hæc usq; tem-,, pora rectè semper præcessisse Antecessores Regularium, patet,, ex recentioribus vestigiis, & ideo etiam eorum successores,, refugiunt novas semitas; quia verò eâ incedere Jus vetat ali-,, os, præterquàm solos Regulares, aliam viam Singularius mon-,, strare cupit, cujus legitimum initium, quamvis nec Regulares,, norunt, nec ille capit, tamen ambulare semitam desiderat, ,, quam ignorat, ac ire ad dignitates per transgressionem Juri-,, um regularium. Cæterum attendisse priùs debuerat an tot,, Canonicarum Legum sanctiones, felix ei apprecentur iter, in,,

quo plures Juris obices posuerunt. Porrò : Jus calcare, ne-„ fas est, transgredi piaculum ; igitur ex hoc inferendum, quod via, quam monstrat Singularius devia est; quicunq; vult as-„ sequi debitè Regularium dignitatem, ante omnia necesse est„ fugiat mundi vanitatem, ad Claustra se conferat, honorem fu-„ giat, & fortè (licet nec hoc pro certo sperandum) Electione„ Canonicâ monstrante iter ad præmium meritorum, honor fu-„ gientem sequetur, nam sequentem etiam in Claustris ordina-„ riè fugit. In Religionibus ad præmia, non Via spatiosa &„ spetiosa, non via publica, & ut vulgò vocatur Regia, sed illa„ quam StatutaRegularia,& leges coarctarunt, rectissimè ducit;„ estò verò nec ibi omnibus merentibus licet adire Corynthum„ Cælum tamen licebit singulis, ubi juxta Florentinum, unus-„ quisq; pro certo tantundem præmiabitur, quantum hic in to-„ to vitæ suæ mortalis cursu assecutus & lucratus est merito-„ rum. Scribit ulteriùs Singularius: Rex virtutum & ingeniorum Supremus Arbiter. Nec miror, non tam calami , quam mentis„ errorem, cum Singularium fortè lateat, quid in lege scriptum„ sit Cap: per tuas de Arbitr. ubi sic lego: Arbiter super re Spiritu-ali non potest esse Laicus, nisi ex consensu Superioris. Item Cap: pervenit. Arbitrum contra Ius aut formam commissum non tenet Item Cap: non sine multa. eodem tit. Arbitrium iniustum per Superiorem corrigi debet. Ex his vero advertat Singularius„ quis sit,& respectu cujus dicendus Arbiter? Tandem conclu-„ dens præsens Singulare inquit: Collationem Regiam ita tempera-tam esse cum Instituto Regulari, ut non implicet &c. Ad quod ℟ „ temperisat , sed non pro tempore Singularius , Regularibus„ nec solita, nec solida svadet , quia pridem per ordinum„ Religiosorum Statuta id damnatur, & sub censuris gravissimis„ prohibetur, imò & sub pœna inhabilitatis perpetuæ; hinc nul-„ li Regularium licet sæculares Personas cujuscunq; dignita-„ tis adire, aut ab eis literas quaspiam procurare, preces vel au-„ xilium implorare per se vel per alios ad hunc effectum, ut„ Canonicæ Electionis impeditâ libertate in Abbatem aliquis„ ordinetur. Igitur dum Singularius vult temperisare Colla-„ tionem Regum Cum Instituto Regularium,eô ipsô vult com-„ ponere incomposibilia, quia vult servare Institutum, per „

destru-

destructionemStatutorum ejusdem Instituti, ac in re vult mon-„ strare eam viam ad præmia Regularibus, quæ defacto ducit,„ (ut supra dictum) ad solam pænam, imo vult per inhabi-„ litatem reddere habilesRegulares ad honores, quod utiq; im-„ plicat, in terminis. Hinc Regulari Professo Canonicæ Ele-„ ctionis via tutior & certior est, quæ utiq; non implicat, dum,„ modo provehendus sit Religioni utilis, Instituto Regulari,„ accommodatus, ad regimen idoneus, debitis qualitatibus, & „ (quod primarium est) virtutibus religiosis ac meritis Commen-„ datus &c. Frustra ergo Singularius: dubia & illicita pro,„ certis & licitis svadet, frustra specioso Colore Singulare suum,„ attemperat, cum in re intendat Jura Regularium inquinare;„ accomodat sese diversis coloribus, dicta sua depigens, sed,„ novimus etiam ex umbris loquentem Singularium, quem,„ Thaumaturgum esse putamus, utpotè qui pingit colorum,„ accidentia in non existente prorsus substantia Juris, toties,„ quidem â se asserti, nec semel tamen ritè probati.

XLVII. Iniqvum foret de in iuria prætextu Jurium Majestatis quæri ab his qui ultro legem tulerunt in seipsos. Nos inquiunt, ejusmodi Abbatis Electionem intimare, & notificare spondemus, & præsentibus pollicemur, ac etiam â Serenitate & Successoribus legitimis votum petere & consensum gratiosum postulare impetrare. *Statutum Regni Verb. Abbas.* Hanc talem sponsionem & suam suarumq; Abbatiarum cum Juribus Regiæ Majestati ultroneam subjectionem, reipsa factô, & secuto pluries effectu in realem & actualem ipsimet Monachi deduxerunt executionem, cum non tantum â Regibus Abbates sibi dari, conferri & destinari peterent, sed (quod cardoRei est) è Gremio suiElectos exturbarent,& possessione Abbtiarum dejicerent, quibus depulsis et submotis â Majestate Regia præsentatos dari sibi & substitui multifariè supplicarent. Ita Petro â Lwowek per Commissarios Bened: Izbinski Episcop: Posn: Abbatiâ Bledzouien: detrusô, â Rege datus & præsentatus Petrus Kaminski suffectus est. Adamus & Ioannes Colonienses potestate Episcopi loci & Regis mandato de Abbatia Obrensi detrusi, locum dederunt obtinendæ illius Abbatiæ Joanni Bielecki per Majestatem Regiam

am præſentato & pariter dato. Nec diſpari ratione Ioannes Węgorzewſki, amotô & privatô, Stephanô Siemieńſki ad Præmetenſem Abbatiam â Rege ſubſtitutus eſt. Goslavium ex Paradiſienſi Abbatia, Czarlinium ex Pelplinenſi, ipſi Monachi è medio ſui lectos & creatos depulerunt, & â Regia Majeſtate in locum ipſorum ſubſtituendos dari ſibi alios petierunt poſtularuntq́;.

Reſp. *Ad XLVII.* *Obligat hic Æquanimitas religioſa*, ut etiam ad iniqua Singularii, non quidem æquè (alias,, pro iniqua iniquis reddenda eſſent, quod abſit) ſed tamen verè,, reſpondeam. Proindè ſic contra eum tela in torqueo: mi Sin-,, gulari, ſi iniquum foret (ut dicis) Regularibus queri de ſui,, Juris injuria, ergo æquum eſſe deberet iniquè violari Jura,, Regularium ſub prætextu JuriumMajeſtatis, adeoq; ulterius,,, iuſtitia reputanda eſſet ipſa iniuſtitia; quid adhæc? Conſule re-,, ctam rationem, & regulatiùs formabis judicium, ergone etiam,, conqueri Regulares non permittis ſaltem coram Rege Regum,, omnium, & exclamare: Salva nos Domine, vim patimur? quæ Ju-,, ra vetant lachrymis lenire dolorem? quis ignorat cunctis,, licitum eſſe flere & proteſtari? At opponit in contra Singularius dicens: Regulares tulerunt legem in ſe ipſos favore Iurium Majeſtatis, igitur fruſtra de injuria conqueruntur. Ad quod ℞ 1mo: quis unquam poteſt credere quod quiſpiam pollens legitimâ libertate,,, ultrò ſibi paret vincula, & quidem contra facultatem Juris? ,, Reſp. 2do Primus eſt Author Singlarius, ſed nón claſſicus,, qui dicit poſſe in Polonia Leges condere regulares, quibus,, libertas Electionum ſuarum vinciretur. Norunt omnes, quod,, in Regno Poloniæ nec locus in Senatu, nec Ius vetandi com-,, petat Regularibus, quomodo igitur legem tuliſſe in ſeipſos,, dicendi? ſi vera forent dicta Singularii potiùs uſos fuiſſe Re-,, gulares Jure vetandi crederem nec permiſiſſe, ut id unquam,, fieret, quod Jus commune vetat fieri. Urget adhuc Singulari-,, us & dicit. Spoponderunt ultro Regibus his formalibus: Nos iniquiunt. &c. ut in ipſius Singulari extat. Sed hæcne eſt bona fides,, Singularii? Omnes Regulares Poloniæ ſponſionem quampiam,, dediſſe ad Jura ſua violanda, quis quæſo, & ubi legit? In

Her-

Herburto loco. & tit. citato â Singulario,unius & ſoliusLu-,,
binenſis Monaſterii Ord. S. Bened. lego ſubmiſſionem, quam,,
vide in Sum: Num: 1, ſed hæc, quam ob cauſam nomine Le-,,
gis vocitetur â Singulario, & quidem talis, vi cujus omni-,,
bus omninò Poloniæ Regularibus in Electionibus præjudici-,,
um inferatur, ignoro. Quô id Jure? quâ ratione? quô fun-,,
damenro? extenditur ád cæteros? ſcio unius Protoparentis,,
delicto peccaſſè omnes homines, vi certi (ut Theologi vo-,,
cant) compacti, ſed tale in præſenti defuit Lubinenſibus.,,
Deindè dici ne poteſt præfata ſubmiſſio ultronea? ad quam,,
metus impulit, ac propterea defuit legitimitas, &,,
plena libertas conſentientis voluntatis,quod ſi ſolus reveren-,,
tialis metus intuitu incurrendæ indignationis abAula fuiſſet,,
ſufficiens ad nullitatem præfatæ ſubmiſſionis, nonne multò-,,
magis dum illum incuſſerunt violenti ſtimuli militaris li-,,
centiæ? Iam verò voluntas meticuloſa & coacta, non eſt pro-,,
priè voluntas, & licet in ſuperficie habeat volitionem, in,,
medulla tamen habet nolitionem, ut pluribus adductis,,
dixit Rota deciſ: 286. Num. 5. ad 8. coram Celſo. Et in,,
terminis tranſactionis eſt Text in lib: inter poſitas 13 C. de,,
tranſact: eadem Rota, deciſ: 147. Num. 29. par: 1. & plu-,,
ribus alijs. Hinc ea quæ metu geruntur, & inſanabilis nul-,,
litatis vitiô, & voluntatis defectu manifeſtè laborant (ut jam,,
ſupra dictum) etiamſi cum Principe facta fuerint. Porro in,,
præfata ſubmiſſione Lubinenſium, ipſa perplexitas expreſſa,,
terminorum, & repugnantia in nonnullis, ſignum eſt evidens,,
trepidantis pro tunc præ metu & puſilanimitate voluntatis,,
ad cujus attentam coſiderationem remitto Lectorem. De ea
ſubmiſſione Singularius inquit: Quod per illam tulerunt Regulares
Legm inſe ipſos, jam vero in ipſo fonte lego apud Herbur-,,
tum, quod ad id ſe ſubmiſerunt, ad quod de Jure & con-,,
ſvetudine tenebantur, hoc autem Jus quod nam ſit? hactenus,,
ignoratur. Præterea ibidem lego, quod ſubmiſerunt ſe,,
Canonice a ſe Electum repræſentare Regi & Electionem de eo notificare,
ac conſenſum ſper Electum poſtulare & impetrare; ergo non per,,
ipſos ſtat, quod præfata ſubmiſſio (præterquam quod non,,
fuerit approbata â Summo Pontifice) non ſortita ſit ſuum effe-,,
ctum

ctum, dum sepiùs, licet præfatum assensum petierint, & impetra-„ re voluerint, adeoq; quantum de se satisfecerint, non tamen„ recusante Principe impetraverint. Addo: ex eo etiam non„ subsistere præfatam submissionem, quia continet terminos re-„ servantes Jus Electionis; quanquam ad nos (inquiunt) Canonica Electio de Iure & consvetudine spectat & pertinet &c. &c. inferiùs„ id ibidem lego additum; quod assensum Regium honoris non nisi exhibendi gratia postulaturi sint; ut constabit legenti. Ultra quod quasi pro probatione refert Singularius, nihil„ probat, dicit enim: Monachi præfatam submissionem in realem & actualem executionem deduxerunt, cum a Regibus peterent sibi conferri Abbates & Electos a se exturbarent &c. Id verumne est, an„ vero falsum? palam est, alias plus executioni dedissent, quam„ se submiserunt, solùm enim promiserunt super jam â se Ele-„ ctum Canonicè petere & impetrare assensum Regium, non„ verò dissensum, multò magis non promiserunt Electum extur-„ bare, & â possessione dejicere, aut præsentatatos ab Aula in„ locum â se Electorum suscipere. Igitur patet, quod ea quæ,„ hìc adducit Singularius, solum probant dictas servitutes vi,„ & violentiâ attentatas esse, & inductas contra submissionem„ Lubinensium. Tandem â præfata submissione Benedictinorum„ gressum facit Singularius ad Cistercienses, enumerans varios„ Conventus, & inter alios Pelplinensem, & Paradisiensem. At„ aliter se rem habuisse testantur Archiva antiqua horum Mona-„ steriorum, nam in Pelplinensi id lego: Leonardo Turski mor-„ tuo, Glinski præsentatus â Rege, sed eô amotô, Nicolâus ko-„ stka Electus est, post hunc Electus Felix kos, cui successit„ Electus Leonardus Rębowski an: 1618. & post hunc Carolus„ Czarlinski Electus an: 1649. tandem hoc sponte ac liberè cedente„ Electus an: 1662. Georgius Ciecholeski, omnes Regulares„ Electi Canonicè, non verò (ut inquit Singularius,) postu-„ lati ab Aula, aut substituti. Iam autem in Paradisiensi Mo-„ nasterio de Goslavio quomodo se res habuit, veriùs perhibet„ testimonium Ioannes Casimirus Rex Poloniæ dum an: 1651„ de data 15. Martij recommendaret Paradisiensibus Joannem„ Leszczynium Decanum Chełmensem in Abbatem, ubi expres-„ se dicit in Instrumento præfatæ recommendationis, quod prædi-„

ctus

ctus Goslavius benevolè ac spontè, accendente ad id consensu Superiorum, resignaverit Abbatiam Paradisiensem, quod longè diversum est, quàm dicit in suo Singulari Singularius.

XLVIII. Ab Anno 1460 quo hæc agebantur & retro ante, ut supra patuit Singulari 18. Rege possessionem continuante Monasteria nihil gravaminis comminiscebantur, Abbatibus ad Nominationem Regiam, longâ, nec interruptâ serie succedentibus.

Resp. *Ad XLVIII. Hic habet sed in parte solùm fidem* Singularius, videlicet quod submissio præfata (de qua supra), hoc anno data sit à Conventu Lubinensi. Et dato, quod possessionem apud eundem unicum Conventum continuantibus Regibus, eam absq; grauamine Lubinenses tollerassent , jam sic, contra Singularium ulterius infero : ergo siquidem alia Monasteria Poloniæ diversorum Ordinum, nullam submissionem, fecerunt, neque præfatam servitutem susceperunt, aut ejus possessionem permiserunt; verbo (utor stylô Singularii) quia Legem prædictam non tulerunt in se ipsos &c. ruit assertum Singularii cum suo fundamento. Quodsi verò quidpiam per violentiam contra Jura aliorum Monachorum attentatum fuit, id nequit Jus assertum â Singulario legitimè fundare, maximè, interponentibus protestationes de gravamine variis Conventibus , & ad Sedem Apostolicam appellantibus, ut testatur, Miechovita, cujus verba retuli Art 1. ad An. 1504. regnante Alexandro ; & defendentibus in Romana Curia Jura sua, præcipuè sub Michaële ad An. 1671. & demum sub Ioan.III., quæ omnia præfatô articulô retuli. Huic veritati ipsemet subscripsit supra Singularius , dum in Singulari 18. fatetur, æstum fuisse controversiarum, quem contra Regulares Poloniæ, Jura sua defendentes excitavit appetitus Commendarum in Romana Curia, sed quô effectu constat ex præfato, Articulo ad An. 1676. & ex rescripto S. Congregationis ad An. 1680. ut ibidem retuli, & ex Sum Num. 34.

XLIX. Non potest igitur Rex & Respub.

ſtante beneplacito Sedis Apoſtolicæ, & præhabita confirmatione præinſertorum, poſſeſſioni ſuæ præjudicare, & Regalia alienare. Neq; nocivâ diſſimulatione ac conniventiâ culpabili, concedere Monaſteriis ad amiſſa regreſſum.

Reſp. Ad XLIX.

Jam tandem validiores, ſingulariores, & plures (ut potè circa finem motus ſolet eſſe ve-„ locior)ſperabam in hocSingulari afferri rationes âSingulario„ pro parteJuris â ſe aſſerti;&eccè more ſibi conſvetô etiam in„ præſenti multa Singularius allegat,ſed non probat,ſi verò quis„ velit ſcire,cur non probet?initiale,â quo incipit hoc Singulare„ indicat rationem:nō poteſt(inquit) &c.Verùm directè reſpon-„ dendo,dico : Singularius vera hic diceret,ſi dicta ejus falſô non„ laborarent ſuppoſitô qui probare prius debuerat fuiſſe vel eſſe-„ beneplacitum Apoſtol: remonſtranda erat ab eodem authenticè„ præ habita(ut dicit)confirmatio,reproducendum Jus quod aſſe-„ rit;ſed Singularius,ut video,vellet quàm citiſſime confirmari„ rem necdum baptizatam,imo nec exiſtentem. Præterea(ſiqui-„ dem â ſenſu contrario fortiſſimum eſt etiam in Jure Argu-„ mentum) ſic contraSingularium urgeo: 1mo. tranſitô propter-„ falſum ſuppoſitum antecedente, infero â contrario,ergo non„ ſtante, ſeu non exiſtente beneplacito Sedis Apoſtolicæ,& non„ præ, imò neq; nunc, habitâ confirmatione præinſertorum, -„ poteſt imò debet poſſeſſioni (ſi quæ habetur) præjudicari;licet„ neq; id concedendum eſſet, ac ſi reſultet aliquod præjudicium„ alicui ex eo, dum Jura Regularium ceſſaret violare. Urgeo„ 2do. â fortiori: exſtante beneplacitoSedisApoſtolicæ,non poteſt„ Reſpub: &c. ut inquit Singlarius. Ergo multò magis, non„ poſſunt Regulares Poloniæ præjudicare Juri eligendi Abbates„ & ejus poſſeſſioni, aut illud â ſe alienare ſtante beneplacito„ Sedis Apoſtolicæ & præhabitâ â prima fundatione Electionum„ ſuarum Confirmatione. Porro beneplacitum Sedis Apoſtoli-„ cæ pro parte Regularium patet ultra alia, in manutenti-„ one Madalinii Abbatis Regularis Electi ab Andreovienſibus„ ac excluſione Olſzovii præſentati ut retuli Art: 1 ad an: 1671„ & ſequenti. Iam verò Confirmatio ſeu Privilegium Apoſto-„ licum pro parte Juris eligendi cum inhibitione contra quos-„

vis

vis violatores ejusdem, vide Art: 5. ad finem Fund: 3. Ad„
amissa regressum, benè est quod Singularius non concedat Re-„
gularibns, imò neq; illi id expetunt, teneat Singularius titu-„
lo inventionis, si quid illi amiserunt; sed negant se amisisse„
unquam Jus liberæ Electionis suorum Abbatum Igitur non„
regredi, sed semper progredi pacificè cum suis Electionibus„
in votis habent, & uti consvetô ab ævo Jure sibi debitô. Sin-„
gularius verò etiam non amissa intendit quærere, & ideò il-„
luc gressum dirigit, quô Jure communi, & tot Privilegiis„
Summorum Pontificum, item Regum Poloniæ diplomatibus, „
ac demum (quod cardo rei est) ipsis Regni Statutis relatis„
Art 5, validissimè præclusus aditus.

L. Proinde frustra, imò temerè, petulanti, impulsu, pessimô exemplô, ausu damnabili, nuper duo Monasteria Cisterciensium in Polonia, Andreoviense & Coronoviense, quæ & Hebdoviense secutum, Electionem absq; præsentatione Regia attentarunt. Frustra Synopses Privilegiorum peremptorias Jurium, typis mandari & imprimi fecerunt, & Andreoviense quidem Monasterium consensu Vladislai II. Principis Poloniæ â Ianico Archiepisco: Gnesnen: fundatum, centenariâ post præscriptione â Commendatariis Regum nominatione præhabitâ tentum, contra Stymulum Calcitrat, cum fateatur in vita B. Vincentij Kadlubkonis â se edita, incipiendo â Stanislao Białobrzescio Abbate, quatuor continuò subsequentes Administratores dictæ Abbatiæ, quibus tres alii successerunt, â Regibus præsentatos & datos fuisse. Ita enim ediderunt & edisserunt pagin: 62. quando enumerant Abbates. Vigesimus septimus Stanislaus Białobrzewski opera Fratris sui Martini Białobrzewski ad Abbatiam Clarætumbæ per Regiam Majestatem promotus, & hic ultimus jam fuit Abbas Andreoviensis, ab ejus enim obitu Commendatarii cæperunt esse. Primusq; Commendatarius fuit Stanislaus Rescius Canonicus Varmiensis, & Decanus Varsaviensis per Serenissimum Regem Stephanum datus, qui Nuntius Neapoli mansit. Secundus Commendatarius Abbatiæ Andreoviensis fuit Bartholomæus Powsinski per Summ. Pontificem Clementem VIII. Serenissimo Re-

gi, Sigismundo III. Commendatus. Tertius Commendatarius Adamus Makowſki qui itidem Neapoli Nuntius manſit. Quartus Reverendiſſimus Remigius Koniecpolſki Epiſcopus Chełmenſis. qui oſſa B. Vincentii Kudłubkonis An: Verb: Incarn: 1633. ſublevavit &c. Pariter & Monaſterium Coronovienſe per Vislaum Epiſcopum Vladislavienſem ex bonis Comitis Boguſza conſenſu CaſimiriDucis Cujaviæ,decretô inIuvene(ut ſcribit) Vladislavia die 10. Novebr 1262. interpoſitô fundatum, Criſtas erigit; cum ab an: 1599. præſertim morte Laurentij Zalinſki per præſentatos Regios tentum fuerit. Fruſtra Privilegium Sereniſſimi Ioannis Caſimiri hæc eadem Monaſteria jactant, Regalia inſciâ Repb: alienans, ambitu privatô obtentum, & ſubreptitiè emanatum,atq; revocari iuſſum, quinimò per Sereniſſimum Regem Michaëlem ad conſvetudines & Jus commune reductum, cui iam expreſſè collatâ Abbatia Wąchocenſi Lezenio præjudicatum. Nonne in confeſſo eſt, hodiernum Commiſſarium Religionis Ciſtercienſis per Poloniam Zapolſcium, poſt fata Donhoffii literis petiiſſe Regem ſuppliciter, ut dictæ Abbatiæ Andreovienſi de Succeſſore provideatur. Potiùs mancipati ſervitio Divino enitantur, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo reddi.

Reſp. Ad L. *Neque ultimò Singulari concludit* legitimè Singularius, ratio in promptu eſt ,quia ex præmiſſis," illegitimis. Ex hoc autem ulteriùs concludendum, quod om-" nis labor ejus in quinquaginta Singularibus non alium conſe-" quatur finem, niſi hunc unicum, quem initialibus hujus Sin-" gularis expreſſit: proindè fruſtra, imò temerè &c.

Monaſteria â ſe ſpecificata Ciſtercienſium,& Præmonſtra-" tenſium damnat Singularius, ac temeritatis redarguit ex eo, " quod nuper Electionem absq;præſentatione Regia attentarunt," at fruſtra ; nam non ſolùm nuper, ſed ſtatim â prima funda-" tione fuit, eſtq; etiamnum hodie hic legitimus uſus,præcipuè:" in Monaſteriis Ciſtercienſium, vigore Juris ſibi competentis, " & ſpecialiter â tot Regibus Poloniæ confirmati. De Monaſte-" rio Andreovienſi id addo: quod pro tunc fuit quidem præſen-" tatus â Rege Michaële Olſzovius Procancellarius Regni , ſed,"

Monachi ejusdem Serenissimi Regis innixi diplomati, quô confirmavit Jus liberæ Electionis eorundem, Regularem Madalinium Canonicè elegerunt, ut retuli Art. 1. ad An. 1671. „ quem postea Romana Curia manutenuit, & confirmavit, frustra obnitente, ac litem intentante Olszovio, nam mox subsecuta sententia A. C. exclusiva Juris Patronatûs, ut ibidem retuli. Hinc contra adversantem Singularium invertenda tela censeo, ac sic ex præmissis pro refutatione ad singula Singularia datis, jam tandem legitimè nunc infero; ergo frustra, imo temere, petulanti impulsu, pessimo exemplo, ausu damnabili prætendit Singularius & attenat id, quod per quinquaginta sua Singularia solùm asserit, & nunquam efficaciter probat. Quod ipsum sic sigillatim declaro: frustra: quia præfata Singularii prætensio otiosa est, cum id asserat & prætendat esse, quod non habet, imò nec debet habere ullam esse respectu Ecclesiarum Regularium, ob rationes in refutatione ad primum Singulare datas. Temere: non enim dici potest rationabiliter id asserere Singularius, quod legitimô fundamentô & ratione Juris prorsus caret. petulanti impulsu: nam ad eam prætensionem promovendam exorbitans â Jure communi Singularii ambitio, inquieta cupiditas ac insolens appetitus privati commodi, cum gravi iniuria & incommodo Monachorum impellit Serenissimos Poloniæ Reges & eorum Ministros concitat, quorum authoritate & potentiâ, vult Singularius Regularium Jura deprimere, ut sese elevet. Pessimo exemplo: quis enim, Singularii legens Singularia jam toties typis mandata & imprimi facta, dum cernit, in Regno Catholico, pessimis conatibus illius violari Jura divina & humana, Leges Pontificias postponi, Regni Poloniæ Statuta calcari, Regum ipsorum diplomata frustrari, in Regno liberrimo, ubi etiam Acatholici, suâ gaudent libertate, solos Regulares cum Jure indubitato liberæ Electionis opprimi; quis inquam non scandalisetur? Ausu damnabili imò iam damnatô, hunc enim, pridem Leges Ecclesiasticæ improbarunt, Supremum Ecclesiæ Caput ad præsens prohibet, conscientia vetat, recta ratio reprehendit, Justitia damnat, nec procul abest, quin in futuro damnet sententia Æterni Judicis. Præterea nonne nō damnandus ille ausus est quô ambiens Singu-

larius

sarius, audet contra Regulares Poloniæ concitare Majestatem," solicitare Rempub: urgere Regni Proceres & Ministros, cupi-" ens violare Jura, inquietare Claustra, tollere libertatem, Mona-" chos perturbare &c.

Non frustra Synopses Privilegiorum typis quondam im-" pressæ à Regularibus non perimi illis sed vivificari & verifi-" cari Jura, ex eo patet, nam per id libera de Jure Electio Abba-" tum Poloniæ non solùm Canonicis sancitis, sed etiam Con-" stitutionibus Synodalibus, Regum Poloniæ Privilegiis, imò," etiam totius Regni Legibus & Statutis confirmata probatur," domonstraturq; Jus Electionis Abbatum, non contra, sed ju-" xta præscriptum esse Jurium, tàm communium, quàm parti-" cularium, ut videre est Art: 4. & 5. His Jurium suorum fun-" damentis liberas Electiones fulciunt Regulares Poloniæ con-" tra asserta Sigularii. Attamen iis omnibus recalcitrans Sin-" gularius non sibi, sed Regularibus notam eam inurit, ac si," contra stimulum calcitrarent, qui potiùs conculcantem Jura-" sua Singularium ferrentes in patientia, id possidere exoptant," quod eis Jure debetur, sed etiam hanc, læsam reddere inten-" dit Singularius, quandoquidem privilegiata Jura Regulari-" um conatur indebitè militaribus stimulis expugnare. Religi-" osos certum est magnâ semper usos fuisse, & nunc uti, pa-" tienriâ, contra potentiam infensi Singularii; sed hâc servatâ," prohibenturne Jure sua Jura vindicare & defendere? alias" omnes illi inpatientes & contra Stimulum calcitrantes dicendi," forent, qui contra Potentiorum violentias, petunt judicium," & justitiam. Defensio utiq; jure naturali cuivis licita?

Commendas concessas aliquando fuisse à Summis Pontificib9," nō negāt Regulares, sed hæ quoties indultæ, fortiùs ad eas fuit-" motivū non tale, quale allegat Singularius. De Powsinio ex Sum:" Num, 41. patet, quod non intuitu asserti Juris à Singulario," verùm ad postulationem Monachorum provisus fuerit. Con-" tra Privlegium Ser. Ioannis Casimiri Regis obicit Singularius," ac si sit subreptitium, atq; revocari iussum, sed quia id non," probat, sufficit ei negasse dicta, quæ si vera essent, jam seque-" retur etiam Statuta Regni decernentia Electionem Abbatis ad," Monachos pertinere, subreptitio fore dicenda, item tot Syno-"

dales

dales Constitutiones, tot Privilegia Summorum Pontificum,,, imò ipsos Canones Juris communis. Cæterum datô etiam, non,, concensô, quod Singularius vera dicat de Privilegio Casimiri,, quid quæso dicet, de altero anteriore Ser. Sigismundi Augusti,, quô Jus Electionum liberarum pro parte Cistercienſium Po-,, loniæ de unanimi Consiliariorum consensu & voluntate in,, perpetuum confirmavit, eam adiiciens clausulam: non obstantibus literis contra præfatum Ius Regularium quoquo modo impetratis, ut videre est in Sum. Num: 8. Præterea Privilegium,, Serenissimi Casimiri Regis, utiq; nihil plus tribuit favoris Ci-,, stercienſibus Poloniæ, nisi quod eos conservat circa Jura an-,, tiqua, & Privilegia â suis Prædecessoribus collata, in fundamen-,, to Juris â Sede Apostolica eidem Religioni elargiti, ut patet,, ex Sum. Num. 15 & 16. quomodo ergo potest esse & dici,, subreptitium ? De revocatione ejusdem Privilegii (quam asse-,, rit Singularius) nullibi lego; sed datô etiam quod ita sit, iam,, ne per id ruunt Jura Electionis Abbatum, quadrinis Regni,, Statutis stabilita, quorum seriem retuli Art. 5. Jus eligendi,, Abbates tunc primò revocatum legitimè probabit Singlarius,,, postquam ostenderit Privilegium Apostolicum in limine Fun-,, dationis in favorem CollationumAbbatiarum Poloniæ. Deindè,, Singularius dicens, Jus Electionis per revocationem Privile-,, gii Ser. Casimiri Regis invalidatum esse, debebit canere pali-,, nodiam, postquam lagerit literas quasdam Cancellariæ conti-,, nentes per errorem enunciativam Juris Patronatûs, pro sub-,, reptitiis declaratas esse â Romana Curia, ac reportari ad corri-,, gendum iussas, ut retuli in Sum: Num: 18. Et sententiam,, exclusivam asserti â Singulario Juris, in eodem Sum: Num:,, 19. ac tandem testimonium primarii Ministri de abjudicati-,, one ejusdem, in Sum. Num: 21. Serenissimi Regis Michaëlis,,, Privilegium emanatum pariter in favorem Cistercienſium Po-,, loniæ, non revocat (estò oppositum dicat Singularius) sed,, confirmat Ioannis Casimiri anteriùs, & alia aliorum An-,, tecessorum suorum Privilegia, & licet eam appositam præse-,, ferat clausulam : inquantum Juri communi non repugnat,&,, usus ejus habetur ; non tamen per hoc vim & robùr suum a-,, mittit, (ut censet Singularius) ratio est : quia jam defacto,,

probatum supra Art.4. Jura ElectionumRegularium infundari,, Juri communi, item particulariStatutorum Regni Poloniæ, ut,, patet ex Art.5; quod item usus hujus Juris & Privilegiorum,, illud ipsum confirmantium sit, praxis continua,& immarce-,, scibilis experientia, maximè apud Cistercienses attestatur, apud quos in more est, vacante quapiam Abbatiâ, sub præsidentia,, Superiorum Ordinis,Electiones Canonicas ordinariè celebrare.,, Ad id quod de Zapolscio allegat Singularius,repono Ser: Ioan-,, nis III. Epistolam ad eundem, relatam in Sum: Num: 23. ex,, qua patebit Ragem recommendasseZapolscio certam Personam,, eligendam, non verò præfatum Commissarium petiisse succes-,, sorem ab Aula designandum. Tumquia frustra id fecisset,, Zapolscius qui, utpotè Regularis Abbas, & Commissarius,, ad defendenda Jura suiOrdinis ex vi Officii specialiter obliga-,, tus, exportavit pro tunc Romanum Decretum, quô decernitur,, Electionem liberam competere Monachis, independenter â,, quâvis collatione, nominatione seu,præsentatione, ut in Sum,, Num: 34. Tumquia, quis fructus & finis assertæ â Singu-,, lario petitionis fuisset Zapolscii, qui intimatâ Electione Mo-,, nachis Andreoviensibus, postquam Monachi post fata Don-,, hofii Madalinium Regularem Canonicè elegerunt, Olszoviô,, præsentato ab Aula non attentô, præfatum Electum confirma-,, vit, illumq;& RomanaCuria per sententiam Rotalem manute-,, nuit, contra prætendentem Olszovium, ut videre est in Sum:,, Num: 20. & sequentibus.

Ex his verò omnibus, quæ hactenus pro rnfutatione da-,, ta sunt, Singularius acceptâ clariori luce de Juribus Regula-,, rium Poloniæ, tempus est, ut recognoscat se pluries, & qui-,, dem graviter in quinquaginta suis Singularibus errasse, ac fru-,, stra Jus â se assertum quæsivisse. Igitur si nollit præteritis,, erratis pertinaciter adhærere,, potiùs Singularius jam enitatur,, observare Divina & humana Jura,contendat amplecti verita-,, tem &justitiam,quarum prima falsitatem respuit, altera svadet,, suum cuique tribuendum. Ac proinde,ne cuipiam sit deinceps,, injurius, præprimis reddat quæ DEI sunt DEO, deinde quæ,, verè Regalia Regibus, tandem quæ de Jure Regularium sunt,,, relinquat Regularibus;par enim(ut quidam exRecentioribusait),,

inju-

injustitiæ crimen est, tam non reddere Cæsari, quæ Cæsaris sunt, ac dare Cæsari, quod Cæsaris non est. Cui consonat C. Si Imperator.,, dist. 96. Unde in C. convenior. 23. quæstione 8. cum ,, quondam dictum esset : Imperatori licere omnia, ipsius esse,, universa, sic responsum lego : Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea quæ Divina sunt, Imperiale aliquod Ius habere &c. Sed si vis diutius Imperare, esto DEO subditus. Scriptum est, quæ DEI DEO, quæ Cæsaris Cæsari &c. Id inter plura alia similia refert Załuscius,, Tom. 1. par. 2. fol. 1094.

ARTICULUS IX.

Replicatûr Anonymi refutatio, impugnans Regularium Poloniæ fundamenta.

Q*Uinquaginta Singularium absolutâ trutinâ, expedit, ut refutatio quoque Anonymi, relata in suis Novis Polonicis* § 16. *fol.* 121. *examen subeat. Huic præmittens discursum Anonymus, frustra contra Cistercienses invehitur, ac dicit* : acuisse eos sagittas contra memoriale porrectum ex opposito, pro commendandis quindecim Abbatiis Poloniæ, *nam* (*ut ex Processu Romæ impresso in hac materia patet*) *non offensivé sed defensivè, & quidem Jure, non sagittis certasse Cistercienses lego ; cur igitur illorum defensio sagittis ab Anonymo comparatur ? non sagittationi, sed jaculatoriis actibus deditos esse Regulares, nemo dubitat, nisi fortè illorum defensionem sic denominare placeat, quia talibus se defendunt monimentis, quorum quodlibet putat Anonymus ferire, dum fertur ex alto, videlicet, dum à Romana Curia exportatur. Cæterum : non furor hæc ullus: sed unicè amor Jurium servandorum ministrat à Sede Apostolica : Hinc & Josephus de Capucinis Romanus Advocatus, (contra quem insurgit Anonymus) esto Jura Cisterciensium strenuè Romæ defenderit, non tamen consonat veritati quod de illo asserit Anonymus, ac si quempiam verbis , vel scriptis suis ceu sagittis læserit, nisi fortè Patronum veritatis, sagittifero vellit quis comparare. Præfatum Advocatum, dum Anonymus dicit,* erronea plurima & à veritate aliena adduxisse *hæc ejus objectio , an fidem mereatur, ex infra dicendis patebit, veriùs certè , id de sua refutatione à se impressa dixisset, in qua ab satis errorum est ! ne dicam pertinacis malitia.* Promittit se perstringere Advocati validas rationes, *sed immeritò.*

Frustra

Frustra id promittit, constat enim ex ipsius scriptis, quod Anonymus nesciat etiam præcisis promissis, loqui aliter, nisi solùm perstrictivè, *mavultq; semper perstringere, quàm vel unicam rationem Advocati infringere, aut saltem semel debitè asserta sua probare. Et jam suum intentum explendo:*

Imo. Perstringit Advocatum, quod defensionem Cistercienfium Poloniæ exorsus est his formalibus: Commendæ Abbatiarum Regularium, quo magis à Iure improbatæ reperiuntur, eo magis à Sæcularibus desiderantur &c. sed hodie res eo pervenit, ut proxima via sit ad exitium nisi Summus Pontifex Paterna occurrat pietate &c. *Ad quod Advocati exordium respondens Anonymus, loco refutationis, videtur dictis subscribere, & ea comprobare, dum sic inquit: Non hodie, non heri, & nudiustertius, & ante tempora sæcularia &c. fuit Commendarum usus &c.* quod idem est, ac si dixisset paulò clariùs: *semper in Polonia desiderabantur Commendæ*; & id defacto certum est, sed præfata desideria Synodus Poloniæ reprobavit mox, ac cæperunt invalescere, inhibuitq; nè quisquam nitatur in vetitum, cupiatq; Jure negata, ut in Sum. Num. 6. Verùm, si animus fuit Anonymo refutare efficaciter Advocati dicta, probandum in contra necessariò erat, non esse Commendas â Jure improbatas. Ast sicut solem nemo negare, ita nec ipsissimam ueritatem refutare potest. *Proindè quia Anonymus, oppositum dictis Advocati, nec Juris Regulis evincere, nec legitimè probare potuit, prorumpit ulteriùs more sibi consveto in varias cavillationes Regularium,* â quibus præscindendo id solùm dico: quid probra proficiunt, si probæ rationes deficiunt? *Postea debitum gratitudinis exaggerans erga Fundatores, sic admonet Anonymus Regulares: nonne æquum esset remittere aliquid de rigore Juris sui, in gratiam tantorum Benefactorum? nonne cui plus datum est, plus diligit?* Cui replico: non petunt consilium Poloniæ Regulares, sciunt benè tàm Jure Canonicô, quàm per Synodos provinciales vetitam esse sibi omnem alienationem; hanc dum sub prætextu gratitudinis svadet Anonymus, persvasio ejus iniqua est, si gratitudo consisteret in remittendo Jure sibi debito, quivis ingratus dicendus esset, nisi reddat quod datum Jure habet, reddat priùs Anonymus collatos sibi reditus, ac proventus, & videbimus, an non sequentur ejus exemplum alii. Præterea: dum svadet remittere de rigore Juris sui, in re svadet agere contra

justitiam

justitiam, svadet id, quod prohibent Jura, Canones damnant &c. Cæterum Advocatus de Capucinis non ingratum habet, quod Anonymus etiam iniqua svadens, recognoscat rigorem Juris Regularium. De dilectione, ea quæ, supra dixit Anonymus, quia contrariantur justitiæ, ideò acceptari nequeunt, si ipsemet dilexisset Regulares, non cavillasset utiq; eos, sed operosè defendisset, nam (ut D. Greg: inquit) probatio dilectionis, est exhibitio operis, quia verò sola Bona Abbatiarum diligit, non mirum, quod malos vocet Regulares; notum id cunctis, quod: vexat plerumque ipsas etiam censura Columbas. *Insurgens iterum contra Advocatum, dicta sua sic prosequentem videlicet:* quod pro tempore vacantis Abbatiæ alicujus per seculares Bona Regularium ordinariè invaduntur, & liberæ Electiones Monachorum impediuntur. *Ad quod respondet in oppositum Anonymus, meram id imposturam vocans, nec probari posse asserens.* Verùm pro Advocato, probát ejus dicta Synodus provincialis Lubiniana an: 1647. Celebrata, dum tit: ne Regularia Beneficia fol: 30. sic inquit præcipiti cupiditate sæcularium Clericorum, prava & Sacris Canonibus damnata consvetudo sensim introducitur, ut Beneficia Regularia privata authoritate, & antequam Administrationis & Commendæ literæ expediantur, occupent, cui corruptelæ mature obviare cupiens Synodus, pænas Cap. avaritiæ in 6. & Statuti Provincialis lib. 1. de Elect fol. 33. contra tales ad executionem deduci vult, & ut deducantur ab Ordinariis requirit. sub pæna Interdicti ab Ecclesia. Ecce? non impostura (ut vocat Anonymus) sed veritas dictorum Advocati patet &c.

II. Scribit Procurator. (*inquit Anonymus*) Commendis Monasteriorum & Abbatiarum, favore Sæcularium, omnis Iuris dispositio obstat. *Ad quod respondet ille, tali distinctione limitando dicta Procuratoris: si ita obstant, ut ea passim, immeritis, & sine causa concedantur,* assentitur. *Si ita, ut omninò, nunquam, cum rationabili causa, & Personis benèmeritis conferri debeant,* negat. *Quam suam distinctionem fulcire intendit Concilio Lateranen.* sed frustra & indebitè nam distinctionem præfatam prævenit pridem Josephus de Capucinis, dùm in simili impugnaret quandam Adversariorum in materia Abbatiarum, ac si concordiam, ejusq; in Curia Romana confirmationem non esse concedendam probaret, sic inquiens: præscindendo ab illa potestate liberá & absuluta, qua Summus Pontifex tanquam Supremus Princeps, nullis legibus obstrictus, supra leges & contra leges disponere & operari potest, ex mero motivo

X pro-

priæ voluntatis, nullo habito respectu, ad damna, & præjudicia subditis provenientia, quæ quidem potestas licet in dubium revocari non valeat, in Iustissimo tamen Principe locum non habet, nam iste utendo etiam absoluta potestate, ad æquitatem, honestatem, & legitimam causam respicere solet & debet, ad text in Cap. magna § & quidem tria &c. de voto; cum ibi notatis & ad nostrum propositum admonitis per S. Bernardum Eugenio PP. III. lib. 3. de Consid. Cap. 4. Num. 15. Ibi - omne opus, suum trina quadam consideratione præveniet; Primum quidem, an liceat? deinde, an deceat? postremo an expediat? nam & si constet in Christiana utique Philosophia, non decere, nisi quod licet, non expedire nisi quod decet & licet, non continuo tamen, omne quod licet decere, aut expedire consequens erit &c. At quomodo non indecens tibi, voluntate pro lege uti, potestatem exercere, negligere rationem, tu ne major Domino tuo? qui ait: non veni facere voluntatem meam &c. non veni Solvere legem sed adimplere &c. latè Rub. in Annot ad Decis. 217. Parte 9. rec. Num. 22. & sequ. num. 69 & sequ. & nu. 272. cum seq: Unde patet indubitatum esse, quod potestas ordinaria, quâ uti solet Summus Pontifex in concendendo, commensuratur legibus Juris communis Sacrorum Canonum, & particularium Constitutionum Apostolicarum, ac consequenter regulatur â justitia. Ex dictis verò facilè solvitur Anonymi distinctio; videlicet: quod præscindendo â potestate absoluta, conferri nequeant Commendæ de potestate ordinaria. Vel sic: possunt conferri Commendæ juxta legis dispositionem, nego contra &c concedo. Cæterum tamen etiam hôc admissô, adhuc semper verum & indubitatum erit, quod semel locutus Advocatus; nimirum: quod Commendis Abbatiarum favore sæcularium omnis Iuris (intelige quantum de se) obstat dispositio. Similis applicanda responsio ad authoritatem, quâ Anonymus distinctionem suam confirmare videtur, & ad alia ibidem allegata, quæ hìc brevitatis gratiâ non ponuntur.

III. Scribit: (*inquit Anonymus de Advocato*) Regularia Regalibus debent conferri non sæcularibus. *Adquod simili distinctione respondet inquiens: in titulum, sine causa, immeritis, concedit. In Commendam, ex causa, benèmeritis, negat.* Cui replico 1. cur hìc de lege disputas Anonyme, cum supra in Singulari 33. dixeris: lex jubet non disputat. Id quod in præsenti allegavit Advocatus; est utiq; Lex, est Regula Juris; Anonymus ut video, promptus est etiam palinodiam canere, dum modo incautos capiat & decipiat; sic

Novi-

Novimus & Syrenes modulari, ſed cantu perimunt. Replico 2. ſi diſtinctio valeret Anonymi, ſequeretur ex ea, quod Regularia debeant conferri Sæcularibus cum additis diſtinctionis præfatæ terminis, in Commendam, benemeritis ex cauſa. Et ulteriùs ſequeretur, quod nulla ſit neceſſitas ad obtinendas Commendas Pontificiæ diſpenſationis, imò quod ſummus Pontifex nec negare illas poſſit ſine injuria. Ratio illatorum eſt; quia quod debet & quidem juxta legem (*hoc enim importat diſtinctio Anonymi*) fieri non indiget diſpenſatione, nec denegari poteſt ſine injuria ut per ſe patet, cum tamen de Commendis nullus Jurisperitorum id admittat. Aliud eſt, quod Commendæ poſſint de poteſtate abſoluta conferri, ſuppoſitis de Jure ſupponendis, ut certum eſt, non tamen quod omninò debeant, quæ enim Lex ſic diſponit? quæ urget omninò Commendas facilè concedendas? Anonymus affectatè trahit in partem ſuam claſſicam Juris Regulam, & ecce nimis per vim trahendo rumpit, ac violat Legem. Directè breviùs rem expediendo: nego Regularia debere omninò conferri ſæcularibus in Commendam benèmeritis, etiam ex cauſa. Præterea noto abuſum Anonymi in terminis, & ſuperfluitatem verborum; quis enim dubitat, quod ſi Regularia contingat conferri Sæcularibus quâ talibus, nequeant aliter conferri niſi in Commendam? Addo ex Anonymi diſtinctione ſequi contradictorium Regulæ Juris, videlicet: Regularia non debere (imò nec poſſe unquam ſine injuria ſæcularium) conferri Regularibus, ſiquidem (ut inquit Anonymus) debentur ſæcularibus, in Commendam &c. quod enim debetur de lege Petro e g. ſæculari, non debetur vi ejuſdem Legis Paulo e.g. Regulari, aliàs Lex una daret occaſionem duobus juſti ab utrinque de eadem re litigii. Verùm hæc & alia abſurda ex præfata diſtinctione ſequentia, non attendit Anonymus, omnia vult ſibi deberi etiam contra Juris prohibitionem, & ideò diſcurrit de poſſidendis quam primùm Abbatiis; Legem indebitè explicans, ac minimè curans, eſtò nihil benèmeritis Regularibus in præmium reſtet. *Ad id quod ulteriùs allegat, nimirum compenſari Commendas Regularibus per Collationem Epiſcopatuum.* Re id rarò contingere, quod Regulares ad Epiſcopatus evehantur, neque præ-

ten-

tendunt sibi illos deberi, qnaliter Anonymus, qui dicit deberi sibi in Commendam Abbatias.

IV. Scribit (*inquit Anonymus*) Advocatus : **ex Regula S. Benedicti & Stephani spectat ad Monachos electio Abbatis de medio eorum.** *Ad quod perstrictivè magis, quam rationabiliter respondet dicens : plurima alia non observari â Regularibus, quæ ad illos ex Regula spectant, frustra igitur & de hac laborant.* Cui sic 1. retorqueo: ad quemlibet hominem spectat ex præcepto Divino, aliena non concupiscere , suô contentum esse &c , sed cum plurima alia ad quæ ex præcepto tenentur, non servantur, ergo nec illud servari debet, quod falsum esse quivis advertit. Vel sic : ad legitimum Pastorem spectat Oves sibi creditas verbô & exemplô pascere, ergo dum plurima alia quæ præterea spectant ad eosdem non servantur, nec hoc tenentur. Quis prudenter id diceret ? Anonymus ut video paratus est ultra suam potestatem Regulares absolvere etiam â Regula , ut absolutè Commendas obtineat. Directè: nego illatum Anonymi, & dico: cæcus de colore non judicat , si experiri placeat obseruantiam Monachorum , invito ad Claustra, ad communem Monachorum vitam, & experientia ipsa docebit oppositum Anonymum, certè non desunt in Religionibus spinosi stymuli, pro non observantibus, sed Anonymus carpens Monachos de observantia, refugit experientiam, horretq; spinas vitæ Monasticæ, & mallet decerpere flores, aut fructus ex Commendis. *Ad id quod in fine addit, videlicet: qui in uno deliquit factus est omnium reus,* ℞: reos vult esse Regulares Anonymus, sed non potest probare culpam, quam obiicit; porro si allegare culpam sufficit, quis innocens ? ut fert commune axioma.

V. Scribit (*ait ille*) Procurator: **Summus Pontifex non potest dare Commendas nisi urgentissima necessitate de plenitudine potestatis & cum gravi præjudicio Monachorum.** *Ad quod respondet Anonymus dicens: omnia Jura esse in pectore Summi Pontificis, & concludit, non requiri tantam solennitatem &c.* Cui replico: si omnia Jura (ut dicis) sunt in pectore Summi Pontificis; ergo & Jura Regularium, ex quo ulteriùs infero : ergo non patietur illa â quopiam lædi. per Commendas, ut iam nomine Sum. Pontificis Sacra Congr 4. octob: An: 1680. declaravit , dum, prætensioni perpetua-

rum

rumCommendarum rescripsit: non agi de gratia, sed de meraJustitia. *Aliorum Pontificum, qui aliquando concesserunt Commendas,* frustra exempla adducit Anonymus, nam juxta Regulam Juris: in argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa. Porrò etiam absoluta potestas, plurima solet & debet, antequam concedat, respicere, ut supra Num 2. dictum. Præterea: Noto in responsione Anonymi, quodCommendas jam in pectore quærit Pontificis, quas antea quæsierat in solo pectore Majestatis per suà 50 Singularia, ex hoc autem patet, quod sub prætextu Jurium Regularium, hactenus quæsierit Commendas Regularium, potiusq; Jus commendandi, quam præsentandi prætenderit.

VI. Scribit Procurator: Comendas prohiberi aCon: Trid: Sess. 14. cap: 10. & Sess. 24. Cap. 13. de refor: item Sess. 25. Cap: 21. de Regul: *Ad quod respondet Anonymus, primum locum Triden. sic trahens in favorem Commendarum: Concilium dum jubet locó citatô signanter Beneficia regularia in titulum dari censveta, danda etiam esse in titulum, hôc ipsô permittit, ut illa, quæ sunt commendari solita commendentur, oppositorum enim opposita est ratio.* Cui raplico: 1. nonne nescis mi Anonyme, quod cujus est condere, ejus est & interpretari, interpretem agis Tridentini, sed contra ejus mentem, potiùs legisses in Trid. Ses. 4. Decretum, de usu sacrorum librorum, ubi sic habetur: ad coercenda petulantia ingenia, decernit S. Synodus ut nemo suæ prudentiæ innixus &c. Sacram scripturam (idem dic de Sacris Conciliis) ad suos sensus contorquens, contra &c. interpretari audeat. Replico 2 Anonymus indebitè ex raro & extraordinario casu necessitatis permittendi aliquandò Commendas, vult facere consvetudinem necessariam, quâ suppositâ, aliquomodo ratiocinatio ejus valeret, sed Curia Romana infirmam eam esse docet, quæ toties resolvit dubium Anonymi, quoties provisiones Bullarum pro Commendis concessit, in quibus ordinariè hanc appositam lego clausulam: dum modo tempore datarum præsentium non sit eidem Monasterio Canonice jam provisum. Et præterea aliam revertendi in titulum, & ad liberam Electionem Monachis de Jure competentem, statim, ac per cessum vel decessum Abbatiam commendatam vacare contigerit, quod & supra pro exigentia materiæ jam allegavi. Ex his verò Clausulis patet, quod Regularia Beneficia etiam dum

commendantur, pertinent ad naturam Beneficiorum nunquam commendari solitorum, adeoque quod non sint sibi opposita, tam aliquandò commendata, quàm nunquam commendata, sed tam hæc, quam illa, dum valere contigerit, ex eadem ratione Religiosis Professis, ut potè Regularia, de Jure debeantur, nec permittantur â Concilio Triden. commendari. Quâ stante veritate, jam ruit subtilisatio Anonymi. *Secundum locum Triden. sic Anonymus pro suo sensu intorquet : dum prohibet* (inquit ille) *Trident: locô citatô in subventionem Episcopis tenuioribus provideri Monasteria, ubi viget Regularis observantia, eô ipsô concedit ea Monasteria, ubi non viget Regularis observantia, sed in Monasteriis Cistercien: Poloniæ, non viget Regularis observantia, ergo ea commendari possunt Episcopis.* Cui replico : antequam ad hoc argumentum in Ferio, quô injustè verberatur fama & honor Cisterciensium Poloniæ, respondeam; quæro inprimis : quandò, & cur non vigere cæpit (ut dicis) in præfato Ordine observantia? nam lego Henricum Archiepiscopum Gnesnensem dum donasset decimas Conventui Landen. in Instrumento Donationis hanc dedisse Cisterciensibus Panegyrim, nimirum quod Ordo Cisterciensis Poloniam, quasi sydus matutinum suo ortu illustrat, ut refert Damalevius in Serie Archiep. Gnesn. fol. 126. & Ioannes Casimirus Rex Poloniæ ad An. 1667. suo diplomate exemplarem esse præfatum Ordinem in Regno attestatur, vigereque illum & multiplicari cupit, ut videre est in Sum. Num. 15. quod diploma Rex Michàël successivè confirmavit, ut in Sum. Num. 17. Deindè : si vera est explicatio Triden. quam dat Anonymus, cur Abbatia Andreoviensis per Decretum Curiæ Romanæ adjudicata Madalinio Regulari; exclusô Procancellario Regni Olszoviô, Commendam ejusdem Monasterii, vi asserti â se Juris Patronatûs prætendente? ut retuli Art 1 ad An. 1671. & sequ. Putarem, quod â tempore Jure victi Olszovii, quando vel maximè adstricti fuêre ad probandum assertum Jus interessati, & lynceis oculis Abbatias sibi Romæ denegatas observare cæperunt, putarem inquàm, tunc præfatò Ordini eam malitiosè appictam notam, ac si contraxerit (id cupiente non tamen probante Anonymo) habitum laxioris observantiæ. Præterea sic retorqueo argumentationem Anonymi : dum prohibet

Ecclesia in die jejunii edere carnes, ubi est usus carnium, eô ipsô concedit edere carnes ubi non est usus Carnium, sed apud rusticam plebem, maximè in Polonia, rarus vel prorsùs apud aliquos, nullus est usus carnium, ergo illis carnium usum concedit, ergo possunt etiam die jejunii licitè edere carnes. Vel sic: dum prohibet Ecclesia furtum rei sacræ sub culpa sacrilegii, eô ipsô concedit furtum rei non sacræ, sed proventus e. g. Anonymi, sunt res non sacra, ergo furtô licitè auferri possunt, aut alteri dari invitô Anonymô. Quid ad hæc Anonymus? fortè tali argumentationi non subscribet. Pariter Cistercienses Poloniæ, negant Anonymi argumentum esse legitimum, utpotè contra formam Sylogisticam fabricatum; cujus vitia ne in lucem prodeant, interim pacis gratiâ, negant inprimis sequelam majoris, maximè propter ly: eo ipso. & ratio est, quia ibi Tridentinum Monasteria ubi viget observantia commendari prohibens præscindit ab aliis. Tum quia: locô citatô Tridentinum solùm disjunctivè & indeterminatè provideri vult tenuioribus Episcopis, videlicet ut aut tenues invicem uniantur, aut aliquâ accessione ex fructibus aliorum Episcopatuum opulentorum eis subveniatur, aut tandem aliquorum beneficioorum collatione provideatur. Iam verò Anonymus determinatè vult sibi provideri ex Monasteriis Poloniæ, hinc est quod illis notam inurat non vigentis observantiæ. T. q. Major Anonymi est incompleta, propter omissam alteram partem dijunctivam, scilicet hanc: vel quæ (id est Monasteria) Capitulis generalibus, & cæteris Visitatoribus subduntur, quæ pariter ibidem prohibet Trid: commendari. Porro: si sic compleatur major, interim transeat, propter alias iam datas supra rationes. At minorem, quæ deberet esse talis: sed in Monasteriis Cister: Poloniæ, nec regularis observantia viget, nec Capitulo generali & cæteris Visitatoribus subduntur, minorem inquam hanc, quô ad utramq; partem negant Cistercienses, utpotè falsissimam, & dicunt: impossibile esse moraliter, ibi non vigere observantiam, ubi Visitatorum sagax oculus perlustrat cuncta & scrutatur ad eandem promovendam spectantia, ac, si fortè repererit quæ devia, in semitam rectam reducit; hinc non frustra Triden alteram partem de Visitatoribus apposuit, quam ex industria non posuit Anonymus

nymus, suô argumentô illegitimô denigrans candorem & famam Cistercien· Ast quis latrante Cane lunam crederet obscurari? Præterea: datô etiam non concessô, quod ita sit ut de Cistercien: Poloniæ asserit Anonymus, rationine consonum vult, dum intendit corrigere observantiam per destructionem Instituti, inductis Commendis in Monasteria? Sacra Scriptura utique docet, quod Oza etiam cadentem Arcam Domini fulcire prohibitus, qui postquam levasset ad illam dexteram, sinistrè corruit, ut 1. Reg. 6. legitur: extendit Oza manum ad Arcam DEI & tenuit eam, iratusq; est Dominus &c plura huc etiam spectantia, vide supra ubi num: 4. replicatur. *Tertium item Triden: locum, sic perverse suô more explicat Anonymus, dicitq; plurimùm favere sibi ibidem Triden: eò quòd solùm* consultive *disponat, dum agit de abolendis Commendis, & Regularibus Abbatibus præficiendis.* Sed obturat os falsa loquentis Anonymi ipsum Triden: eâdem sessione Cap:22. dum sic inquit: hæc omnia & singula in superioribus Decretis contenta observari S. Synodus præcipit in omnibus Cænobijs ac Monasteriis &c. Iam verò Anonymus assvetus censurare observantiam Monasticam, & theoninò dente lacerare famam Regularium, licet id non sit sibi præceptum, nec consultum, ipsa etiam Decreta Triden. non curat observare. T. q, si (ut inquit Anonymus) Decreta Triden. de abolendis Commendis solùm haberent vim consultivam, non verò præceptivam, sequeretur, quod pariter Concilium ibidem enumerans detrimenta & damna non levia Monasteriorum tam in Spiritualibus, quàm in temperalibus ex Commendis provenientia, solùm voluerit eisdem obviare consultivè, quæ sequela consonaret ne iustitiæ? nam aliàs si id solùm consultivè disponeret eô ipsô non prohiberet similia damna. Consilia enim utiq; ut talia non obligant, sed permitunt liberè voluntatem agere vel non agere, vel oppositum agere. Adeòq;: si solùm consuleret Triden. abolere Commendas, pariter solùm consuleret abolenda damna Commendas ordinarè consequentia, cum tamen tam hæc, quam illa præcipiat rigorosè, ut ex ipso Triden: probatum. Ex quo palam est, quod explicatio Anonymi sit conformis Concilio malignantium, non uerò ad mentem Sacri Triden: Concilij. *Ad cætera quæ hic Anonymus scommaticè perstringendo Regulares dicit,*

respon-

respondeo loco replicationis ; Medice cura te ipsum, & relinque Regularibus Regularia, scit consulere unaquæq;. Religio bono suo, habet plurimos modos salutariter curandi, si quæ infirmitates contingant; consultiùs fecisse crederem Anonymum, si in Triden. Ses: 25. cap. 1. de refor. attentè legeret, & observaret, ad unguem, non verò Regularium Instituta censuraret indebitè; nam & Petrus olim curiosiùs deprehendere cupiens ad se impertinentia reprehensus, quid ad te? tu me sequere. *In fine demum Anonymus considerare jubet Ses. 25. Cap. 18. ubi ait Triden. de causis urgentibus dispensandi nonnunquam sua Decreta. Ex quo sic ille concludit : ergo non ita strictè observare jubet sua Decreta S. Concilium &c:* quod sic 1. retorqueo : Triden. ait de dispensatione in impedimentis Matrimonii , item in Irregularitate &c. ergo Decreta de Matrimoniis & Irregularitatibus non ita strictè observari jubet 2do sic in contra Arguo.: Triden ait de causis urgentibus dispensandi sua Decreta , ergo strictè observare jubet sua Decreta. Ratio consequentiæ est: quia ea, super quæ cadit dispensatio, ante dispensationem strictè semper sunt observanda, & cavenda, sicut ea super quæ cadit absolutio, strictè semper sunt vitanda. Igitur & Decretum de abolendis Commendis, siquidem dispensatione eget, strictè est observandum, adeoq; ulteriùs non Consilij est, sed præcepti. Quod verò super concessione Commendarum , rariùs , idque ex urgenti nonnisi & justâ causâ, ac summâ maturitate præhabitâ dispensari possit, patet ex Trid. locô citatò ab Anonymo, ubi sic lego: Frequentius Legem solvere , exemploque potius, quam certo Personarum rerumque delectu petentibus indulgere nihil aliud est, quam unicuique ad Leges transgrediendas aditum dare. Qua propter sciant universi Sacratissimos Canones exactè ab omnibus & quo ad ejus fieri poterit, indistinctè observandos. Quod si urgens &c Hinc frustra Anonymus blanditur sibi, pro libitu sæpiùs distinguendo Triden. ut aperiat aditum ad frequentem Decretorum ejus transgressionem. Notandum hìc depræhensam esse malam fidem Anonymi, qui in suis novis fol. 128. subticuit essentiales terminos præfati capitis, asserta sua prementes , videlicet hos : qua propter sciant &c. ut supra.

VII Adfert Procurator (*ait ille*) Constitutiones Synodales Poloniæ, liberas Electiones Abbatum confirmantes. & Commendas quan-

cum fieri poteſt evitari præcipientes. *Ad quod reſpondet Anonymus 1. retorquendo de Electionibus Epiſcoporum, de quibus manutenendis Conſtitutiones Synodales decretæ evanuerunt, per Nominationes Regias, Jus integrum, & non controverſum poſſidentes.* Cui replico: lege diſparitates, ad hanc paritatem datas in reſponſione ad Singulare 8. ubi diſces recognitum eſſe per Synodales Conſtitutiones Regni, accendente Privilegio Pontificis, Jus præſentandi ad Epiſcopatus. Hic præterea addo: non mirum evanuiſſe Electiones Epiſcoporum, ſiquidem iam nunc eſt Jus penes Majeſtatem Collationis Epiſcopatuum, & quidem (ut dicis) integrum, & non controverſum; quod non poſſe applicari Beneficiis regularibus, ipſa ſcripta Anonymi docent, quibus excitat plurimas controverſias, licet nihil ſtrictè loquendo ex Jure concludat. Ad ulteriora arrogantiora (*quæ Anonymus format*) quæſita, præſtat ſilere, quàm loqui, non ſemper enim expedit reſpondere, plerumq; magis decet ſilentium, maximè Regulares. *Reſpondet Anonymus 2. inquiens: ex communi ſenſu Theologorum & Canoniſtarum, Leges non obligant, cum non acceptantur, ſed prædictæ Conſtitutiones Synodales non ſunt acceptatæ, ergo &c.* Cui replico: major Anonymo negari poſſet, plurimorum enim Authorum eſt alius ſenſus, qui docent, obligare Leges ex nunc ac ſufficienter promulgantur. Sed interim tranſeat, ſola enim ad hoc non ſufficit non acceptatio; aliàs (nota retorſionem) qui Legem Divinam non acceptaret, non obligaretur ad illam implendam, quod manifeſtè falſum eſt. Nego minorem. Et oſtendo oppoſitum, in Sum: Num: 12. ubi patebit Stephanum Regem Poloniæ acceptaſſe Synodos Provinciales præſcribentes liberas Abbatum Electiones. *Reſpondet 3. Conſtitutiones prædictæ Synodales, quamvis ſint approbatæ per Greg: XIII. Breve, quô mandat Archiep. Gneſn. & Epis. Cracov: ut per Cenſuras compellerent eas obſervari, non tamen extat veſtigium ullius Cenſuræ, quamvis Rex Stephanus poſt illam Synodum nominaſſet Stanislaum Reſcium &c.* Quod ſic replico 1mo. Rex Stephanus, quia ſcivit ſe obligatum ad obſervantiam prædictarum Conſtitutionum, quas, (ut ſupra dictum) acceptavit, ideò non nominavit, ſed ſolùm recommendavit Reſcium Monachis Andreovienſibus, ut evidenter conſtat ex literis Regiis, relatis in Sum, Num; 13. ideoq; hâc de cauſa, non meruit ullas Cen-

ſuras

ſuras. 2do. replico: ſcit Anonymus optimè, cur in Polonia non extet veſtigium Cenſurarum in præſenti materia â prædictis Sedibus? ſed legat in Sum. Num: 22. & videbit extare â Curia Romana. Ulteriora ſcommata, (*quæ affert Anonymus contra Regulares,*) Religioſô ſolvuntur ſilentiô, hoc tempeſtivè præcautô, quod non omnis, qui tacet, conſentit; clariùs hic replicandum foret, ſed ne Anonymum lux veritatis inviſum, aut magis offenſum reddat; interim tacuiſſe ſufficiet.

VIII. Proſequitur Procurator Regularium: **habemus Privilegia Summorum Pontificum, Commendas prohibentia, Sixti IV. Innocentii VIII. cum ſtrictiſsimis clauſulis, & Clem. IX. edictum, conſulta prius Congregatione Epiſ. & Regul.** *Ad quod ſic Anonymus reſpondet: 1. Priores Pontifices ante Lateren. & Triden. vixerunt Concilium, ergo potiùs attendenda poſterior Conciliorum diſpoſitio.* Contra quam ejus reſponſionem, ſufficiet id ſubſumere: ſed tam Lateran. quàm Triden. prohibent conformiter ad mentem Juris communis & antecedaneorum Pontificum, Commendas, ut ſupra retuli, ergo &c. *Reſpondet 2. Subſequentes Pontifices, habent parem poteſtatem cum prioribus, ergo non poſſunt habere ligatas manus Privilegiis Antecesſorum collatis Regularibus, ſed liberas, ad conferendas Commendas.* Cui replico: negando, quod Privilegia infundata Juri communi & juxta ejus diſpoſitionem præcipientia, nego inquam; quod non obligent ſtrictè ad eorum executionem. Secus dicendum, ſi fuerint, præter, aut contra diſpoſitionem Juris communis. *Cætera quæ de Veteri Teſtamento dicit ibi Anonymus, ſcilicet: quod jam nunc ſit mortificatum,* vereor ne de ipſo decalogo, id ipſum inferat, dicatque in Lege nova non eſſe ſervandum. *Reſpondet 3. Clemens IX. conſuluit Sacr. Congr, ſed non conſuluit Reges & Principes, qui intereſſe ad illam cauſam habebant, cùm verò aliquid ſtatuitur non vocatis vocandis, non obligat.* Cui replico: Si omnes intereſſati conſulendi erant â Pontifice, certé Anonymus præ primis, quem ſua ſcripta produnt maximé eſſe intereſſatum, ſed quia S. Congr. jam habet completum numerum ſuorum conſultorum, ideo extraneos non admittit. Præterea Conſilium, in omni materia, nemo meliùs & juſtiùs dare poteſt, quàm non intereſſatus, hic enim nunquam ſuum intereſſe quærit, ſecus ille. Deinde dico: miror effrenatam calami licentiam, quæ audet, (ſcribente Anonymô), Caput Urbis & Orbis

Orbis docere, ac si nesciat, qui sint, & ad quæ, vocandi Consultores. Scivit optimè Pontifex instructus Jure communi nemini competerè ad Præposituras Regulares, & Abbatias interesse legitimum, præter ipsos Regulares, hinc non consuluit qui non erant consulendi, neq; vocavit non vocandos. Cæterùm, dum præsens negotium Abatiarum strenuè agitaretur An: 1672. ex parte prætendentium interessatorum, utiq; satis factum Anonymi desideriis, nam pro tunc comparentibus ab utrinq; partibus, lata est sententia. A.C. exclusiva Juris Patronatûs Abbatiarum, & declarans Breve præfatum Clementis IX. esse executioni demandandum, Decretumq; competere Cisterciensibus Poloniæ, Jus liberè eligendi suos Abbates Regulares, ut in Sum: Num: 34. *Illis, quæ pro quasi confirmatione dicit Anonymus, ac si Idem Clemens IX. Commendas ad nominationem Ioannis Casimiri Regis Concessisset*, oppositum docent, relata in Sum: Num: 41. & 42. Tum quia, quomodo Ioannes Casimirus legitimè nominare censendus, qui facta recognitione Juris Regularium diploma Cisterciensibus dedit pro liberis Electionibus, quod vide in Sum Num. 15.

IX. Scribit Procurator: Habemus ipsorum Regum Polonorum & Comitiorum Generalium diplomata & edicta, confirmantia Ius liberæ Electionis Monachorum, ac proinde Commendas prohibentia. *Ad id respondens Anonymus; miratur, quod Procurator Regularium, velit Reges Poloniæ telis ipsorum conficere.* Cujus admirationi, hanc oppono rationem; non mirreris Anonyme Procuratorem in defensionem Cisterciensium Poloniæ uti Regum Diplomatibus, hos enim Regulares agnoscunt esse Protectores & defensores contra omnes suo Juri adversantes, hinc: si Regum Diplomata tela vocas, iis non læditur Authoritas Protectorum suorum, sed adversariorum interressatorum ambitus & cupiditas propulsatur. Hoc ipsum ut clariùs cognoscas, vide in Sum: Num. 8. Seren. Regis Sig, Augusti Diploma & leges inter alia, ex ipsô Regii oris testimonio, per multos, illô tempore, Monasteriorum Cister. Poloniæ immunitates & libertates, maximè circa Electionem Abbatum impedire præsumpsisse, & antiquas consvetudines Regularium infringere conatos esse (*sunt ipsissima verba Diplomatis Regii*) Hinc prætatus Rex de una-

de unanimi Consiliariorum suorum consensu & voluntate prohibuit à quopiam in Jure suo impediri Cistercienses. Ecce! non Serenissimi Reges Poloniæ infringunt Jura Monachorum, non ii ullum Jus Patronatûs prætendunt contra Jura Regularium, non eorum usum impediunt, non eis adversantur, (alias nunquam confirmarent Jus liberæ Electionis) sed prava interessati Anonymi ambitio & cupiditas. Confirmant dicta, Constitutiones Synodales, quas vide Sum. Num. 9. *Urget in contra Anonymus, sic: præfata Diplomata Regum sunt subreptitia, privata Regum authoritate data, contra Statuta & usum Regni &c. adeoque nulla.* Cui replico: legẽda meliùs svadeo Anonymo,&patebit oppositum;jā constat ex imediatè dictis,DiplomaSeren.Sigis.Augu.Regis prævio unanimi Consiliariorum (*qui in Polonia dicuntur Senatores*) consensu & voluntate, collatum fuisse Cisterciensibus; frustra & alia vocat Anonymus subreptitia, utpotè, quæ pro subreptitio haberi volunt, & decernunt pro tali habendum, quidquid in contra Juri Regularium ex Cancellaria emanaret, relege Art. 5 fundam 5. Tum quia utique præfata Diplomata consonant Juri Canonico, Constitutionibus Synodalibus, Summorum Pontificum Privilegiis, imò & ipsis Regni Statutis, suntque in recenti usu maximè apud Cistercienses, quô ergo ex capite pro subreptitiis habenda vel reputanda? nisi fortè ex inquieto & perverso Anonymi, cujus hæc pessima relucet consvetudo, ut paratus sit etiam ipsissimam veritatem despicere. *Necdum tamen his acquiescit Anonymus, sed præterea Epistolam Ser. Joannis III. confictam ex eo quasi fundamento vocat, quod sub tempus datæ earum, videlicet An. 1672. adhuc regnasset Rex Michaël.* Cui replico: verum dicis de Ser. Michaële, sed fingis de confictione literarum Ser. Joannis III. levi fundamento assertum tuum probas,nam errore Typographi,qui extat in impresso Romæ processu, ejus errorem ut recognoscas, vide ibidem alium similem, in Sum. fol. 12. Num. 14. ubi in margine impressus numerus, per errorem Typographi non consonat numero impresso in corpore;non tamen hic typi error,trahere quemquam aut Anonymum debuerat,ad formandum erroneum judicium vel suppositionem falsam, de quapiam acsi confictione præfatarum literarum Regiarum; diffugia Anonymi ficta sunt, contra quæ, stat verissimum

 & in-

& indubitatum Jus Electionis Regularium. Nova Anonymi crassioribus scatere erroribûs adverto, imò meris commentis, quæ hactenus refutantur, & ultra illos remonstro alios: in Serie Abbatum superstitum fol: 82. ubi præ primis locat Andream Olszovium, asserens eum fuisse Abbatem Andreovien: (cuius postea, non sine quare fol:88.sub tit.Regestrata lib: 1 secretorum fol: 125, nomen celavit,) cum tamen Jus legitimum ad præfatam Abbatiam nullum habuerit, ut testatur processus Romæ impressus & recognovitSac: Rota suôDecretô. Hæc, si placet vide in Sum: Num: 20. & Num: 22. Aliis Anonymi similibus erroribus investigandis immorari, non est instituti præsentis. Igitur pergo ulteriùs in incæptis. *Dicit insuper Anonymus: Stephani Regis Epistolam dubiæ esse fidei, facilèq; posse se realitatem ejus negare.* Cui replico: nemo præcipuè ex scholasticis dubitat, nihil esse faciliùs, quam negare, sed facilitas hæc plerumq; nasci solet (ut iidem docent) ex defectu rationis; nihilominus omnes in eo conveniunt, quòd agnitæ veritati contradicere, ac illam malitiosè impugnare nefas sit. Dubiam fidem de præfata Epistola habes? nec miror, nam ipsemet toties malæ fidei esse in assertis tuis comprobaris, sed modicæ fidei quare dubitasti ? prædictum tuum dubium pridem solvit Romana Curia, dũ visis ipsis authenticis iudicialiter hoc statuit, qud bona præfatarum literarum fides poscebat; Juri Monachorum fidem negas, & cur ad edicta Comitiorum generalium, quoæ oppo suit Procurator, non respondes? si de literis Ser: Regum dubitas? quid de quatuor Statutis Regni liberas Electiones Regulariũ confirmantibus dicis? quæ retuliArt. 5.Fun.5.Verbo: iam vero. Igitur ne infidelis voceris, crede Statutis, crede Juri Canonico, & aliis pro parte Regularium Poloniæ relatis tam supra, quam in toto Summario. Ad cætera (*quæ ulterius allegat Anonymus*) de Rescio & Kostka, patet responsio ex alibi iam supra dictis, nolo enim eũ Ducem sequi, qui sæpè crambè repetit.

X. Scribit Procurator: petere perpetuas Commendas propter Episcopos & alios Officiales Regni, est velle Abbatias dismembrare, & unire illis Episcopatibus & Officiis, quod valde monstrosum & prohibitum est. *Ad quod respondet Anonymus, iterum non sine dubi-*

tando

tando, ac dicit: id forsan secuturum, si peterentur certæ Abbatiæ, perpetuò certis Episcopatibus, vel Officiis commendandæ, id verò non petitur, sed solùm ut Majestas possit nominare quem vellet ex Episcopis vel Officialibus ac Prælatis &c. Cui replico: sive primùm, sive secundum, dum petitur, semper verùm est, quòd petere perpetuas Commendas &c. est petere dismembrationem illarum Abbatiarum â Regularibus, est petere eas alienare, est petere ut contra prohibitionem & execrationem Fundatorum, contra Juris Communis dispositionem, Regularibus, negentur Regularia, & uniantur Episcopatibus,&c. sive determinatè, his sive in determinatè, huic vel illi. *Nota Anonymi mentē*, nō id peti dicit ut determinatè certo Episcopatui uniatur inCom̄endā certaAbbatia, sed vel huic vel alteri vel Officialibus, vel Prælatis, ut hac relicta indifferentia, pateat aditus ad Abbatias, non indigentiæ & necessitati (quam alibi allegat) sed ambitioni & cupiditati insatiabili Anonymi, quæ nunquam dicit sufficit, hoc verò ne eveniret, eâ de causa perpetuas Commendas impugnârunt Regulares, & Curia Romana.

XI. Concludit Procurator: (*inquit Anonymus*) **non debere ex allatis rationibus Privilegium petitum** (*videlicet pro quindecim Abbatiis Poloniæ perpetuò Commendandis*) **concedi, & quod ex parte prætendente nulla afferatur subsistens & valida ratio ad eum effectum, quia Ius Patronatus Regium non potest probari, nam ad hoc requireretur publicum fundationis & dotationis Monasteriorum Instrumentum, vel immemorabilis cum præsentationibus effectum sortitis & continuatis spatio quinquaginta annorum, ac Privilegium Apostolicum in limine fundationis concessum, sine quo Ius Patronatus non acquiritur in Ecclesia Regularium.** *Ad quod respondens Anonymus inquit: Concilium Trid: solùm requirit authentica documenta, qualia possunt esse testimonium Historicorum fide dignorum, nam in illa illiterata Polonia, vix aliqua poterant esse ejusmodi instrumenta fundationis et dotationis publica.* Cui replico: explicatio Anonymi contra declarationem Sacræ Congregationis Concilii est, quæ censuit probationem debere fieri per authenticas scripturas, ita, ut probatio per testes regulariter excludatur, porrò fidé digni Historici, solùm habere possunt rationem testium, quos excludit S. Congr: ut legitur in novissima impressione Tridentini fol. 599 Igitur nomine authenticorum documentorum, sola veniunt Instrumenta Fun-

dationis

dationis vel dotationis. Neque illiteratura Poloniæ illius ævi excuſare poteſt â præfatorum Inſtrumentorum productione, nam S. Congr. ad mentem Tridentini declaravit, oſtendenda eſſe; ut defactò non obſtante allegata ab Anonymo illiteratura, Regulares parati ſunt ea oſtendere pro parte ſui, ut ex illis palam ſit, quòd Fundatores Monaſteriorum Poloniæ, inhibuerint ſub interminatione Divini judicii, & aliis, graviſſimis execrationibus, conferri Regularia Beneficia aliis quàm ipſis Canonicè electis â Regularibus, ac ideò nihil tam ſibi, quàm ſuis ſucceſſoribus Juris ad eaſdem conferendas reſervârint, ſed expreſsè in terminis, omne prorſus Jus transtulerint in Regulares, ut jam ſupra annotavi Art. 5. fund. 3. *Reſpondet ultra Anonymus & dicit: miror quomodo tam audacter Procurator aſſerat hanc Regum fundationem ſeu dotationem non poſſe probari, cum ipſimet Regulares dicant, quaſdam Abbatias â Regibus, vel Ducibus fuiſſe fundatas, vel dotatas.* Cui replico: admiratio Anonymi non cadit ſupra totum aſſertum Procuratoris, cuius probationem non fideliter Supra retulit Anonymus, nam Procurator ſic (ut in ipſo fonte Romæ: impreſſo lego) inquit: **Ius Patronatus non poſſe probari, dato etiam quod omnium Poloniæ Monaſteriorum Reges eſſent Fundatores,** & rationem hanc dat: quia id præciſe non fundat præfatum Ius in Eccleſia Regulari, quod & Synodales Conſtitutiones agnoverunt, dum juxta Canones, decreverunt competere Monachis liberam Abbatum ſuorum Electionem, & tot Pontifices confirmârunt, imò etiam ipſi Reges Poloniæ, ut oſtendi Art: 5. Ac proinde fruſtra recurrit ad Inſtrumenta Anonymus, nam etiam his datô non conceſſô poſitis, nulla eſſet probatio in præſenti ſecus in Eccleſiis non Regularium, ſed hæc dicta Procuratoris non poſſe ſe capere inculat Anonymus in ſuis novis fol. 136. hujus verò ratio eſt, quia totus in abſtractô hôc nonniſi occupatur, ut quas cupit, quam citiſſimè capiat Abbatias. *Hinc ita ulterius rem ſuam proſequitur: Reges omnium Monaſteriorum debent vocari Fundatores, nam quiſquis ille fuerit Fundator, & dederit Monaſteriis Bona aliqua, hic non tam ſua, quam Regis dedit, habentis ſupra illa Jus Dominii directi &c. Et hoc ipſum vult probare ex Regni Statutis Anni* 1510. *quô hanc obcauſam (ut ille inquit) Lex Regni Statuta eſt hac:* **ubi ſpecialis mentio in Privilegio ac Inſcriptione, de Iure Patronatus, non eſt, Iuri Regis reſervatum eſſe cogno-**

cognoſcitur: *Item altera An.* 1588 *talis:* dum Conſangvinei alicujus in octavo gradu non exſtant, bona ejus ad Regem devoluuntur. Verùm Anonymi dicta cum ſua probatione ſic replico: dicit quod vellet verùm eſſe Anonymus,ſed longè aliter ſe res habet; quæro: nonne etiam in illo abſolutè regnantium ſtatu, non fuêre Poloni Domini, pollentes Jure proprietatis ſuper Bona ſua? ita,ut ea abſq; illorum injuria auferri, nec à Rege potuerint. Nonne pro tunc non ita liberum fuit eiſdem pro ſua voluntate, vendereBona, quorum fuêre legitimi Domini, ut nunc eſt, ſalvis oneribus Regis & Reipub:? eſtò verò etiam pro tunc competebat Principibus Jus (ut vocant Canoniſtæ) Baſſum, ſuper omnia Bona Poloniæ, certè id nihil præjudicabat Dominio proprietatis aliorum Polonorum Dominorum ſtrictè talium. Sed datô etiam non conceſſô, quod verum dicat hicAnonymus,id non fundatJusCollationis in favorē Majeſtatis aliàs ex hoc ipſo fundamento ſequeretur (*nota retorſionem*) nemini competere in Polonia Jus præſentandi ſuper Beneficia Sæcularia, niſi ſolis Regibus, cum tamen & nunc oppoſitum videmus, & antea fuiſſe certum eſt, ut palam fit ex Sum: Num: 28, ubi legitur Archiepiſcopum Gneſnen: habuiſſe Jus præſentandi ſuper Præbendas Gneſn: Eccleſiæ, item ex Legatione Caſimiri III. ad Nicolaum Summum Pontificem, apud quem patebat ſibi concedi Jus conferendorum omnium Sacerdotiorum Poloniæ, ſed ea negata ſunt,ut ex Cromero retuli Art. 1. Porrò: quomodo id peteret Caſimirus ſi juxta Anonymi ratiocinium, iam ad hoc Jus (ut ille dicit) haberet aliundè; probatione ex Statutis nihil evincit Anonymus de Beneficiis regularibus,ut probo aliô poſterioriStatutô,videlicet de An: 1538. quô decernitur; ut Monachi libere Abbates eligant. Idem præſcribunt alia quoq;pluraStatuta relata Art: 5.Fund. 5. Quomodo verò ſtare poſſet libertas Electionis, ſi ſubſiſteret veritas aſſertorū Anonymi? Præterea ex inſtrumentis ſuarū fundationūRegulares Poloniæ probant ſpecialem(quā requirit Anonymus)mentionem excluſivam omnis omninò Juris, ita, ut nemini alteri, quàm ipſis Regularibus, Jus ſuper illas conferendas Fundatores reliquerint. Addo ſignanter, de ſecundo Statuto ſupra citato ab Anonymo, quod ſi afficeret Abbatias (ut vult Anonymus) eô

ipsô deberet afficere & aliorum omnium Regularium Poloniæ Bona, imò cuncta prorsus Ecclesiastica Beneficia, hôc autem admissô, ingens absurdum sequeretur, videlicet: quod nulla sint in Polonia Bona Spiritualium, adeóq; ulteriùs, quod omnia converti debeant & devolvi ad Regem, ut devolvi solent in dicto supra casu Bona sæcularium vi præfati Statuti. Igitur palam ex dictis est, multum probare Anonymum ex Statutitis, adeoq; (ut Scholastici in simili dicunt) probat nihil. *Dicit nihilominus ulteriùs Anonymus, demonstrari a se ex abundanti, præter, fundationem & dotationem, etiam tempus immemorabile, cum præsentationibus effectum sortitis, & per 50 Annos continuatis, quarum appromittit seriem alibi.* Cui replico: non rumino seriem assertarum præsentationum, iam enim illas pridem ruminavit Romana Curia, agnovitq;eas debere potiùs vocari recommendationes,ut constat exSum: Num: 21. & ideò decrevit Electionem Abbatum pertinere ad Monachos liberè & absolutè, ac indepeadenter â quacunq; præsentatione &c. ut in Sum: Num: 34. Hinc ex abundanti Anonymi,quod promiserat supra, potiùs inferri debet magnus ejus defectus in probatione Juris â se asseri. Addo ex meo superabundanti in contra:datô etiam non concessô, quod illæ recōmendationes vocari possint aliquô saltem sensu,&dici præsentationes, ut eas vocat Anonymus, posuntne fundare Jus legitimum Collationis? quandoquidem fuerint in Statu controverso, & contra plurimorum Regum diplomata, qui tales præsentationes,casu quo ex Cancellaria Regni emanarent, pro subreptitiis haberi debere decreverunt,ut patet in Sum: Num:15. & 17.imò & superiùs in eodemSum:Num: 8.Præterea: remitto Anonymum ad Articulum 1. ubi leget ad An: 1504. regnante Alexandro, opposuisse se Regulares Collationi Abbatiarum, & ad sedem Romanam appellasse. Quandoquidem verò ante inhoatam ex parte aspirantium sæcularium ad Abbatias, hanc controversiam, prorsus pacificè â primo fundationis suæ limine Regulares Poloniæ per aliquot secula, Abbates suos eligebant, cur non potiùs in partem eorum dicendum foret? quod id sufficiat ad fundandum Jus consvetæ ab ævo Electionis, ne dum contra privatos Fundatores (casu quo illis ad Abbatias aliquod Jus competeret, estò prorsus nullum competere ex supradictis

patet)

patet) ſed etiam contra alios etiam ſupremos Principes ? vel oſtendat Anonymus, ſi poteſt, ante Annum 1500. ſaltem unicam (ut vocat) præſentationem ad aliquam Abbatiam, ſi vult, ut Regulares ſuccumbant. Quia vero Procurator Ciſtercien. inter alia probavit ex Jure &plurimis Doctorib9, ac ex deciſionib9 Curiæ Romanæ. requiri ad probandum JusPatronatûs reſpectu Eccleſiæ Regularis Privilegium Apoſt. in limine fundationis conceſſum. *Sic contra hoc ulteriùs dicit Anonymus: concedens id forſan requiri reſpectu Eccleſiæ Mendicantium, negans verò reſpectu illarum, quibus Fundatores ampliſſima contulerunt Bona, quæ (ut ille inquit) abundè ſufficiunt pro Privilegio; & addit: verum quidquid ſit de Jure, certè in facto potuerunt eſſe & talia privilegia, quæ apud ipſos Regulares credibile eſt exſtare &c.* Cui replico 1. quæ diſparitas, quod Anonyme faves Mendicantibus, & non mendicantes excludis â favore Juris? vel neſcis omnes Regulares Poloniæ habere comunicationem ex Jndulto Apoſtolico in favoribus & privilegiis Mendicantium ? imò cur inſurgis contra ſolos vel maximè Ciſtercienſes, omiſſis tot aliis Religionibus, Bona ſtabilia habentibus? utiq; Jus Canonicum ſimpliciter abſq; hac tua partialitate dicit requiri omnino præfatum privilegium ad probationem Juris Patronatûs ſuper Eccleſiis Regularium , non ſpecificando ſolos Mendicantes, cur igitur favores Juris reſtringis,& non potiùs juxta commune axioma amplias? niſi fortè ideo, quia unos agnoſcis Regulares, alios judicas irregulares, ſed temerè, quia ſine ullo fundamento, probandum id reſtat coram Judice competente. Replico 2do: præfata Privilegia potuiſſe eſſe nemo contradicit, ſed hic de actu ſecundo eſt quæſtio, non de primo, ſcilicet non de hoc: **an potuerint eſſe**, ſed **an de facto ſint?** Dum dicis credibile eſſe exſtare illa apud Regulares, nimium te in præſenti credulum,quia abſq;ulla revelatione probas,cum tamen ſupra evidentiſſimis documentis Regularium dubiam fidem perperam obieceris; errorem credulitatis tuæ ut agnoſcas, revelo tibi, nullum exſtare Privilegium quod faveat tuo aſſerto, jam verò exſtare in contra Privilegia in limine fundationis conceſſa Ciſtercienſibus, & alijs Regularibus Poloniæ pro Jure liberè eligendi Abbates Regulares, quorum aliqua vide Art 5. Fund: 3. *Neq; dicas: æquivalere illis Privilegiis Bullas Pontificum cum pro-*

viſione

visione Commendarum, ad nominationes Regias; Nam hanc æquivalentiam (*quam tu asseris*) non recognovit Romana Curia, dum injunxit reportare literas Apostolicas præseferentes quadam vice enunciativam nominationis præfatæ, ut hic error corrigatur, & simul verificationem decrevit asserti Juris Patronatûs, ut patet ex Sum: Num: 18. ulterioribus ab Anonymô hic allegatis jam supra satisfactum.

XII. Scribit Procurator (*attestante Anonymo*) sic: sed ut clarius in subsistentia prætensi Iuris Patronatus appareat, congruum erit referre initium & modum á quo Ministri Regis Poloniæ Regale Ius super Abbatiis deducunt, & allegatis ex Cromero de Cracoviensi Episcopatu & aliis, tandem concludit, quod ex occasione revolutionum circa Episcopatus, etiam ad Abbatiam Lubinensem Ord: S. Benedicti prætendere cæpit Ius Casimirus, & quia fortius ad illam ex parte Regularium Ius resistebat, maioremq; habuit oppositionem a Monachis tantum restricti sunt, ad petendum Regium assensum super libere a se electum Abbatem, quod deinde & in aliis Monasteriis prætendi cæpit. *Ad quod sic respondet Anonymus: Procurator hâc deductione, dat optimi argumenti materiam pro Jure Patronatûs, â majori ad minus, videlicet ab Episcopatibus ad Abbatias, ergo licet si verum esset, quod ab Abbatia Lubinensi sumptum sit exordium circumscribendi electiones Abbatum, tamen quia iam per tot annos hic usus invaluit quo ad omnia Monasteria, cum beneplacito Sedis Apostolicæ, igitur non licet iam revocare, sed Reges ex pari ratione, pari debent gaudere Jure, tam supra Episcopatus, quam supra Abbatias.* Cui replico. I. Dialectici non semper concedunt â majori ad minus bonam esse argumentationem, quodsi vero fiat â Superiori ad inferius, negant unquam posse valere viâ affirmativâ igitur etiam in præsenti ab Episcopatibus ad Abbatias argumentum affirmativum Anonymi valere nequit. Replico 2do. Si optimum Argumentum formare voluerat Anonymus, gradatim descendendum erat, primo propius, ab Episcopatibus ad Canonicatus, Præbendas, & Præposituras Sæculares, & tandem ad Plebanatus ; nam ad Abbatias non bona gradatio, imò pessima est consequentia, ideo : quia de præsenti materia Juris præsentandi loquendo ; majus & fortius Jus resistit ad secundum, quàm ad primum ; & præterea respectu Ecclesiarum Regularium , plus indispensabiliter requiritur ad id, quod intendit Anonymus, videlicet probatio concessi Privilegii Apostolici in limine fundationis super Collationem Abbatiarum.

tiarum. Demum plurima hic falsa infert Anonymus, ac propterea nego usum legitimum invaluisse quoad omnia Monasteria præsentationum; nego item, esse super ea beneplacitum Sedis Apostostolicæ, opposita patent ex supra toties remonstratis, & ex Sum: Num: 18. 21. 33. 34. aliisq; relatis Art. 5. Ad paritatem quam dat Anonymus de Episcopatibus & Abbatiis, videnda disparitas in responsione ad singulare 8. pag. 68. Ex his verò evidens est, Procuratorem Cisterciensium non dedisse occasionem ullius Argumenti legitimè concludentis pro parte Juris asserti ab Anonymo. *Quia verò ille ultra, asserit circumscriptionem Electionum Abbatialium, non fuisse factam per violentiam, sed cum assensu Monachorum &c.* Ad id respondeo Anonymo negativè; certè, si fortè quem assensum extorsit â Monachis metus, talis assensus intrinsecè & æquivalenter juxta omnes reputatur pro ipsissimo dissensu, ut iam supra probatum, in Responsione ad Singulare 47.

XIII. Procurator (*ait Anonymus*) citatis Statutis Regni restringentibus paulatim Electiones Abbatum, concludit: En quomodo potestas Laicorum circa Ecclesiastica in dies assumit vires? *Ad Quod loco responsionis prohibet Anonymus, mirari Procuratorem, & redarguit multis scommatibus ad stuporem observantiam Monachorum.* Cui replico 1. nemo qui non didicit, benè & ad rem docet: Nec agere potest Magistrum Regularium, qui nunquam fuit discipulus observantiæ. 2 Nemo dignitatem quærens fingere contentus est levia, ut inquit Seneca; hinc non mirum, quod Anonymus dignitatem Abbatialem appetens, indignè tractat suis scriptis Regulares, vituperia omnia, quæ contra Regulares coacervat, finem non alium habent, nisi ut ex iis Commendæ proveniant, igitur ideò per Anonymum Regularis observantia Monachorum improbatur, ut Monasteria eorum Commendentur, non quidem laudibus sed Administratorum AbbatumCollationibus. 3. Si sæculares non interessati, meliùs instructi essent de Juribus Monachorum, nec impellerentur famæ mendacis stimulis, ab interessatis ortum trahentis, procul dubio relinquerent Regulares in usu pacifico Juris sui, & : nisi Anonymus excitaret scintillas odiorum, prorsùs jam pridem extinctus esset controversiarum æstus, nec flamma hæc erumperet, quam

quam toties accendit fervida Abbatiarum cupiditas. *Quod in fine addit Anonymus; ac si nullum per 500. retro Annos fundatum sit Cistercienſium Monaſterium,* malam ejus fidem noviſſimæ fundationes in Lithvania demonſtrant.

XIV. Scribit (*ait ille*) Procurator: **Prædicta Statuta Regni non juvant, ſed tollunt Ius Patronatus, dum fatentur liberam Electionem Abbatum, ac ſolum ſervitutem quandam imponunt, ut Perſonæ certis qualitatibus ornatæ, Nobiles, Poloni, eligantur; ſi enim Rex Patronus fuiſſet, non declaraſſet Electionem pertinere ad Monachos, nec indiguiſſet modum imponere circa Electionem, cum Patronus poſſit Perſonam ſibi bene viſam nominare.** *Ad quod Reſp. Anonymus, deduxiſſe ſe iam luculenter Superiùs, Ius præfatum non ex Statutis, ſed aliundè.* Cui replico: lux, quam dediſſe te dicis, hactenus ignota eſt, præter ipſas umbras colorum; jam verò ſine luce, nec color ab umbris diſcernitur, ut teſtantur Philoſophi; clariùs igitur procedendum ſvadeo, nàm hactenus velut in Cymeriis deducis multa, & in luce nihil apparet pro parte Juris â te aſſerti. *Parens, juxta poſſe Anonymus, bono immediate dato ſibi conſilio, mox contra Procuratorem retorquere clariùs nititur Statuta Regni, dum ſic opponit: allegata Statuta non fatentur, aut declarant libertatem Electionum Abbatum; neque hoc ex illis poteſt elici, ſed potiùs negant eam libertatem; dum inhibent ne externos, aut plebejos, ac præcipiunt ut Nobiles ſolos &c. eligant. Et citat Statutum An. 1588. & 1607.* Cui replico: Nego quod dicis, & lege An. 1538 Statutum in Sum. Num 3. & An. 1550 Num. 5. ut videas oppoſitum. Citatum â te An. 1588. Statutum, relege attentiùs, in Sum: Num: 14 lit: A. & adverte in illo hæc formalia: **Abbatem competenter & libere** (nota ſignanter ly: liberè) **per Monachos electum iuxta formam Iuris antiqui, nobis poſtea** (nota ly: poſtea) **denuncient.** Idem An: 1607. Statutum habet, quod retuli in Sum. eôdem Numerô, lit: B. ubi lego: **ut capaces & ſui Ordinis Monachi Nobiles ad vacantes Abbatias libere eligantur & promoveantur a Monachis.** Ecce! liberè eligendos Abbates utrobiq; Statura volunt, & promouendos â Monachis, eſtò reſtringant Electionem ad certarum Perſonarum qualitatem; pariter ac Statutum Regni reſtringens Electionem Reip: ad eligendum Regem Pol. nonniſi Catholicum, adhuc relinquit libertatem Reges eligendi. *Dicit ulteriùs Anonymus: præfatorum Statutorum diſpoſitiones eſſe proprios characteres Patroni, quid enim hæc præ-*

cuſtodi-

custoditio : ut secundùm Jus & consvetudinem antiquam electis Religiosis conferantur Abbatiæ, denotat ? nisi Jura Patronatûs. Cui replico : Assentiri tuis dictis nequeo , cum claré constet oppositum ; & sic contra te intorqueo : hæc præcustoditio : ut scilicet secundum Ius & consvetudinem antiquam electis competenter Religiosis conferantur Abbatiæ a Monachis poteſtne esse character Patroni ? Nota : ly: a Monachis, consultò in suis Novis Polonicis intermisisse Anonymum, ut sic falsificati ejus characteres quadrare possint pro ejus asserto, & exprimere (ut dicit) proprium characterem Patroni. Jàm verò character verissimus Statuti, ut apud Herburtum exstat, nonne potiùs denotat Jus & consvetudinem antiquam eligendi, esse penes Monachos, ac ad eos pertinere provisionem suorum Regularium Abbatum ? Vellet ut video aliqua eliminare ex Statutis Anonymus, quæ assertis ejus non favent, verùm vanus est hic conatus, nam quod semel in lege scriptum, semper scriptum manet. De Cromero dum dicit Anonymus, *ac si ille annotasset suô tempore non fuisse jam liberas Electiones Abbatum*, falsum est, is enim solùm dixit : liberas Electiones Abbatum jam tunc labefactari & violari cæptas, adeoque vix retineri, ut patet ex Singulari 40. supra dato ab ipsomet Singulario. Porro dicta Cromeri verba hunc sensum genuinum præsefe-runt & violantur, ut vix violentiis resisti possit; Pariter ac qui vix spirare dicitur præ gravi infirmitate, & violentia morbi non utiq; jam non vivere, aut prorsus exspirasse dicendus, adhuc enim salubribus remediis perfectè (Deo cooperante) curari potest. Ex dictis igitur Cromeri nihil plus Anonymus in favorem sui asserti referri potest, quàm quod protunc per violentias quæsitum fuerit illegitimè Jus nunc assertum sicut ad præsens ipsemet Anonymus trahit violenter ad suum sensum etiam repugnantes illi, Statutorum characteres. *Verùm his non contentus Anonymus, sic præterea urget: si quid in Statutis obscuriùs alicui videtur declarat id usus, optimus legum interpres &c.* Cui replico: Sole clariora sunt Statuta pro libera Electione Monachorum, sed Anonymus eorum lucem obscurat, & ægris videt oculis. Usus, talsum est, quod semper sit legum interpres; alias (nota retorsionem) etiam usus contra leges, & illegitima Juris violatio &c. ageret interpretem legum, porro hic, potiùs abusus vel corruptela dici debet. Repl.

Repl. 2do. falſum agis interpretem Anonyme, meliùs interpretatur & confirmat Jus indubitatum eligendi, uſus, vi cujus ſecundum antiquam conſvetudinem electis canonicè Profeſſis Nobilibus, Abbatiæ â Monachis conferuntur ut Statutum An: 1607. atteſtatur. Ex quo patet legem eſſe Regni pro parte Monachorum clariſſimam, non verò pro parte Juris â te aſſerti. Quod ultra allegat Anonymus *ac ſi Anno* 1551. *jam Commendæ fuiſſent Abbatiarum ex Regum Nominatione*, nequit id probari ex Synodo, quam adducit Anonymus; nam Synodus præfati Anni dicit: **intrudi Commendas, ut ambientium cupiditati ſatis fiat,** ut videre eſt in Sum: Num: 6. Ecce! non nominatio Regis, ſed cupiditas & ambitio impellens intrudebat pro tunc Synodô atteſtante Commendas, quas dicta Synodus ſtatim reprobavit, & decrevit: **ut Loci Ordinarii memores ſui Officii, quod tuendis Juribus Monaſticis debent, ipſimet ab intrudendis talibus abſtineant, nec per alios quoscunq; id fieri patiântur &c.** ut in Sum. loco ſupra citato habetur. *Pergit adhuc Anonymus cum ſuo ſenſu, non tamen cum probatione, & inquit: Cujus eſt leges condere, ejuſdem eſt & interpretari, quomodo autem Vladislaus IV. Filius Sigiſmundi interpretatus eſt illa priora Statuta, patet ex illius Statuto, per quod non tollit libertatem Electionum, ſed declarat morem antiquum, hac enim ſunt illius verba.* Sed replico dicta Anonymi: ſi ejus eſt leges interpretari, cujus condere; ergo fruſtra oleum & operam perdit Anonymus in interpretatione Statutorum, memini eum ſupra jam interpretatum fuiſſe Jus Commune, Concilii Trid: Decreta, Synodorum Conſtitutiones &c. Nunc Statuta Poloniæ, ſed omnia contra mentem Legislatorum. Vladislaus IV, ſiquidem (ut inquis) non tollit libertatem Electionum ſed declarat morem antiquum illarum, ejus interpretatio conſonat menti Patris ſui, licet id etiam abſq; interpretatione ex ipſis terminis Statutorum â Sigiſmundo latorum ſatis clarum eſſe, paulò ſuperiùs iam declaravi. *Verum huic interpretationi oppoſitus interpres Anonymus ſic iterum, ut ſolem obſcuret, ſibi ipſi obiicit: ſed dicet aliquis, tamen in illis Statutis toties dicitur, ut Monachi liberè eligant; Et mox ipſemet Reſpondet, id dicere Statuta per Civilitatem, & Ceremoniam, pariter, ac dum Reges in ſuis nominationibus ſcribunt*: ut eligatis. Cui replico 1. ſi Statutorum verba quæ favent Monachis, interpretaris

tatis Anonyme solùm spectare ad Civilitatem & Ceremoniam, cur totum Statutum, & maximé illam restrictionem ad Personarum eligendarum certas qualitates, sic non nominas ? par enim pro utroque videtur esse ratio. 2. Habent gratias Regulares Anonymo interpreti, quod ab illo didicerint, quid de Statutis, imò & deNominationibus Aulæ censendum sit, nemo enim hactenus favorabilius id pro parte Regularium interpretatus est. quam solicita explicatio Anonymi. Huic Ceremoniæ, utique morem gerunt Regulares in celebrandis Canonicé suorum Abbatum Electionibus, quas more consveto peragunt, jam verò alia ad has non spectantia, Ceremoniarum & Civilitatis gratiâ (ut dicis) ad se directa, Civiliter ac Ceremonialiter nonnisi admittunt. Ex reliquis, quæ hìc dicit ultraAnonymus; aliqua latent Regulares Poloniæ, cum sint extranea, qualia sunt quæ dicit de Regibus Hungariæ; ad aliqua patet solutio ex supra dictis, idem enim sæpe ad nauseam repetit Anonymus. Quia verò sic concludit ibidem: *Electionis ceremonia reservata est tantum pro solatio Monachis juxta illud* : **cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.** Id sic replico Anonymo: non Ceremonialis Electionis solatiô, sed pleno Jure suô, jubet Romana Curia gaudere Regulares Poloniæ, dum decernens minus constare de asserto Jure Patronatûs, ejus Promotori pro tunc Procancellario Regni Olszovio, silentium imposuit, ut in Sum: Num: 19. Et dum statuit Electionem Abbatis spectare & pertinere ad Monachos liberè & absolutè ac independenter â quacunq; præsentatione, nominatione, seuJure Patronatûs, ut pátet ex SummarijNum 34. & 33. AdTextum S. Scripturæ respondeo: Ita Deum rocordari misericordiæ, ut simul non obliviscatur Justitiæ, quam illæsam semper servat, quomodo autem? de his abundè docet S. Thdologia. Iam verò in credo atis vellet Anonymus â Regibus præstari solam misericordiam Regularibus, sublatâ prorsus Justitiâ & æquitate; sed nonne non legit: **non esse facienda bona** (licet talem misericordiam etiam â Fratribus misericordiæ pro bono non puto reputandam) **aut quasi bona, ut eveniant mala.**

XV. Scribit (*ait ille*) Procurator: **Illa Statuta, qua restringentia electiones Monachorum, sunt reprobata per Constit: Synodales, per Clem: IX, imo & per Ioan. Casimirum, ac Michaëlem Reges Poloniæ,** *ad quod*

ad quod dicit Anonymus: jam sat, superq; respondisse se ad hoc. Cui replico: Primum, scilicet: *sat*, necdum constat, alterum, scilicet: *super*, verum est; superfluis enim abundat in respondendo Anonymus, necessariis prorsus caret. Porro illis abundare, in his deficere, est idem, ac nihil prorsus respondere.

XVI. Scribit, (*ait ille*) Procurator: frustra in memoriali Oppositorum asseritur Privilegia Apostolica circa Ius Patronatus fuisse deperdita, quandoquidem in Archivo Regni Cracoviæ, plurima similia reperiuntur, quæ in Summario ex parte Regularium recensentur. *Ad quod resp. Anonymus: Abbatias fundatas esse ab An. 1140. ad An. 1228, illis verò temporibus, nec Scholæ nec literatura ulla erat in Polonia &c. Consequenter nulla erant scripta & Archiva, vel si quæ fuissent, Arce Cracoviensi in tot Bellis toties devastatâ, & incensâ, perierunt.* Cui replico: literatos homines fuisse etiam tunc in Polonia, testantur tot Regum antiqua privilegia & ipsa fundationum Poloniæ instrumenta idiomate latino conscripta; consequenter pro tunc Archiva fuisse non est dubium, ut defactò fuerunt in tot antiquissimis Cathedris & Monasteriis; flamma quod unis pepercit, absumpsit alia, miraculum crederem, sed id, magis dicendum est admirabile Commentum Anonymi. Præterea: datô etiam non concessô, quod verum dicat Anonymus, nonnne saltem Classici Authores Poloniæ, in suis scriptis fecissent aliquam mentionem de præfato Apostolico privielegio, si in rerum natura extitisset? ut fecerunt de aliis. Sic Miechovius lib. 2. Cap: 1. Długossius Tom. 1. lib. 2. fol. 93. An. 967. Miecislaum referunt fundasse non sine magnis privilegiis Ecclesias Cathedrales 9. & dotasse, quod & Cromerus lib. 3. fol. 32. confirmat. Legi privilegium Vladslai Ducis de An: 1086. & Boleslai Ducis Cracovien: & Sandomirien: de An: 1258. Præmyslai de An. 1284. super libertatibus Ecclesiarum Poloniæ, de quo mentionem facit Miechovita. lib. 1. Cap. 622. Item Vladislai Filii Odonis de An: 1234. quod retuli in Sum: Num: 28. Et aliud Eiusdem de An: 1239. de quo scribit Miechovius lib. 3. cap: 33. Item Henrici Ducis Poloniæ de An: 1298. quod exstat in Archivo Gnesnensi, cuius mentionem facit Miechovita lib 3. cap. 35. & Długossius Tom: 2. ad finem lib. 8. & plura alia antiquissima. Et tamen nihil simile legitur in prædictis Autho-

ribus

ribus, de privilegio Apoſtolico ſuper Collatione Abatiarum; quinimò oppoſitum ex Cromero patet, qui teſtatur petitum eſſe An: 1447. Jus omnium Sacerdotiorum in tota Polonia conferendorum, ſed ea negata ſunt, ut retuli Art. 1. fol. 4. Igitur præfatum privilegium fruſtra igne abſumptum eſſe dicit Anonymus, cùm nunquam fuerit imò neſcio quomodò eſſe potuerit, obſtante è diametro Apoſtolicô privilegiô, Regularibus Poloniæ datô in limine fundationis, quô confirmatur Jus liberæ Electionis Monachorum, ut retuli Art. 5. Fund: 3. pag: 38. Demum huc ſpectat annotare, quod in HerburtoTit. Spirituales legi, ubi fit mentio de Privilegio in favoremLoci Ordinariorum emanato, quod Sigiſmundus apud Clem: VII. impetraverat, ac ejus exemplaria ad omnes Cathedrales Eccleſias transmiſerat, ut patet ex Statutis Fol.449.Certè ſi ſimile de Jure Patronatûs ſuper Abbatias exſtitiſſet, legeremus illius ſaltem copias in Polonia, ex quibus facilè deveniri poſſet ad Originale, ſi eſſet hâc de re in Archivo ſaltem Pontificis, ut facta eſt notitia aliorum relatorum in Sum: Num: 38. Legi inſuper in Załuſcio privilegium Apoſtolicum proCollatione Epiſcopatuum, Sixti V. de An: 1589. ex quo retuli aliqua in reſponſione ad Singulare 8. pag: 69. Iam verò privilegium de conferendisAbbatijs, quod aſſerit fuiſſe Anonymus, nec ille, nec ullus vidit, cum nunquam exſtiterit in rerum natura, ſolùmq; illud in ſpatiis imaginariis quærit prætendens Anonymus, per falſam ſuam imaginationem.

XVII. Scribit (*ait ille*) Procurator: nec officit, quod aliquando Monaſteriorum Poloniæ proviſio a Sede Apoſtolica fuerit obtenta cum enunciativa Iuris Patronatus & præſentationis Regiæ. ſive, quia tales enunciativæ convincuntur erroneæ ex ipſiſmet Regum Confeſsionibus, aliisque ſupra adductis pro libertate Electionis; ſive, quia proviſiones Pontificiæ dictas enunciativas continentes, non ſunt continuatæ ſpatio Annorum 50. nec cum eis concurrit immemorabilis, minusque privilegium Apoſtolicum in limine fundationis, quæ copulative requiruntur pro forma a S. Conc. Tridentino præcipue in Eccleſia Regularium. Magisque in præſenti caſu, in quo initium habetur invalidum, cum ex ſupradictis pateat, Regiam Coronam Ius illud, quod acquiſitum prætenditur circa Electiones &c. Abbatiarum Regulerium, authoritate propria ſibi arrogaſſe, ut refert Piaſecki in prax. Epiſc. p 2. C.5. Art. 1 ſub Num. 39. § non ſufficeret. pag: 388. T.q prædictæ enunciativæ fuerunt in forma Commiſſoria, & conditionales, conſtito

scilicet de afferti Iuris Patronatus realitate. *Ad quod respondet Anonymus arguendo Procuratorem, quod imputet errorem Dataria & Cancellariæ Romanæ, impudentia & imprudentia est (inquit Anonymus) Magistram veritatis arguere erroris, præsertim cum dictæ provisiones per centum ferè Ministrorum omnia accurratè rimantium oculos & manus transire soleant.* Cui replico 1. erroneum inter alia illud dicitur, quod in aliquo falso supposito ab afferente fundatur; cum igitur circa expeditionem provisionum, illi, in quorum favorem expediendæ erant, asservare consueverint, ac si verum suppositum Iuris Patronatûs, quis scit? an non in deceptionem Datariæ, illa, quia in fidem illorum afferti apposuit dictas clausulas; prudenter exindè ratiocinatur Patronus, enunciativas præfatas esse erroneas, utpotè quas ipsimet Reges Poloniæ casu quô ex Regni Cancellaria in simili prodierint, pro subreptitiis haberi decreverunt, ut supra toties dictum, & constat ex Sum, Num. 15. & 17. T. q. neminem (inquit Seneca lib. 3 Cap. 24. de ira) esse tam circumspectum, cui non diligentia aliquando sibi ipsi excidat. 2. Concesserim impudentiam & imprudentiam, imò gravissimum errorem fore, si quis dixerit, Magistram veritatis posse erroris argui in materia fidei vel morum, in aliis tamen, homines, quâ tales, plurimis erroribus esse subjectos, nemo ignorat. *Dicit præterea Anonymus; gratis asserere Procuratorem præfatas enunciativas Juris Patronatûs fuisse conditionatas, ordinariè enim (inquit) in forma gratiosa absolutè concedebantur.* Cui replico: non gratis, sed debitè Procuratorem vera dixisse patet, ex ipsis Bullis provisionum sub Ser. Ioanne III. obtentis, in quibus lego hæc formalia: quæ Abbatia sicut accepimus, vel sicut ipse NN. asserit, de Iure Patronatus Chariss. in Christo Filii Nostri Ioan. III. Poloniæ Regis, Illustris ex fundat. vel dotat. seu Privilegio Apostolico &c. esse dignoscitur. Nota clausulas conditionatas. Quia verò semel per errorem irrepsit simplex & absoluta enunciativa in provisione Epis. Culmensis An. 1672. mandavit Eminen. Prodatarius literas Apostolicas reportare ad effectum corrigendi, nec ad illarum executionem permisit procedere, nisi priùs verificatô Jure Patronatûs assertô, ut in Sum. Num. 18. quod quia verificari non potuit, subsecuta sententia exclusiva Juris Patronatûs, ut in Sum: Num: 19 & definitum Jus Electionis spectare in Monasteriis Cistercien. Poloniæ ad Monachos, independenter

pendenter

pendenter à quacunq; nominatione &c. ut in Sum. Num. 34. *Nihilominus in contra Anonymus allegat, id non debere in exemplum trahi, quod in Personam Olszovii Bulla sic expedita, ac dein est revocata; nec sententiæ Rotales in hac causa sunt adeò attendendæ, quia sunt latæ, nemine Regis nomine Ius Regium defendente, vel comparente.* Cui replico: saltem id in cautelam, pro vitando simili exemplo enunciativæ erroneæ deservire valet, imò & ad evidens documentum nullitatis Juris asserti ab Anonymo, quod toties plenis buccis promouet, nunquam verò debitè probat. Sententias Rotales non attendendas esse, dicit Anonymus, unicè intentus in suam, cujus omnes vult sequaces reddere, sed quia malô laborat suppositô, declinandum censeo ab errore, in quem inducit Ad reliqua respondendo, quæro: cujus nomine tàm strenuè per aliquot annorum spatia agitatum Romæ negotium asserti Juris Patronatûs, si non Regis? utique promovit illud Olszovius, ut Procancellarius Regni, ut Magnus Minister, ut Os denique Regis; cujus effata quid resonent in hac materia, lege in Sum. Num, 21. *Urget adhuc his non contentus Anonymus, & inquit: Anno 1682. feliciori exitu emanavit Bulla provisionis Abbatiæ Wąchocensis in Commendam Illustr. D. Załuski moderno Epis: Kijovien. sub enunciativa Commissoria & conditionali Juris Patronatûs nec tamen injuncta fuit verificatio præfati Juris &c.* Cui replico 1. Bullam non legi, sed S. Congregationis Consistorialis sententiam, quæ nullam euunciativam præsefert de Jure Patronatûs, aut de nominatione Regia, sed solùm testatur, repetitas esse enixas Ser. Regis & Reginæ commendationes, aliaque plurima motiva fuisse data, quibus maturè perpensis, si Sanctissimo placuerit, commendari posse decernit, cum clausula revertendi in Titulum statim, ac per cessum vel decessum ejusdem Załuscii Abbatiam Vąchocen: vacare contigerit, ut patet ex Sum. Num. 43. Ex hoc verò valdè dubitandum venit de præfata enunciativa (quidquid sit qualis fuerit) Juris Patronatûs, an sit in literis provisionis apposita, aliàs, quomodo posset subsistere cum clausula revertendi in titulum? quod prorsùs imperceptibile est. T; q. literæ provisionis in essentialibus nequeunt magis abundare, quàm decretum sit per sententiam S. Congregationis, ac proindè, si addidit aliquid Cancellaria Curiæ, id utpotè contra

mentem S. Congregationis minus attendi debet. T q. Rotæ decisionibus antecedaneis toties excludentibus Jus Patronatûs respectu Abbatiarum Poloniæ, non consonant Anonymi dicta, quæ omnia grave fundamentum præbent dubitandi de realitate Anonymi. Addo ex superabundanti: Datô non concessô, quod in illa Bulla (si talis ut dicit Anonymus emanavit) non fuerit injuncta explicitè verificatio Juris Patronatûs, nihilominus si enunciativam præse tulit (ut inquit) commissoriam & conditionalem, utique non erat exequenda donec priùs verificaretur conditio; idem enim talis enunciativa in re sonat; commitimus ut Bulla exequatur, si & inquantum verum est, sicut accepimus &c. & non secus. *Ad id quod ultra Anonymus dicit de Provisionibus frequentatis sub absoluta enunciatione Juris Patronatûs*, Respondeo negativè probandum ab Anonymo restat, id audax (ut de suis dictis in præsenti inquit) assertum, cum talibus nudis verbis adhibere fidem non permittant plurima in contrarium jam toties adducta. *Demum prosequendo contra Procuratorem refutationem suam, dicit Anonymus: gratis asseri ab illo non concurrere immemorabilem in Nominationibus, nam adhuc An. 1551. in Synodo Provinciali per modum querelæ insinuatur, quod jam tunc fuissent Abbatiarum Commendæ, sed quomodo & a quo cœptæ? non edocetur.* Cui replico: Utique legisti in præfata Synodo testimonium, introduci videlicet ab eis Commendas, quorum Officii est tueri Iura Monastica. Item quod cupiditas & ambitio sese intrudentium prima pro tunc cœpit dare ansam Commendis. Lege Synodum, ut id discas ex Sum. Num. 6 & Num. 9. Hinc quia plurimas perturbationes & impedimenta Electionibus Regularium parabat protunc aspirans ad Abbatias ambitio, mox Julius III. 1552. inhibuit, ne ulla alia Persona in exercitium Officii Commissarii Ordinis sese immisceat, aut Electiones Abbatum perturbet &c. ut in Sum. Num. 7. *Dicit insuper Anonymus: nullatenus posse dici initium invalidum Juris Patronatûs, quod erat innixum fundationi & dotationi, ac firmatum Sedis Apostolicæ admissione.* Cui replico 1. Synodus supra dicta attestans cupiditatem & ambitionem cœpisse ansam dare Commendis, evidenter demonstrat invaliditatem initii. 2. Jam toties dixi, hos titulos non esse sufficientes respectu Ecclesiæ Regularis, ad validum initium, sed præterea requiri privilegium Apostolicum in limine fundationis, quod non affertur ab Anonymo,
nec

nec afferri poteſt, ſtante oppoſitô privilegiô pro parte Regularium, ut ſupra oſtendi. *Tandem in fine reſpondens Anonymus dicit: gratis aſſerere Procuratorem, ſupra enumerata requiri copulativè ad probandum Jus Patrnnatûs, & præcipuè privilegium Apoſtolicum, nam Concilium nullam de hoc facit mentionem.* Cui replico: Tranſeat interim, de hoc non diſputo reſpectu Eccleſiarum Sæcularium; cæterum in Regularibus Eccleſiis, ſi non copulativè iſta omnia, ſaltem omninò eſſentialiter & determinatè quod requiratur Privilegium Apoſtolicum, conſtat ex Reſponſione ad Singulare 1. pag. 53:

XVIII. Refutat (*inquit Anonymus*) Procurator motivum petendarum Commendarum ex indigentia quorundam Epiſcopatuum deſumptum, *Ad quod ille reſpondens, falſitatem obiicit plurimis deductis à Procuratore; Et 1. dicit, id falſum eſſe, quod Epiſcopatus Luceorienſis non ſit in confiniis Barbarorum, cum extendatur uſque ad limites Turcarum & Tartarorum &c.* Cui replico: Cur mi Anonyme falſitatem obiicis Procuratori, non de hoc res eſt an Diœceſis præfata confinat cum Barbaris, ab hoc enim ille præſcindit, ſed, an Epiſcopatus, ſpectatus quô ad Bona & proventus ad ſe pertinentes confinat? certè longè â finibus Barbarorum diſtare illa, verè dixit Procurator; ſed Anonymus, id fingit ſe non intelligere, & ex induſtria declinat aliô; nonne ignorat, quanta ſit latitudo Diœceſum in Polonia? quarum una ad minimum ad 40. miliaria polonica, quod efficit Italicorum circiter 160. & aliæ longè plus extenduntur, quantùm vero ad Bona & Reditus, hæc in aliis etiam Diœceſibus ad ſe pertinentia habent, ut benè novit Anonymus. *Dicit 2. idem: Præfatum Epiſcopatum eſſe continuam ſedem belli, rapinarum & incurſionum Tartaricarum.* Cui replico: Confinia Diœceſis, tranſeat quod eum metum habere poſſint, non tamen ipſa Sedes Epiſcopalis cum ſuis reditibus, ut potè longè diſtans â finibus Barbarorum; prætereà, tales incurſiones per Dei gratiam â multis iam annis ceſſarunt, neq; in futurum ſupervenire metuendæ, excubante pro integritate Reipublicæ Regni exercitu. *Dicit 3. falſum eſſe, quod pingviores habeat reditus præ aliis Epiſcopatibus in Ruſſia exiſtentibus, & quod non indigeat ullo ſubſidio.* Cui replico: ut falſa dixiſſe Procuratorem verè convinceres, debuiſti & rationes eius infringere, quas pro

proba-

probatione attulit, cui tamen à te non satisfactum; quod dixit Procurator, id probavit authoritate Iacobi Scrobisovij, qui in vitis Archiep. Leopoliensium C.12.de Luceoriensi Episcopatu ob sui antiquiorem fundationem, & ob pingviorem ac fertiliorem Russiæ glebam præ aliis Poloniæ Provinciis, testatur, eum esse ex melioribus Episcopatibus Poloniæ, & habere alium Episcopatum Brestensem sibi unitum. T. q. præfati Episcopatûs proventus, auxit non modicè Paulus Almigendus Dux Olszanen. in Episcoporum ordine XI. Episcopus Luceoriensis, cum ei Ianoviam cum attinentiis,nunc Præsulum stabile reclinatorium, perpetuô Jure addixit, ut refert in facie rerum sarmaticarum P. Naramowski S I. ad talesq; post pervenit reditus, ut ex superfluis ejus Bernardus Maciejowski Fundator extiterit munificus Collegii Lublinensis S. I. Et ejus Successor Stanislaus Gomolinski Ordinem Prædicatorum S. Dominici introduxerit Janoviam, liberali manu exstructô priùs Monasteriô & Ecclesiâ. Idem Minores de observantia Sokaliæ pari munificentiâ ad Divinum promovendum cultum fundavit, attestante eodem qui supra. Hinc cum adeundem Episcopatum non ita pridem translatus fuisset Stanislaus WitwickiEpiscopusKijoviensis, tenens tunc per Commendam Monasterium Plocense Or S. Benedicti, præfatam Commendam reliquit, quæ postea collata fuit Ioanni Kurdwanowski Magno Notario Regni, nec aliter in Romana Curia dictô Episcop: provisum. *Dicit 4. in contra Anonymus: nostrâ memoriâ tenuerunt plurimi Episcopi Luceorienses varias Abbatias sibi Commendatas, eosq; enumerat.* Cui replico: Id non probat Episcopatum præfatum esse indigentem subsidii, sed solùm, quod Sedes Apostostolica intervenientibus aliis circumstantiis. Personarum, temporis &c. dispensaverit gratias aliquibus, absolutâ suâ utens potestate; Porrò non rarum est aliquas gratias concedi uni, denegari ex iustis rationibus alteri: sic in Bulla Innocentii in favorem Stanislai Zbaski Episcopi Præmyslien. emanata An; 1681, item in altera in favorem Constantini Lipski Archiepi: Leopol. eodem Anno expedita, & plurimis aliis, præter ordinarias clausulas, etiam hanc dum eis providerentur Commendanda Monasteria,appositam prohibitionem lego: ut præsens gratia nunquam in exemplum allegari possit. Anonymus verò

verò exempla favorabilia intendit extendere etiam contra prohibitionem & mentem Pontificis,nec attendit illud supra relatum de Witwiccio renunciante commendato sibi olim Monasterio, aliaq; plurima his similia exempla, quæ docent, petitas Commendas sæpiùs esse denegatas in Romana Curia, talibus exemplis repelere hìc paginam,superfluum judicavi,cum aliundè nota sint, & habentur aliqua in Sum: Num: 36. *Dicit 5. Anonymus: malè Procurator consulit subveniri posse (dato casu alicujus Episcopatûs veræ indigentiæ) Beneficiis sæcularibus non tangendo Regularia, nam in Polonia nulla sunt Beneficia simplicia &c.* Cui replico : cur displicet Consilium Procuratoris, qui justa consulit, injusta disvadet; faciliùs puto intali casu dispensaturum Summum Pontificem super pluralitate Beneficiorum sæcularium, utpotè absq; cujusvis injuria, quàm commendaturum Abbatias Regulares cum gravi præjudicio Monachorum,& obstante dispositione Tridentini Ses. 25. Cap: 21. de Regularibus, & Jure communi, item tot Sum: Pontificum & Ser. Regum Poloniæ Constitutionibus, imò obstantibus ipsis etiam Regni Statutis Fundatorum execrationibus &c. Adest utiq; modus, ut, vel per viam Collationis, vel per viam reservationis pensionum, vel aliter, assertæ (si in reali est) indigentiæ provideatur; quæ (quia nullo modo constat) priùs esset examinanda in Concilio Provinciali Poloniæ, & probanda per publica Instrumenta, per inquisitiones faciendas de reditibus præsentibus & oneribus talium Episcopatuum, ut præcipit fieri in tali casu Tridentinum Ses 24. Cap. 13. de reform. Præterea Anonymus malâ fide dicit, nulla esse Beneficia simplicia in Polonia, falsitatem ejus dictis opponit ipsum memoriale porrectum ex adverso ab intereſsatis,in quo Num: 5: (referente etiam Anonymo in suis Novis pag. 118) recognoscitur esse aliqua simplicia Beneficia in Regno Poloniæ, & ultra hæc utique penes quamlibet Cathedram plurima adsunt alia, vulgo dicta : gratiæ, habenturq; in manu uniuscujusque Episcopi, quæ,si solus justâ indigentiâ laboraret, certè aliis non distribueret. Verùm Anonymo non alius modus placet , nisi per subventionem Commendarum prohibitarum per Decreta Trident. Concilii, quod , quia expresfsè vetat locô supra citatô commendari Monasteria , in quibus viget

get Regularis obſervantia, vel quæ Capitulis Generalibus, & certis Viſitatoribus (ut inquit Tridentinum) ſubduntur; Anonymus anſam exindè ſumit invehendi contra obſervantiam maximè Ciſterciesium, utpotè ſua Jura defendentium, plurimaque ex odio allegat mordaci calamô, quæ probari nequeunt; certè ſi ipſemet hoc ævo jugum Chriſti non recuſaret Anonymus, & obſervantiam vitæ communis in Ordine experimentaliter probaret, facilè contra ſua dicta palinodiam caneret. Reliqua, quæ hìc allegat, commodiùs ſolventur ſequenti Articulo.

XIX. Probat Procurator: non relevare aſſertam indigentiam trium Officialium Curiæ Regiæ, ſcilicet Vicecancellarii, Magni Secretarii &; Referendarii Regni, non ſolum ideo, quia ex Officio copioſos & frequentes reditus habeant, ſed etiam, quia exinde ſequeretur etiam Laicis in iiſdem Officiis exiſtentibus, debere indigentiæ ſubveniri per Commendas, nam præfata Officia alternative conferuntur, nunc Sæculari, & poſtea Spirituali. T. q. hæc Officia ordinarie conferuntur Epiſcopis &c. *Ad quod Anonymus reſpondens, dicit 1. plura ridicula & erronea â Procuratore allegari, nam (inquit) eſtò alternatim ſigillum majus & minus conferatur nunc ſpirituali nunc ſæculari, ſemper tamen unum Sigillum eſt in manu Spiritualis, adeoque non ſequitur Commendas poſſidendas â Laicis &c.* Cui replico 1. dum rides Anonyme præ ſpe Commendarum, cur rodis Procuratorem? niſi fortè ideo, quia riſui tuo ejus dicta non arrident; non ridenda, ſed quæ ſunt Regularium Regularibus reddenda dicit Procurator, & probat Statiſticis rationibus quas multô riſu ſolvere, niſi illi competit, cui lumen deeſt rationis. 2. Reſponſio Anonymi ridicula, non tangit prudentem conſiderationem Procuratoris, hic enim ſic fortiſſimè urget: datô prætensô perpetuô privilegiô Commendandi Abbatiam certam pro Officio e. g. Vicecancellarii, hoc dum per alternatam caderet ſuper Sæcularem, eô ipsô deberet devolvi & Commenda perpetuò annexa eidem Officio vi privilegii; ex quo novum exemplum (ſunt verba Procuratoris) nimis abſurdum in Polonia ſequeretur, quod ſcilicet Equites armati, imò uxorati præficerentur Monachis &c. Eſtò verò aliud ſigillum majus ſeu Cancellariatus in tali caſu eſſet in manu Spiritualis, nihil relevat, quia inter indigentia ſubſidii lego ſupra memoratum Officium Vice-Cancellariatûs, pro quo determinatè

natè perpetua Commenda petebatur. Igitur hôc stante, non è rudi Minerva infert supra dicta Procurator, nec ridenda proponit, sed vera & seria. *Dicit 2. Anonymus: erroneum est Sigillorum ministeria conferri solere primariis Episcopatibus, id enim Statuta Regni vetant. Episcopo Varmiensi, quod nuper collatum sigillum, id factum ex dispensatione Comitiorum.* Cui replico: nonne & alii simul cum Episcopatibus sigilla non tenuere? sic Steph. Wyzga Varmien. Andreas Olszovius Culmen. Denhof Præmislien. Bokum Culmen, Zaluscius Varmien. & plures alii Episcopi. Proindè non erravit Procurator, sed vera dixit. Denique: estò (*ut dicis*) Statuta vetent Collationem Sigillorum Regni Episcopis, facilè tamen dispensati sunt plurimi; ergo potiùs subveniendum est simili dispensatione præfatis Officiis, quæ faciliùs obtineri potest, quàm Commendis Abbatiarum, quibus concedendis fortius Jus resistit. Addo: Si in uno vetita Statutorum attendis Anonyme, cur non in altero? quæ pariter vetant Abbatias conferri & uniri Episcopatibus, ut in Sum. Num. 14. lit. B. quod ipsum Regum diplomata confirmant, ut in Sum: N. 8 lit. B. & num. 45. *Dicit 3. Ministeria dicta non habere reditus stabiles.* Cui replico: sed adsunt præfatis Officiis pingvissima accidentia pro sigillatione, & frequentissimæ largitiones dari solitæ largâ manu, quæ supplent vices, imò superant redituum stabilium; illa, licet non extorqueantur (*ut inquit Anonymus*) tamen generosa ac spontanea liberalitate conferri solent, ita, ut una sigilli appositio, aliquot Centenis aureorum consvetô more, & aliorum exemplo, præmietur. *Dicit 4. quod scribit Procurator illa omnia Officia merè esse Sæcularia, Regno non Ecclesiæ inservientia, crudum est, longè enim magis præfati Officiales Altari serviunt, quàm Abbates Monachi in sylvis degendo, otio & luxui vacando,* Cui replico 1. cruda nominas, quæ vera sunt; nec miror, semper quippè veritas odiosa. Profanis Curiæ curis nomen tribuis obsequiorum Altaris & Ecclesiæ? sed nonnè nescis, non esse miscenda sacra prophanis, non semper ibi Templum est, non semper altare, ubi sæpè dantur offertoria, vix benè conveniunt, servire Aulæ, & servire Ecclesiæ; Nemo suos, (*inquit Martialis l. 9.*) hæc est aulæ natura potentis. Sed Domini mores, Cæsareanus habet. 2. Frusta Anonymꝰ vitam Aulicam præfert vitæ Abbatum & Monachorum, cujus

si vera

si vera essent asserta, alterutrum concludi ex his deberet, nimirum: quod magis expediat ac deceat, aut aulizare Abbates, aut Abbatisare Aulicos; sed nunquid nescit? Regularibus tractanda esse Regularia, non Regalia, jam verò sæcularibus sæcularia? Cura Regularis Curiæ, Aulicis benè congruit, non item Instituto Regalis. Dum Monachis in sylvis degentibus adscribit Anonymus luxum & otium, prodit se esse prorsus otiosum subiectum, nec aliò occupatum labore, quàm ut perstringat Regulares; audiat quid consulat hâc de re Vates, dum inquit: Otia quisquis honesta cupit, discedat ab Aulâ. non miror sic ab Anonymo vocari Regulares, nam (*attestante seneca*) non novum est malis animis omnia in malum vertere, etiam illa quæ sunt optima. Nonne veriùs felix ac beatum otium Monachorum dixisset, qui relegati â Curis & Curiis Aulæ, soliq; Deo vacantes & eô fruentes, tali labore occupantur, cui felix æternitas, non temporaneus Aulæ favor, parat præmia. Cellæ Regularium non longum, nec difficile ad Cælum monstrant iter nam (*ut inquit Doctor Mellifluus de vita solitaria*) a Cella in Cælum sæpe ascenditur, vix autem unquam in infernum descenditur. Iam verò quid de Curialibus censeat, expressit idem S. Doctor Tom: 2. Hom: 4. super Missus est: dum sic inquit: Video alios (quod non sine dolore videri debet) post agressam Christi militiam, rursus sæcularibus implicari negotiis, rursus cupiditatibus terrenis immergi, cum magna cura erigere Palatiorum muros & mores negligere, sub prætextu quoq; Communis utilitatis verba vendere divitibus &c. & contra Imperatoris sui edictum concupiscere aliena, & qui antea vix agniti fuerant, modo Curias frquentantes, Regum notitias, Principumq; familiaritates sectantur &c. quæ legenda svadeo Anonymo. O verè felices sylvas Monachorum! nam ex ijs copiosus Ecclesiæ fructus prodijt in Sanctitate & Justitia, & ubi antea ipsa nonnisi habitabant latrocinia, nunc ibidem ædificatis Cænobijs, soli militatur Deo in solitudine, ac Divorum diu noctuq; implorantur patrocinia; experto crede (inquit idem S. Doctor Tom: 1. Epst. 106. aliquid amplius in sylvis invenies, quam in libris. Adeò, ut quidam Ascetarum copiosos ac optimos fructus vitæ solitariæ perpendens, exclamare debuerit: o Beata solitudo! o sola Beatitudo!

XX. Scribit Procurator contra motivum Commendarum inquiens: si Commendæ prætenduntur ex eo solum, quo sint necessariæ pro subventione aliquorum Episcoporum & trium Officialium Re-

gni

gni, cur hodie procurantur ordinarie ab Aulicis Regiis,qui nec illis Episcopatibus, nec Officiis prædictis sunt adstricti? *Ad quod respondet Anonymus: illos Aulicos esse in gradu ad Episcopatus & ministeria, ad quæ se in Aula disponunt, &c. diciq; etiam nunc possunt Episcopi & Ministri in actu signato &c.* Cui replico: si eos omnes, qui se disponunt adEpiscopatus& Ministeria, dicis esse mi Anonyme præmiandos Commendis, jam non merita, sed dispositio & ambitus prætendet præmia,pluresq; mox numerabimus aspirantes adComendas, quàm dentur grana ex earum reditibus. Præterea: Ministerio in actu signato(*ut dicis*)justumne est coferre in actu exercitio comodum Commendarum?nonnè non satis est, quod merito in actu primo, correspondeat præmium pariter actûs primi? nam variationem & confusionem statûs, non concedunt Philosophi,nec admittunt â statu intentionali, qualis est actus signatus,valere consequentiam ad realem & exercitè talem. Si ille, qui Altari deservit, dignum est (ait Doctor Mellifluus super: ecce nos reliquimus &c. Cap. 7.) de Altari vivat. Ergo â contrario, indignum est, ut qui non Altari servit sed Aulæ, de Altari vivat. Porro: qui in Aula disponunt se(*ut dicis*) ad Episcopatus, modò primùm in dispositione sunt ad serviendum Altari ,ergo &c.

XXI. Scribit Procurator: Agnosci ab ipsis etiamnum Aulicis in subsistentiam motivorum legalium ex parte sui memorialis porrectorum, ideoque omissa via justitiæ, recurrunt ad viam Gratiæ, sub diversis motivis politicis, irrelevantibus in præsenti. *Ad quod respondet Anonymus: redarguit nos Procurator, quod diffidentes illis motivis recurramus ad gratiam,sed ipsemet magis esset redarguendus; an non licet varia tentare media ad finem obtinendum? &: utique melior est favor in Judice, quàm lex in Codice? Ipsum Cælum dicunt Theologi obtineri viâ gratiæ & Justitiæ.* Cui replico 1. non arguit Procurator, sed urget in contra argumentum ad hominem, quod ut tale validissimum est non solùm apud Scholasticos, sed etiam in Jure,hinc non meretur redargui ab Anonymo. 2.Non æquè omnia media conducunt ad omnem finem obtinendum; nam juxta Axioma: media debent proportionari fini, qui, si potest legitimè obtineri per pauciora, ut quid tentatur per plura? Sæpè multiplicatio mediorum, impedimento esse solet obtinendo fini, apud ipsos nec non Medicos, utiq; desperata media, rarô medentur, sæpiùsq; desperatum habent

exitum. 3. De favore Judicis Axioma non favet Anonymo; nam in Judice Justissimo, non habet locum favor & respectus ullus, nisi ille, quô respicitur Justitia ipsa, seclusô intuitu Personarum, Deindè: nonne nescis Actoris Personam repræsentans Anonyme, Regulam Juris XI. in 6. hanc: Cum sunt partium Iura obscura, Reo favendum esse potius quam Actori. Cæterum, ubi lex pro parte Regularium sole clarior est, jam verò pro parte tui asserti nec umbram habet, frustra ad favorem Judicis recurris, dùm lex non favet. Judex, utiq; secundum allegata & probata judicare tenetur sub onere Conscientiæ, si justus etiam coram Deo esse voluerit, apud quem privati respectus & favores, (ad quos plerumq; in orbe recurritur,) locum non habent. 4to: Theologica doctrina de Cælo obtinendo, quam allegat Anonymus, infundatur Arausicano Concilio, quod Canone 18. dicit: debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant. Cui consonat Triden: Ses 6. Cap 8. de justificatione. Hinc vita æterna solùm est, in radice gratia, quatenus gratis datur (cum aliâ viâ obtineri nequeat) prima gratia, quâ ad fidem â Deo vocamur ac ad justificationem & salutem perducimur. Verùm hæc doctrina Theologica nõ quadrat pro præsenti controversia, quod enim potest obtineri, imò debet solâ viâ justitiæ, ut quid recurritur ad viam gratiæ? aliâs, (nota retorsionem) posset recurri ad gratiam, ut id, quod debetur uni viâ justitiæ, estq; illius strictè proprium, obtineatur ab alio, cum primi injuria, viâ gratiæ; adeoq; licitus esset recursus ad favorem & gratiam petendam, pro facienda alteri injustitia, quod nec Theologi svadere, nec ullus bonâ conscientiâ attentare potest. Ex dictis verò manifesta patet disparitas ad præsentem materiam. Præterea: ad obtinendum Cælum, vi præsentis ordinationis utrumq; essentialiter requiritur, scilicet & gratia & justitia; primum ideo: quia nequit aliter obtineri Jus ad Cælum sine prima gratia, quam non posse cadere sub meritum, communis est Theologorum sensus. Secundum ideo: quia Cælum, habet rationem mercedis, porrò ut hæc debeatur ex justitia, ad illam prærequiruntur opera salutaria & meritoria vitæ æternæ. Iam verò ad obtinendas Commendas, frustra recurritur ad gratiam, deficiente favore Juris, imò stanti-

bus

bus tot graviſſimis legibus, ſupra recenſitis, pro iis denegandis. Hìc certè recurrendum de juſtitia eſt ad legem in Codice, non ad favorem in Judice; niſi fortè Anonymus velit præfatô recurſu inclinare Judicem ad favendum ſibi per irrogandam injuriam & grave præjudicium Regularium, quodne utiquam licet, nec decet. Hinc Sacra Congregatio præfatum recurſum ad gratiam, iuſtiſſimè reprobavit 4. Octobris, 1680 dum huic inſtantiæ reſcripſit: non agi de gratia. ſed de mera juſtitia in præſenti Abbatiarum materia, nec motiva ex adverſo porrecta fuiſſe talia, quæ petitam gratiam mereri poſſint.

XXII. Scribit Procurator: Merita Seren. pro tunc Ioannis 3. Regis Poloniæ, licet ſint præſtantiſſima, tamen illa alio tendunt & aliter compenſanda ſunt, quam per ruinam Eccleſiarum Dei, & totalem ſubverſionem Ord. Ciſtercienſis tam antiqui, & tam bene etiam de Eccleſia, Regnoq;Poloniæ meriti, nec præmiari poſſunt eo modo, qui eſt contra omnia juſtitiæ & æquiatis dictamina &c: *ad quod Ruſpondet Anonymus* 1. *Commendas non ceſſuras in ruinam, ſed in majorem utilitatem Monaſteriorum.* Sed replico: ſi Commendæ utilitatem Monaſteriorum reſpicerent, ut quid talem reſiſtentiam Juris contra ſe haberent? ut quid damnarentur â Concilijs & Sede Apoſtolica? potiùs his credendum, quàm uni Anonymo, qui ſuum nonniſi utile quærit, per incommoda & damna Monâſteriorum tàm in Spiritualibus quàm in temporalibus, de quibus ſuô locô infra dicetur. *Dicit* 2. *hic Ordo fuit quondam benèmeritus &c. ſed poſtea maximè demeruit per recalcitrationem contra ipſam Majeſtatem &c.* Cui replico: de merita confingit Anonymus, ſed immeritò; imò dum injuſtè culpam toti Ordini inculcat, ſuam conſcientiam graviter culpabilem coram Deo reddit, coram quo Regulares proteſtantur de evidenti ſua calumnia; demeritumnè baptizari debet, dum quis tuetur Jura propria, ad quæ tuenda tenetur ſub onere coſcientiæ? ſi defenſio Juris proprij rea eſſe dicitur criminis, quid dicet Anonymus de violenta impugnatione Juris Regularium? Primum, licitum eſſe, & abſq; minimæ culpæ nota, debitum, pleni legum teſtantur Codices. Secundum: quod ſolus defendit Anonymus, omnes Canones, nec licere nec decere dicunt. Ut quid igitur ſolus Anonymus contra totum Ordinem inordinatè invehitur? in negotij cujusvis ordinato proceſſu, expectanda utiq; Judi-

cis

cis ſententia, Anonymus verò ſuam præmittit, ut quantotius ſenſum doloris imprimat Regularibus, eò graviorem, quò magis, Juſtitiæ & veritati rapugnantem, tàm voce quàm ſcriptis, publicè lædendo & illudendo Ordini. Cur recalcitrantes Majeſtati vocas eos? qui pro Regnantium vita incolumi, & proſpero Regni ſucceſſu, Superumq; favoribus impetrandis, diu noctuq; exoratores agunt, Divinam implorantes Majeſtatem, pro Regia; juſtiùs recalcitrare Anonymus dicendus, quia contra ſtymulum legum Canonicarum alios concitando, calcare audet Juſtitiam & æquitatem, non tantum Jura Regularium, tot Regni Statutis & Regum Poloniæ Privilegiis roborata &c. ſed etiam tot Religionum bonum nomen publicè proſtituendo, cum graviſſima earundem famæ læſione, & (quod cardo rei eſt) cum ſua non poſtrema infamia. Vide mi Anonyme, quô te ducit paſſio, ita Majeſtatem defende, ut Prædeceſſores ejus non inpugnes, ita defenſorem age Jurium Majeſtatis, ut Deum & tuam non offendas conſcientiam; demerita toti Ordini dum immeritò adſcribis, vide & vita, ne de libro & ſerie ſalvandorum â Deo proſcribaris. *Dicit 3. Seren: Rex nihil novi petit, ſed Anteceſſorum inhærens veſtigiis, deſiderat penes id conſervari, quod ejus Anteceſſores pacificè poſſidebant.* Quod ſic replico: Cur Anonyme primorum Fundatorum veſtigia, quibus omnes abſoluti olim Reges Poloniæ inceſſerunt, non attendis? Cur tot Anteceſſorum Regum Poloniæ diplomata docentia oppoſitum non conſideras? cur denique diſpoſitionem Juris communis, Decreta Summorum Pontificum, Synodales Conſtitutiones, item Regni Poloniæ Statuta, & alia plurima tuis dictis contraria, ralata Art. 4. & 5. nec ſolus audis, nec ab aliis obſervari cupis? novum eſſet id petere, quod repugnat antiquo Juri Regularium; ſed crede mi Anonyme, ſi tu novitates promovere & introducere deſines, Reges nihil novi petent, nec penes id conſervari prætendent, quod ſciunt nunquam ſibi legitimè competere, & quod nonniſi ad importunam inſtantiam ambitionis promoventis violenter intereſſe cupiditatis ſuæ attentari norunt; & ideo, ne indè plurima naſcantur inconvenientia, poteſtate ſuprema decreverunt, pro ſubreptitio debere haberi, ſi quid in poſterum ex Cancellaria Regni, præjudicio-

ſum

sum JuribusRegularium ac liberæ AbbatumElectioni emanaret. Recole, quod supra in Singulari 8. pag. 67. de prisca facie Capitulorum eligentium Abbates suos retuleris? igitur palam est etiam ex tuis scriptis, quod ea, quæ hìc dicis, nova sint, ad illa dum Majestatem ducis invitam, eô ipsô vis eam â Justitia declinare, ac ire quâ Jura vatant. Eundem potiùs moribus antiquis, id enim rectitudo & æquitas poscit, nam vestigia, quæ imprimitRegularium Juris depressio, nec tutè nec rectè ducunt. *Dicit* 4. *Videmus in aliis Regnis pro similibus meritis simles elargiri solitas gratias &c.* Cui replico: In conferendis gratiis, Collator qui liber est, frustra cogitur exemplo aliorum ad præstanda similia, maximè dum fortè advertit non omnia esse paria, & similitudinem omninò semper claudicare. Altissimo Judicio Sedis Supremæ, ad quam hæc de Jure spectant, relinquendum id, illa distinctiùs judicare poterit, quid in præsenti materia sit è re & commodo melius tàm Ecclesiæ, quàm Religionum, & quid æquitas postulet ac Justitia? nihilominus sciat Anonymus quod petitio quævis gratiarum moderanda sit æquitate.

XXIII. Scribit Procurator: non esse desudandum pro insubsistentia motivi, quod ex adverso eam necessitatem repræsentat Commendarum, ut scilicet novæ fundationes ex illarum proventibus consurgant. *Ad quod Respondet Anonymus: vel unicum istud motivum certè est sufficiens, circa quod Procurator sudabit & algebit, nunquam tamen illud refutabit.* &c. Cui replico 1. Iam pridem magna desudarunt ingenia, & concluserunt unanimiter, non esse facienda uni mala, ut eveniant bona alteri. 2. Ex mente & consilio Anonymi, destruendæ forent antiquæ & meritissimæ in Ecclesia Religiones, ut novæ & incognitæ fundari possint, quod fieri nequit, cum non liceat, nec deceat, unumAltare discooperire, ut operiatur aliud, juxta Selva de Benefi: quæ 8. part: 3. Num. 14. in fine Rota. Decis: 82. Num: 9 par. 11. T. q. Pius IV. de An. 1563. prohibuit fructus Monasteriorum Cistercien. quibuscunq; etiam piis locis applicari quacunq; ex causa, etiam honesta, urgenti & necessaria, ad quorumvis, etiam Imperatoris, Regum, Reginarum &c. instantiam. ut in Sum: Num: 47. Prætetea: si bono unius Religionis fundandæ, vult providere Anonymus, id sine injuria & malo alterius faciendum esse, docet Justitia, aliàs

(*nota retrorsionem*) possent licitè fundari novæ Religiones ex alieno accepto, & dari eleemosinæ ex rapina, nec exempla ex S. Scriptura quæ trahit in suam sententiam Anonymus, quidquam probant contra Jura Regularium. Non primum de Patre familias Evangelico, quia is, ut Dominus proprietarius, vetus horreum licitè destruit, cum sit suum proprium, ut sibi novum melius ædificet, Colonos malos, benè ac meritò perdit, & vineam quam habet suam, locat aliis, non alienam, aufert à servo desidioso, & dat eam diligenti, idque solùm, aut, ut mercenario, vel ad usumfructum, vel ad custodiam, aut certè donat, ut suam, cum omni prorsus Dominio. Secus in præsenti materia dicendum. Non secundum, de Christo, nam ille dum minatur Regnum Dei auferendum à Principibus Sacerdotum (*ut Matt.* 21 ℣. 43. *patet*) & promittit daturum se genti facienti fructus ejus, non facit utique injuriam, quia ad Regnum Dei obtinendum, siquidem requiritur etiam cooperatio ex parte hominis, hæc si desit, sibi imputare debet non cooperans, quod illud non possederit &c. T. q. Cornelius à Lapide hic, per Regnum Dei intelligit Ecclesiam, quæ transferenda erat à Judæis, eò, quod ii Christum docentem repulerint, gentes verò susceperint. T. q. justiùs contra Commendas non facientes ullos fructus Monasteriis, hic Scripturæ textus retorqueri deberet, utpotè per quas obtineri solet considerabilis pars proventuum, sine ulla obligatione vitæ Religiosæ & ordinarie absque emolumento Monasteriorum; porrò (*ut S. Bernardus in Epist.* 258. *scribit*) occupare locum, & non facere fructum, nec loco expedit, nec occupantes decet &c. Non tertium, de Vicariis Christi, qui aliquas Religiones suppresserunt, nam illos id fecisse supponendum est, ex gravissimis ac urgentissimis motivis, & ex speciali instinctu Numinis, quæ in præsenti non adsunt, nisi unicum (quod seriò urget & optat Anonymus) commodum Commendarum omni Jure vetitarum, ut supra probatum.

XXIV. Scribit Procurator: Reformationes Monasteriorum (si fortè alicubi earum est indigentia) per Commendatarios Abbates non posse fieri. *Ad quod respondet Anonymus negativè, dicitque: multomelius gubernare posse, si habeant jurisdictionem in Spiritualibus, quàm Regulares.* Sed replico: possentne disciplinam docere, qui nun-

nunquam ſub Regulari diſciplina fuere ? & eſſe Magiſtri, qui diſcipulos non egerunt, & vix aliquando ad Monaſteria, impedientibus aliis curis, declinâre valent ? Quis quæſo concrederet Commendam Vexilli vel Regimenti illi, qui nunquam martem novit, nec arti ſtuduit militari ? Sic conſulere Regimini Monaſteriorum, eſſet conſulere, ut omninò tam in temporalibus, quàm in Spiritualibus deſtruantur. Hinc jure merito inquit in ſuis ſcriptis Procurator, & fundamentaliter probat : quod Commendas permittere, eſt deſtruere Religiones, quas gloriæ ædificaſſe fuit. *Dicit in contra Anonymus, & quaſi pro fundamento ſui aſſerti laudat præclaram & generoſam indolem ad regimen Regularium idoneam, eorum quibus Commendæ conceduntur.* Cui repono: hæc indoles & idoneitas, Monachorum conſiderationi in eligendis Abbatibus relinquenda eſt, nam ad eos de Jure ſpectat, ut talem eligant, quem ſperant & præeſſe poſſe & prodeſſe, ac cujus nō ſolùm reverentiâ & adhortationibus (quod unicum attendit Anonymus.) impellantur ad egregia facinora, verùm etiam exemplaritate & charitate (ut Regula uniuscujusq; Ordinis jubet) incitentur ad perfectionem, & ad ſupportandum in Religione cum omni alacritate ſuave jugum Chriſti, cui ſe liberè ſubdiderunt. *Exemplum adductum ab Anonymo, utilis gubernii in Spiritualibus, quod provenîſſe dicit Monaſterio Mogilnicenſi Ord. S. Benedicti ab Abbate olim Commendatario* ſi ita ſe res de facto habuit, ſicut laudabile, ita rarum in Polonia eſt; mirabilia (*ut dicis*) pro reformatione & Regulari obſervantia præfati Monaſterii acta protunc fuiſſe; quis non miretur ? verè ſtupenda refers, mirum quippè eſt fuiſſe bonum Magiſtrum; qui nunquam fuit diſcipulus ? verùm miror magis cur Anonymus prætermiſerit hic remonſtrare pro exemplo aliorum, quidnam utilitatis eô tempore etiam in temporalibus acceſſerit præfato Monaſterio, nam hactenus poſt Commendas necdum è ruderibus ſurrexiſſe cuivis notum eſt. Mirabilium pro Monachorum reformatione illa actuum exſtat indicium admirabile vetuſtiſſima Eccleſiæ Monaſterij, omni decore & reſtauratione deſtituta, ac collapſâ penitùs Abbatia. Super talia exempla mirabilia attoniti hærent Monachi, curam in reformandis ſuis Monaſteriis ſcientes de Jure ſpectare ex vi Officii ad uniuscujusque Ordinis Superiores &

Com-

Commissarios Generales, commodiusque ab eis præstari posse, quàm à distractis publicorum negotiorum mole Commendatariis, qui privata negligere, curis Curiæ incumbentes, deserere domesticas, Aulæ inserviendo consumi, & penè extra se vivere sunt adstricti; utor verbis Singularii in Singulari 23. pag: 97. ad finem & sequen. recensitis. De altero exemplo Commendatarii Paradisiensis oppositum dictis Anonymi lego in processu Romano, quem præfatum Monasterium inhoare debuit ratione non satisfactionis conditionibus, Bullarum & retentionis per 10, Annos quartæ partis pro fabrica Ecclesiæ, de Jure debitæ.

XXV. Scribit Procurator: nihil relevare, quod aliqua Monasteria fuerint aliquando commendata; quia (inquit) ex multiplicitate absurdi non tollitur absurdum, porro hoc quantum fieri potest e. vitandum, non multiplicandum. *Ad quod respondet Anonymus: quid absurdius dici poterat, quam Vicarios Christi arguere absurdorum Commissorum?* Cui replico: Malè intelligis, & pejùs interpretaris Anonyme Procuratoris dicta? quis Summo Pontifici adscribat absurdum exindè, quod ex Commendis Poloniæ ordinariè sequantur absurda? nunquam certè hoc fine in Urbe Commendæ permittuntur; quia tamen ex iis præter intentionem Sedis Apostolicæ, præjudicia notissima tàm in Spiritualibus quàm in temporalibus plerumq; emergunt, ideo Procurator â posteriori, ex malo effectu illarum, dicit non debere permitti causam mali; cum enim ex una parte certum sit ab antecedenti, plurima mala originem traxisse ex Commendis, quæ latè enumerat Tridentinum, & tot Summorum Pontificum Edicta; ex altera item parte, valdè dubium est bonum, quod ex eis speratur vel promittitur, potiùs certa mala vitanda, quàm bona incerta fundata in sola spe fallibili, optanda svadet Procurator, ob idq; non esse concedendas Commendas dicit, & rationem dat: quia aliàs ex multiplicitate absurdi, nequit tolli absurdum; id est: ex multiplicitate causæ certi incommodi & damni, quod solent causare Commendæ Monasteriis, non tollerentur, sed multiplicarentur procertò incommoda.

XXVI. Scribit Procurator: posse Summum Pontificem absoluta potestate dispensare in concessione Commendarum, nemo est qui dubitet; necesse nihilominus habet, ut in ea exercenda ad tria respiciat

scilicet

scilicet: an liceat, secundum æquitatem, an deceat secundum honesta tem, tandem an expediat secundum necessitatem vel utilitatem. *Ad quod respondet Anonymus: hæc ipsa esse fundamenta & motiva, quibus & Summ: Pontifices concedendo Commendas insistebant, & Reges Nostri insistunt &c. unde præcisis etiam aliis motivis, illa ipsa æquitas, honestas, necessitas & utilitas ex Commendis provenientia, essent sufficientia motiva ad eas concedendas.* Cui replico: Quæ motiva in ante fuerint Commendarum licet rariùs in Polonia concessarum, examinare hìc superfluum, sufficit quod Procurator ab experientia præteritorum malorum, vitanda svadet futura, dum ab effectu demonstrat non adesse enumerata motiva pro concedendis in posterum Commendis in Polonia, imò adesse alia innumera supra recensita, & sequenti articulo specialiùs recensenda pro iis denegandis, prout pluries S. Congregatio Commendas hujusmodi denegavit, ne ex præcedentibus tantis earum malis, resultarent futura Monasteriis.

XXVII. Adducit Procurator: exemplum S. Ludovici exhorrentis ad Privilegium sibi oblatum ab Alexandro IV. nominandi ad Abbatias Monasteriorum, asserentisq; non posse se illud suscipere absqs periculo animæ & Regni. *Ad quod respondet Anonymus: id non mirum esse illo sæculo, quô vitâ functus erat S. Bernardus Instaurator Cisterciensis, dum illius Ordinis fervebant initia, quibus tamen non obstantibus Pontifex præfatus Vir piissimus ac Religionibus faventissimus, privilegium illud ultra obtulit S. Ludovico Regi, tùm ob merita illius, tùm quod id magis expedire in Domino judicasset, non satis forsan probans otiosam in Sylvis Cisterciensium vitam. Idem Pontifex Eremitarum S. Augustini Ordinem ipsius monitu ex Eremo ad Urbes transtulit, ut & ipsi verbo & exemplo, & Confessionibus audiendis animas juvarent. Eodem motivô plurimos ex Religiosis Episcopos & Cardinales creavit, uti Chronica illius temporis testantur.* Cui replico: 1. Anonymus nec admiranda vult mirari, nec imitanda Sanctorum exempla sectari, ac proindè dicit id esse non mirum; sed nonnè justam admirationem non meretur S. Ludovici Regis Heroica & ultroneè facta renuntiatio Juri sibi â Pontifice oblato, quod Jus neq; ipsemet ambiebat, nec ab aliis, ut usurparet titulo vel fundationis, vel dotationis stimulabatur; Desideras mi Anonyme rationē curS. Rex ille oblatô sibi Jure non usus? respondeo: quia illô sæculô nō invaluit tanta in hominibus honorum cupiditas & ambitio, Cle-

rus suæ attendebat Ecclesiæ non Palatijs, major fuit in Ecclesiasticis Animarum Zelus, quàm redituum, non otio, sed lucrisSpiritualibus intentiùs insudabatur, in prædicando,Cathechisando, verbo & exemplo ad fidem inducendo, nemo aliena, imo nec sua sollicitè quærebat, sed tantum Dei gloriam, suam & proximorum salutem,non ambiebantur dignitates et luxus, fastus exulabat â mentibus, hinc exclusis Monasteriorum Commendis suô quisq; contentus erat. Cur vero idem S. exhorruerit oblatam sibi gratiam ? ipsamet illius verba declarant, dum respondit; *non posse se præfatam gratiam suscipere absq; periculo animæ &Regni.* Ex quo signanter nota Anonyme & disce: quod si suprema & absoluta potestate ultrò dispensante gratias, adhuc habet timorata Conscientia, quid metuat ? quid si importunè, exquisitis modis instet si omnem lapidem moveat, si deniq;cuncta per vim tentet aliorum ambitio,ut invitum Pontificem inducat ad præstandam sibi gratiam cum gravi præjudicio & damno Regularium, volens cupiditati suæ in obtinenda pluralitate Beneficiorum satis fieri ? quid inquam dicendum ? nonnè non magis exhorrescere deberet, taliter extortâ aut permissâ sibi gratiâ ? non enim omne quod permittitur, approbatur. 2. Non descendo in examen motivorum, quæ protunc fuerint Pontifici ad eam gratiam ultrò offerendam S. Ludovico, verùm tamen falsum suppositum nego Anonymi, qui supponit Cistercienses tàm protunc, quàm nunc otiosam in sylvis vitam agere; jam id refutavi superiùs Num. 19. replicando Anonymi dictum ibidem 4tum. Hic addo una quæq; Religio viuens juxta sua Instituta â SummisPontificibus approbata, quarum aliquæ magis sunt adstrictæ ad vitam activam, aliquæ magis ad contemplativam, aliquæ ex utroq; participant, possuntne dici , otiosam ducere vitam? potestne tempus impendi meliùs & fructuosiùs, quàm muniis unicuiq; Religioni propriis? SiReligosæ vitæ cursum,ex eo quod non quærat curam Curiæ, aliarumq; rerum terrenarum, otiosum dixeris ? fallaris, nonne homo quivis non adhunc finem & opus creatus, ut totâ vitâ suâ laudet Deum, revereatur, eidemq; serviat, ac tandem salvus fiat ? quantò igitur magis, Religiosus liber est â suis terrenis, tantò commodiùs curat Cœlestia, impendendo se

do ſeſe tota mente & integro corde obſequio & amori Dei, tantò expeditiùs vacat Spiritualibus, tantò ferventiùs & devotiùs orat, eóq; magis Animæ ſuæ ſaluti providet, ad quam conſequendam plurima unaquæq; Religio habet efficaciſſima media, ita, ut hominem ferè cogant eſſe bonum, qualia ſunt: vota tria Religioſa & Regulæ ſalutares, cura continua & vigilantia Superiorum, aſſidua Sacramentorum frequentatio, ſilentium certis horis ſtrictiſſimum, adhortationes publicæ & privatæ Capitulares, aliorum Sanctè viventium viva exempla, pia lectio librorum Spiritualium, & quotidiana meditatio, examina Conſcientiæ, inſtructiones Patrum, devotio in Choro diu noctuq; ad laudem Dei & ædificationem proximi ritè diſpoſita, uſus operum pænitentiæ & mortificationis tàm internæ quàm externæ, vigiliæ, abſtinentiæ, diſciplinæ, colloquia Religioſa, correctio erratorum, exercitium virtutum &c &c. His ſedulò intentum Religioſum, otioſumne dixeris? ſi otioſa eſſet dicenda vita Monachorum, nunquam illam approbaſſent Pontifices, nunquam Mellifluus Doctor Bernardus in laudem Religionum excurriſſet, cum tamen de bono Religionis in ſuis operibus ſic dicat: In Religione homo vivit purius, cadit rarius, ſurgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quieſcit ſecurius, moritur confidentius, purgatur citius, remuneratur copioſius, vivit purius. En quanta bona Religioſa vita (*quã Anonymus otioſã vocat*) numeret! 3. Quod alii Ordines, ex Eremis & ſolitudinibus tranſlati ſint ad urbes, verũ eſt; ſed nonne etiã extra muros urbiũ eô tutiùs laborari nequit, pro ſalute tã ſuæ quã proximi animæ, quô magis abeſt periculorum frequentia, adeſt verò occaſionũ offenſæ fuga? Dicit alicubi Th. â kempis. quoties inter homines fui, minor homo redii. Novi plurimas Religiones remotas ab Urbium turbis, quæ eſtô vi ſui Inſtituti ad ſolam vitam Contemplativam ſint adſtrictæ, nihilominus ordinariè Concionibus publicis, tàm apud ſe, quàm in urbibus, & Confeſsionibus pænitentium audiendis juvant Animas, verbo docentes & exemplo. 4. Ex Religioſis plurimos Epiſcopos & Cardinales, imò etiam Summos Pontifices creatos fuiſſe, alios verò longe plures oblata ſimilia repudiaſſe, certum eſt, ut ipſe atteſtatur Anonymus; ex quo quæro: cur igitur, ſi otioſi ſunt Regulares, tantum Honoris præmium

aſſe-

assecuti ? quis otiosa subjecta præminanda dixerit ? contra te dicis Anonyme, nam si tantis admotos esse fastigiis Religiosos celebras, eô ipsô fateri vel invitus debes, non deesse Regularibus meritorum suffragia: Nunquam Sedes Apostolica Religiosos Ordines tot ditasset privilegiis, tot insignivisset honoribus, pro otio, quod illis adscribis ; Summi Pontifices dum decorarunt inter alias prærogativas etiam Infulis prima Monasteriorum Cisterciensium Capita , & eisdem Pontificalium usum concesserunt, nonne non satis evidens testimonium est, merita illorum erga S. RomanamEcclesiam, & labores pro S Sede Apostolica his præmiis coronari? jam verò Anonymus infensus Regularibus, omnes otiosos esse putat, præter illos, qui una cum eo Aulæ curis occupantur.

XXVIII. Scribit Procurator: **Cistercienses non tam propria quam Apostolicæ Sedis Iura & Authoritatem , Ecclesiasticamq; libertatem, non sine gravibus molestiis defendisse & defendere, ideoque suæ instantiæ in Romana Curia annuendum sperant.** *Ad quod respondet Anonymus 1. Nec Sedis Apostolicæ, nec Religionis Jura, sed suum ambitum, pauci, fastuosi Religiosi defendunt, ut amotisCommendis, ipsi se in Abbates creari procurent.* Cui replico: contra solem loqueris, dum id negas Anonyme, scis utiq; Commendas è Polonia Jure communi & particulari Regno excludi, Electionem verò Abbatum Regularium Monachis omni Jure deberi, circa cujus conservationem sese opponunt Regulares , Justitiam & æquitatem unicè postulantes: Sed Anonymus hanc veritatem negat , mavultq; subscribere ipsissimæ falsitati inquiens : *Ambitum & fastum defendi à Monachis*, cui replico : 1. Mi Anonyme , calcas Platonis fastum majore fastu. 2. quæro : habetne ambitio locum in Capitulis, gaudetne saltim passiva voce in Electione Canonica ? quis è numero eligentium ambitum probet , & calculis eligat ? quis fastum ad fasces Abbatiales evehat ? ambitum & fastum abbatizare, nec conscientia permittit, nec recta svadet ratio, quia aliàs præmiarentur reprobanda , vitia in altum surgerent, ut calu graviore ruant. Non ambitum, non fastum defendunt Regulares, sed Justitiam. verùm: nonne veriùs retorqueri posset contra Anonymum ? quod scilicet ille, non Majestatis Jura (de his enim hactenus non constat) non publicum bonum, sed suum & sibi similium ambitum perti-

pertinaciter promoveat, cum gravi iniuria & læsione Regularium, Juris Communis violatione, Sedis Apostolicæ perturbatione, Ecclesiasticæ libertatis depressione, suæ deniq; conscientiæ magna ruina &c. *Dicit 2. defendunt Regulares Privilegia Defunctorū Pontificum, at viventium restringunt potestatem, & ferè Claves eis eripiunt, dum eos non posse, nec debere contrarium facere conclamant &c.* Cui replico: 1. Scis Anonyme omnes Regulares Poloniæ esse sub immediata protectione Sedis Apostolicæ, igitur quid culpæ redarguis? dum suorum Antecessorum vestigiis, ad eandem Sedem opem implorantes, contra sibi adversos, confugiunt, illi tàm Defunctorum Pontificum Authoritatem, quàm viventium Supremam & absolutam Potestatem recognoscentes, debitè venerari norunt, & quamvis â nemine restringi eam posse, omnes teneant, nihilominus Juris Utriusq; Doctores & cuncti Canonistæ, uno ore & sensu docent; Iustissimum Principem illa non uti, sine causa legitima, quæ in præsenti non adest. Igitur mi Anonyme, ita absolutam Pontificum Potestatem respice, ut simul Regulas æquitatis, & tria illa ad considerandum olim Eugenio Papæ â S. Bernardo proposita, supra relata, non despicias, non enim (ut inquit etiam Doctor gentium) omnia quæ licent expediunt. 2. Vide, quid agas Anonyme? dicis Religiosos restringere absolutam potestatem Summi Pontificis, sed non probas, aliàs idem omnibus Juris Doctoribus appingere debuisses, qui unanimiter concludunt, præfatam potestatem, ea solùm, quæ Justa sunt, legitimè concedere posse. Nonne tu potiùs majori cum violentia eam non restringis? dum ad ea præstanda necessitas, quæ Jura præstare vetant, & putas deberi tibi omnino gratiam; quam ita pertinaciter postulas, ut veriùs extorquere eam videaris. Sed vide (iterum dico) quid agas Anonyme? si nefas est necessitare quempiam ad iniuriam causandam alteri? si injustum prorsus, Ecclesiasticæ libertati parare vincula? quantum injurium te esse exhibes, qui ad utrumq; necessitare cupis? 3. Claves Vicariis Christi datas esse â Christo, nemo ambigit, sed Anonymus perperam putat, ad id solùm claves præ manibus esse Petri Successorum, ut ad Clavum regiminis Monasteriorum, portam patentem Commendis faciant. Erras graviter Anonyme, nonne nescis Clavium manus esse, claudere sæpiùs, raro aperire

rire, maximè in clauſtris Regularium, inquibus Clauſuram patere Commendis prohibet Tridentinum & alia plurima ſupra dicta. Igitur fruſtra conclamas eripi â Regularibus Claves Pontificias, ſolùm enim petunt, ut iis ſuprema Sedis Apoſtolicæ poteſtas ſæcularibus claudat Oſtia ad Regularia Beneficia, præcludatq; viam adCommendas omni Jure vetitas. PoloniæRegulares ideò ſub tutelam Petri Clavium confugiunt, nam hoc ſub præſidio, tutiſſimè Jura ſua repoſita, Authoritate Apoſtolicâ fore firmanda concludunt, circa Electiones Canonicas ſuorum Abbatum pacificè conſervari debitâ cum inſtantia poſtulantes, ac enixiſſimè petentes, ut per SS. D. Noſtrum& EE. PP. diſpoſitioni Juris & piæ intentioni ſuorum Prædeceſſorum ſe conformando, conſulatur opportunô remediô indemnitati, liberarum Electionum Regularium, ſub protectione S. Sedis Apoſtolicæ receptarum, & unicè viventium, quô mediante, in poſterum cunctis violentis attentatis, & prætenſis Anonymi conatibus non pateat ullus prorſus aditus.

ARTICULUS X.

Proponuntur ſpecialia motiva, Commendas in Polonia diſſvadentia.

HUic Articulo *occaſionem dedit Anonymus*, qui in ſuis Novis Polonicis § 13. fol. 55. *Ideo motum contra Abbates Regulares Poloniæ excitavit, datis à ſe quibuſdam motivis, ut eô aſtu, poſſet commodiùs in Monaſteria Commendas introducere. Illa fusè refutare ſuperfluum judicavi, ne crambè repeterem; Nihil enim novi praeferunt, quàm quæ iam ſupra dixerat Scommatizans more ſolitô Regulares, Singularius. Igitur* 1. *motivum illius, fundatum in iniqua criſi (cui conſvetum eſt, pingere candida de nigris, & de candentibus atra) Abbatum Regularium & Monachorum, perſtringente graviter famam eorum, ſic breviter refuto*: ſcommata & calumniæ, quas coacervaſti contra Regula-

gulres Anonyme, dant quidem ansam verioris & optimi argumenti ad hominem, in ipsum Authorem earum retorquendi; sed quia Doctor Gentium malum pro malo nulli jubet reddere, imò ad Rom: 12. sæpiùs ingeminat: benedicite persequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere. Cui consonat Mellifluus Doctor Tom: 5. lib. ad sor. de modo benè vivendi Cap. 33 inquiens: abscinde a lingva tua (*pariter & à calamo*) vitium detrahendi, alienam vitam non rodas, vitam alienam non laceres, quod in aliis repræhendis, in te emendas si vis detrahere, tuis peccatis detrahe, nunquam aliis detrahas, nec detrahentes audias, pari enim reatu detrahentes & audientes tenentur &c. *Ideò præfatis prohibitionibus (pro meliori exemplo dando Anonymo, si nolit manere Æthiops impotens mutare pellem suam, aut pardus varietates suas) morem gerendo, applico nonnisi contra hoc motivum supradicta, in responsione ad singulare* 29. *Contra II. verò, relegenda responsio ad singulare* 21. *Contra III. remitto ad responsionem Singularis* 22. *Et præterea: ut opposita penes se posita magis elucescant, præfatis Anonymi* 3 *motivis, oppono alia, Commendas in Polonia dissvadentia.*

Primum Motivum sit: *malum initium Commendarum in Polonia;*

Quarum ut prima radix deprehendatur, ad fontem fundationum recurrendũ est. Postquam *Miecislaus I. Princeps Poloniæ*, *Fidei supernaturali lumine illustratus, abstersit Sacrô fonte Baptismatis caliginem errorum Gentilium, lucem insimul oculorum recepit, quos per septennium ante Baptismum, natura visu privaverat, factusq; optimè videns, dum vivere cæpisset Christianè. Hic Religiosissimus Princeps, nec Regno malè prospexit, cum fictiles ex eo ejecit Deos, ut tota Polonia unum nonnisi Deum coleret; Eumq; in finem Primus, plures erexit Ecclesias & dotavit ut suamet adhuc pupillâ cernere posset per omnes Dominii sui Provincias Religionem Romanô Catholicam latissimè propagatam; Archiepiscopatus duos, Episcopatus septem, liberali Ære & zelo fundavit, præterea plurimorum Monasteriorum posuit fundamenta, ad quæ varia Instituta Regularium munificâ*

manu

manu introduxit, ut eâ varietate Religiosorum Ordinum, reddidisset Regnum suum Religiosius, imò ut Poloniam in Polum ipsum transformasset, diu noctuq; laudes Divinas personantem. Tali Miecislai primò fervore Successores ejus Principes Poloniæ accensi ad dilatandum Cultum Divinum, alios Episcopatus ac Regularium Ecclesias fundare & dotare cœperunt: Postmodum verò ipsi etiam Episcopi, & pleriq; Regni Proceres, Regnantium suorum ad exemplum compositi, maximam felicitatem suam forê reputabant, si de suis propriis reditibus quampiam Regularibus, fundassent Ecclesiam, sperantes pro terrenis Cœlestia, pro transitoriis procurantes sibi æterna &c. Ita, adolescente in Polonia Fide, crescebat pro tunc pietas & Charitas Benefactorum, assurgebant in dies Ecclesiæ, augebatur Clerus, multiplicabantur Religionum Cœtus, ac Religiosorum numerus laudantium Deum, & pro Benefactoribus suis Divinam Maiestatem exorantium. Nemo pro tunc invidebat majorem dotem uni Ecclesiæ collatam, præ altera: Nemo appetere id ausus, quod spectabat de Jure ad alios, sua quisq; sorte contentus vivebat, ideoq; de pluralitate Beneficiorum, nec mentio ulla nec mens ulliûs fuerat, nullus erat Commendarum usus, ne quidem per primam apprehensionem ad Beneficia Regularia aspirabant Sæculares: Nunc verò (*O mira metamorphosis!*) passim in alienas donationes invaditur, longè majore avaritiæ rapacitatisq; infamiâ (inculat suorum temporum mala Cromerus lib. 2. de Repub. & Magistr. Polon. fol. 108.) quàm egestatis relevatione, atq; id tentatur, proh nefas &c. o tempora! o mores! *Præfatis malis obviare volens Concil. Triden. Ses. 24. Cap. 17. de refor. reprobavit eos, qui improbæ cupiditatis affectu, seipsos non Deum decipientes, eaquæ benè constituta sunt, varijs artibus eludere, & plura simul Beneficia obtinere non erubescunt, ac mandavit, ut nemini, etiamsi Cardinalatûs honore fulgeat, plura Beneficia Ecclesiastica conferantur, d. Decretum non modo ad Cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia tàm sæcularia quàm Regularia Beneficia extendens & observare præcipiens. Quamprimùm item ad Abbatias Poloniæ tentarunt Commendæ aditum, mox An:* 1551. *restitit Synodus Provincialis eas appetentibus,* ut in Sum: Num: 6. *& Anno immediatè sequenti Julius III. coercuit impedientes Regularium Canonicas Electiones, Brevi suô datô in favorem Cistereiensium Poloniæ* ut in Sum: Num: 7. *Anno item* 1554. *Sigismundus Augustus Rex Poloniæ contra impedimenta Commendarum, tunc exordientium, antiquam consvetudinem Electionum pro Ord: Cisterciensi specialiter confirmavit,* ut

in Sum: Num: 9. *Ac tandem An.* 1577. *Synodus decrevit, quod si quis perversa cupiditate impulsus, cuiusvis potestatis prætextu, in Monasteria eorumq; Bona sese intruserit, is ultra pœnas in S. Canonibus Sancitas, pro violatore Juris & libertatis Ecclesiasticæ habeatur* ut in Sum. Num. 10. *Ex dictis verò patet primarium motivum excludendarum Commendarum è Polonia, cum eas originativè perversa* (verbis Synodi utor) *cupiditas & ambitio introduxerit.* Lege huc spectantia plura Articulo II.

Secundum Motivũ est: *Quia Comendarum præfata mala initia, consequitur pessimus finis.* *Hinc Viri* DD. *& Canonum peritissimi, uniformiter docent, Comendas comitari pericula salutis æternæ. Ex iis aliquos recenseo. Iacobus Horstius S. Theol. Licent. & B. M. V. in Pasculo Colon. Pastor,* in Annot. superOpera S. Bernardi fol. 23. tit. de Commendis, sic Comendatarios præmonet: Vos jam compello, Vos præmonere est animus, quibus in Commendis comedendis fallax fortè blanditur securitas, aut quos falsa tenet persvasio;certè peccata populi comeditis populi inquam fidelis, & olim tàm in Monasteria & loca Sacra benefici ac liberalis,ut peccata sua eleemosynis pauperum redimerent. Cavete ne avidô nimium ventre hunc cibum copiosiùs ingeratis, durus quippè ad concoquendum est, imò noxius & pestilens, ubi intemperanter & ultra vires, ac stomachi facultatem ingestus fuerit, ut potè qui strangulat, & calorem obruit, ac suffocat, non sine præsentissimo vitæ, id est æternæ salutis discrimine. *Et Paulò infra:* quis vester in me, dum hæc â me scripta legitis, sit animus? nescio; ut de meo in vos constet, sic habete: tam malè me erga vos affectum esse, ut meum pro vobis sangvinem dare paratus sim, siquidem saluti vestræ scirem profuturum ; sed nolite quæso irasci verè & sincerè monenti, periculosum prorsus est, quod hactenus agitis; non ego, dicunt & docent omnes, quibus curæ est, vera potiùs, quàm fallacia, & salutaria magis quàm svavia loqui, qui

Deum potius quàm homines respiciunt, & timent. At qui loquuntur vobis placentia & beatos vos dicunt, ipsi vos decipiunt. Quod itaq; omnes doctissimi in hac materia palam dicunt, scriptisq; docent, id nequaquam vobis de veritate, multò minus de odio & malignitate suspectum videri potest, aut debet. *Claudius Rangolius Ord. S. Francisci de Paula,* in lib. Regum Coment. eximius, Tom. 2. sui Operis Anno. 1624. Parisiis editi, *talem in hac materia quæstionem format:* de Commendis & Commendatariis quid sentiendum? *& inter cætera sic respondet:* Monasteriorum Bona, parte Maximâ Monachorum parta labore & industriâ sunt; quæ olim donata sunt, jam dudum videntur perpetuô labore quæsita; alienos porrò labores nemo præterquàm iniquè largitur. *Item infra:* quæ Monachis donata sunt, Monachi Jure possident, quæ autem Jure possidentur, Jure auferri non possunt. Scelus ergo est, facultates Monachorum alienis concedere.

Quomodo item pii Fundatores in Instrumentis fundationis Monasteriorum prohibuerint sub interminatione Divini Judicii, aliisq; gravissimis execrationibus, ne ullus audeat ex Bonis Regularium fructus decerpere, patet ex Art. 5. fund. 3. *Hic addo ex Marculpho, qui testatur:* in lib. de solen. form. *in Instrumentis Fundatorum primô illô ævô tales ordinariè gravissimas clausulas apponi solitas:* si quis huic voluntati meæ per quaslibet adinventiones, seu propositiones (sicut mundus quotidiè artibus & ingeniis expolitur) obvius & repetitor, convulsor etiam, aut tergiversator extiterit, Anathema sit, & sicut Dathan & Abiron hiatu terræ absorpti sunt viventes, in infernum descendat &c. & cum Giesi fraudis mercatore, & in præsenti & in futuro sæculo partem damnationis excipiat, & tùm veniam cosequatur, quando consecuturus est diabolus, qui se se fallendo ætherea sede dejectus &c. *Plura qui in præsenti materia legere voluerit remitto ad supra citatum Horstium, præcipuè ad* pag. 23. 24. 25. & sequen. *Item legendum præ aliis attentè opto Libellum Gallicè editum sub tit.* Abbas Commendatarius &c. Authore Domino Des-Bois Franc. Doctore Utriusq; Juris, Coloniæ Anno MDCLXXIII. *Item alium sub tit.* Abbas Commendatarius Authore Domino

de

de Froimont Coloniæ. Anno: MDCLXXIV. *Gallicô pariter idiomate impressum.*

Quanta præterea aliis mala & scandala oriantur ex cupiditate Commendarum, demonstrat Gabriel Putcherbeus Fontebraldeus in Epistola præliminari operum Thomæ de Kempis Parisiis impressorum, ad Stephanum Boncherium Barionen. Episcopum, qui sic scribit: Pro bona felicitatis suæ parte ducebant veteres Episcopi, si de suo Monachis tribuerent, jam hodiè aliorsum prorsus cecidit alea, nam pessimè secum actum iri pleriq; arbitrantur, nisi unum & alterum plus minus Cænobium, suum quoquô modô fecerint, quoq; alioquod unum opimiores census habet, eò majore studiô & contentione terrâ & mari, Superorum etiam, dicam, & Inferorum ope, enituntur, depugnant, ut in suam illud massam attrahant, & ut vulgo utar vocabulo, aduncent. *Porrò ex multiplicatis per temporum injuriam Commendarum apud Exteros exemplis, alios facilè rapi ad similia, palam fit ex Seneca, qui sic de scandalis mali exempli scribit* Epist: 4. lib. 22. Inter causas malorum est, quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur; quod si pauci facerent, nollemus imitari, cum plures facere cæperunt, (quasi honestiùs sit, quia frequentiùs) sequimur, & recti tenet error locum, ubi publicus factus est. *Hac de causa dum etiam in Polonia indultæ essent nonnullis, variis sub prætextibus Commendæ tale postmodum earum excitatum fuit non ita pridem desiderium, ut non verecundaretur Clerus sæcularis petere gratiam Sedis Apostolicæ pro 15. Abbatiis perpetuò Commendandis, sed huic petitioni responsum pro tunc fuit:* non agi de gratia, sed de mera Justitia &c.

Tertium Motivum est: *Quia Commendis Monasteriorum Poloniæ nullum Jus favet, iam verò in favorem Electionum Abbatum Regularium, pleni sunt Legum Co-*

dices.

dices, quibus prorsus excluduntur Commendæ. ut retuli Art: 4. &. 5. *Juxta quam Juris dispositonem S. Trid. Concil. Commendas tractu temporis ex sæcularium ambitione & cupiditate introductas, exprsse prohibuit* Ses. 14. Cap. 10. & Ses. 24. Cap: 13. verbo: Interim, de refor: & clariùs Ses. 25. Cap: 21. de Regular. *Sed dicet fortè quis: utiq; Tridentinum* Ses. 24. Cap: 13. de refor. *solùm ea Monasteria prohibet Commendari, in quibus viget Regularis observantia, alia verò eô ipso permittit.* Ad id Respond. 1. *Concilium locô citatô permittere videtur subventionem Cathedralibus Ecclesiis non aliquomodo tenuibus, sed iis solum, quorum reditus nullo modo dignitati Episcopali respondent, an verò saltem aliqua talis Cathedra in Polonia detur, patebit ex infra dicendis, ubi ex professo examinabitur, utrum aliqua sit necessitas Commendarum?* Respondeo 2. *si id tantum dixisset Concilium, jam pridem Commendas cupientibus laxarentur habenæ ad omnia omninò Monasteria, ii enim conclamarent, ut ordinariè solent, in nullo Monasterio vigere Regularem observantiam, taliq; arte dudum effecissent vigere Commendas in omnibus prorsus Monasteriis; Nam* (inquit Horstius supra citatus in Annot. super Episto. 141 S. Bernardi ad Humbertum f.26.) *Commendatariorum unicum hoc studium esse apparet, ut pietatem in Monasteriis extingvant, & Monachos, si quo possint scelere palam obstringant, quo Jure videantur, iis expulsis, suum quæstum facere &c. Verùm ne id eveniret, providè obviavit Tridentinum, dum sic locô supra citatô decrevit:* Interim verò donec prædicta effectum sortiantur, hujusmodi Episcopis qui fructuum subventione pro Diœcesis suæ tenuitate indigent, poterit de Beneficiis aliquibus, dum tamen curata non sint, nec dignitates seu Canonicatus & Præbendæ, nec Monasteria in quibus viget Regularis observantia, vel quæ Capitulis Generalibus & certis Visitatoribus subduntur; â Sum: Romano Pontifice provideri.

Porro: ex Monasteriis Poloniæ utrum aliquod tale est, priùs diligenter expendendum esset, ne sub nuda assertionis prætextu, aperiatur spaciosa porta Commendis. Scio pro certo Monasteria Ord. S. Benedicti quæ exstant in Polnia, (excepto Tinecensi & Lubinensi) Visitatori

Generali ejuſdem Ordinis ſubeſſe, ejuſq; ſe correctioni ſubdidiſſe; Illius autem munus eſt, inſtaurare, ſi alicubi vacillat obſervantia, quam tamen ex unius vel alterius particularis Perſonæ inordinatione , nemo inferre poteſt prorſus collapſam eſſe in toto Monaſterio, imò nec id inferre debet, nam ut habetur lib. 6. Decret. delictum Perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare. *Alias (nota retorſiones) nec Collegium Apoſtolorum propter unius Judæ nequitiam, poſſet dici Sanctum nec Eccleſia Sancta, cum tolleret peccatores &c. Hinc ad rem præſentem Sol Doctorum Auguſtinus lucem porrigit, dum in Pſal. 99. ſcribens ſic appoſitè docet:* Scitote omnem Profeſſionem habere fictos, non dixi : omnem hominem eſſe fictum, ſed omnem Ordinem & Profeſsionem habere fictas Perſonas ; tàm ſunt enim Monachi falſi, quàm & Clerici falſi, & fideles falſi &c. *Ex quo patet, quod propter unius delictum, nequit totus Ordo exempli gratia Benedictinorum maledici , aut non obſeruantiæ argui, utpotè habens ſuum Viſitatorem,qui corrigat,ſi qui ſunt delinquentes,& obſervantiam non ſervantes. Ideo idem S. Doctor omnibus Religioſa Inſtituta propter particulare alicujus vitium cavillantibus, meliora ſvadet, dum ſic inquit;* Fugite vitia eorum quiReligione abutuntur, ipſam tamenReligionem, ex qua tàm uberes fructus proveniunt, colite & obſervate. *Scio item omnia (nullô exceptô) Monaſteria Poloniæ Ord. Ciſter. â prima fundatione ad hæc uſq; tempora Capitulis Generalibus & ſuorum Commiſſariorũ & Vicariorũ Generalium Viſitationi ac ordinationi ſubeſſe, vigereq; præterea in hoc Ordine antiquũ morẽ celebrandi quolibet triennio Capitula Provincialia, in Ordine ad reformandam & conſervandam in ſuo vigore Regularem Obſervantiam , quam laudabilem conſvetudinem Ciſtercienſium Innocen. III. in Concilio Lateran. C. 12. & lib. 3. Decretal.* de ſtatu Monachorum, *pro exemplo aliis Ordinibus proponit, & id ipſum reaſſumens Concil. Triden. Ses. 25. Cap: 8. de Regul. præcipit, ut in aliis omnibus Monaſteriis habeantur Congregationes, juxta formam Conſtitutionis præfati Innoc: III. in Concilio Generali, quæ incipit:* in ſingulis. *Ut verò conſvetudo præfata Ciſtercienſium celebrandi Capitula Provincialia clariùs innoteſcat, referre hic opportunum judicavi ipſam Conſtitutionem Concilii Lateran. quam in Tridentino poſt declarationes ſuper prædictæ Seſsionis Cap. 8. fol. 535. ſub eo tenore verborum lego :* In ſingulis Regnis ſive Provinciis, fiat de trien-

nio in triennium Commune Capitulum &c. Advocent autem charitativè in hujus novitatis primordiis, duos Cisterciensis Ord. Abbates vicinos ad præstandum sibi consilium & auxilium opportunum, cum sint in hujusmodi Capitulis celebrandis ex longa consvetudine pleniùs informati &c. Hujusmodi verò Capitulum, aliquot certis diebus continuè juxta morem Cisterciensis Ord. celebretur, in quo diligens habeatur tractatus de Reformatione Ord. & observantia Regulari &c. *Cum igitur in Monasteriis Cisterciensium Poloniæ, & Præfata Provincialia Capitula celebrentur, & frequentes fiant à Commissariis Visitationes, sequitur, non posse non vigere in eis Regularem observantiam adeóque ulteriùs palam est, non debere ea Commendari, juxta Tridentini Decreta supra allegata. Et ideò plurimi Summ. Pontifices specialibus Privilegiis Jus liberæ Electionis præfati Ordinis confirmarunt; Commendas verò penitùs abrogarunt. Ita Sixtus IV. qui præcepit, ne dicta Monasteria ullô modô in posterum Commendarentur, sed quod ad illa Professus tantum modo di Ordinem, à Monachis liberè in Abbatem eligeretur;* ut in Sum. Num. 31. *Postea autem Innoc. VIII. id strictiùs mandavit, revocando Commendas tunc existentes, & addendo: quod hujusmodi suæ Constitutioni nullo modo derogari, neq; Commendæ conferri possint in futurum, etiam de plenitudine potestatis Sedis Apost. &c.* ut in Sum. Num 32. *Quæ præmissa confirmavit Clemens IX. consulta priùs Congregatione Episcoporum & Regulariū,* ut in Sum. Num. 16. *& particulariter pro Monasteriis Cisterciensium Poloniæ Julius III. mandavit, à nemine Electiones illorum debere impediri,* ut in Sum. Num. 7. *Post verò subsecutæ in partem Poloniæ Cisterciens. definitivæ sententiæ Curiæ Romanæ, id ipsum comprobantes,* ut in Sum. Num. 19. 33 & 34. *Idem Synodi Provin. Poloniæ docent, & decernunt, ut retuli Art. 5. & alia ibidem data. Ex dictis verò patet, quod Jura Ecclesiastica non faveant Commendis Poloniæ. Ostendendum igitur adhuc restat, quod nec Jus Civile particulare in Statutis Regni Poloniæ contentum, Commendis faveat; Quod demonstratur 1. ex Statuto de An 1538, relato* in Sum Num: 3. *ubi statuitur, ut deinceps futuris perpetuis temporibus,* nemo *in Abbatem cujuscunque Monasterii in Regno Poloniæ, aut etiam in Præpositum Regularem eligi debeat, aut possit, nisi qui sit Nobilis, Polonus, Professus ejusdem Ord. Et ne contra hujus Statuti dispositionem impetrentur Abbatiæ ab ambigentibus, cautum est ejusdem Anni aliô Statutô sub pænis,*

ut refert Herburtus fol. 125. *tit.* Corteſani *ubi ſit lego*: Quodſi aliquis contra diſpoſitionem Statutorum aliquid (puta vel Romæ vel in Regia Cancellaria) Jure Corteſanico obtineret, proſcriptus ſeu bannitus ſit ipsô factô, & Bona ipſius juxta Statuta confiſcentur &c. *Igitur patet, quod Commendæ obtineri non poſſunt, niſi contra Statuta Regni, cum adductum paulò ſuperius Statutum expreſsè præcipiat, ut nemo eligatur & fiat Abbas præfatô ibidem modô non qualificatus. Idipſum de An.* 1550. *confirmatum aliô Statutô* ut in Sum. Num: 5. *ubi pariter ſtatuitur ut* nemo *in Abbatem eligatur, niſi Profeſſus Ordinis, taliter ut ſupra, qualificatus, hâc adjectâ clauſulâ, ut in defectu ſupra dictarum qualitatum, poſtuletur in Abbatem ex eadem Diœceſi Status Spiritualis Nobilis, idoneus, cum obligatione profitendi Regulam; Nullibi verò Statutum aliquod exſtat, permittens poſtulari in Commendam quempiam ex Statu Spirituali, imò in contrarium plurima lege Statuta, excludentia prorſus Commendas; ſic Anno* 1554. *Sigiſ. Auguſt. contra impedientes liberas Electiones in Monaſteriis Ciſtercienſium Poloniæ intuitu prætenſarum Commendarum, ſtatuit, cum unanimi Conſiliariorum Regni conſenſu, ut Ciſtercienſes juxta Indulta Sedis Apoſtolicæ, & Privilegia Regum Poloniæ, ſine ulla perturbatione iis utantur in perpetuum, in ſuorum Abbatum Electionibus,* non obſtantibus literis contra talia quôquô modô impetratis, ut in Sum: Num: 8. lit. A. *Idem Rex Poloniæ An.* 1562. *ſuo diplomate cavit, ne Monaſterium Miechoven. alicui Epiſcopatui aut Prælaturæ adjungatur, ſeu incorporetur.* ut in Sum. Num. 8. lit. B. *Præfatam Regis diſpoſitionem, extendit ad omnia alia Monaſteria Poloniæ Statutum Regni de An.* 1607. *dum reaſſumendo antiqua, præcepit: ut ſui Ordinis Monachi liberè eligantur à Monachis, ea addita prohibitione*: ut Abbatiæ & Præpoſituræ Regulares non uniantur Epiſcopatibus &c. *& adjectâ pœnâ in hæc verba*: Quodſi quis præſumpſerit obtinere & poſſidere Abbatiam contra præſcriptum hujus Statuti, pænis contra Cortheſanos in Jure expreſſis ſuccumbere debet *ut relatum* in Sum. Num. 14. lit. B. *Quamvis verò (ut refert Ladoski Secretarius Regius in lib. Conſtit. fol.* 445 *tit. Abbatiæ, ad finem) non obſtante hâc lege aliquæ Abbatiæ nonnullis Epiſcopis Commendatæ & unitæ fuerint, cautum nihilominus eſt, lege publicâ (ſunt verba præfati Authoris)* quod id pro una vice conceſſum, & quod in ſequelam trahi non debeat. *Ex his autem omnibus patet Commendis*

Polo-

Poloniæ nullum Jus favere, adeoq; quod nec concedi, nec impetrari debeant, contra prohibitionem tot Jurium easdem vetantium. Cujus prohibitionis fundamentalem rationem dabunt motiva sequentia.

Quartum Motivum est: *Quia Commendandi Monasteria Poloniæ nulla est necessitas.* *Quod sic demonstro: Imprimis quod nulla sit necessitas* ex parte Monasteriorum (*quæ sola deberet attendi juxta JurisCanonici Sanctiones, prohibentis Jura Ecclesiarum lædi sine necessitate earundem Ecclesiarum,* ut habetur per text. in Cap. 1. de rebus Ecclesiæ non alienan. in 6. & in Clement. Cent. prima, eod. tit. Rota coram Seraphin. decis. 508. Num: 1. Durand. decis. 250 Num: 1. & recent. decis. 430. Num: 4. p 2. & decis. 336. Num: 8. & per tot. p. 10.) *nulla enim allegari potest, nam Abbatiæ Regularium nullam penitùs necessitatem habent per Commendas propriis Bonis sese spoliandi, nec Monachi Jure electivô tàm activè, quàm passivè se privandi, quod illis (ut supra jam probatum) omni Jure competit. T. q. nulla potest dari talis necessitas Commendarum, quæ possit sanare injustitiam, quæ alias irrogaretur Communitatibus in privando eas Jure Electionis. T. q. in Monasteriis Poloniæ, adsunt plurima subiecta Regularia, juxta Regni Statuta An.* 1538. *&* 1550. *&* 1588. *Item* 1607. *qualificata, videlicet: Poloni, Nobiles, Professi, idonei, quibus stimulus auferretur in Religione benè merendi per inductionem Commendarum, nàm Religiosi magis digni & capaces Superioritatis, postponerentur Commendatariis, cum tamen Regni Statuta præfatos ante alios eligi decreverint in Abbates. Deinde nulla est necessitas Commendarum,* ex parte prætendentium easdem; *Nam nullô modô constat ex adversô de indigentia asserta, in memoriali pro parte aliquorum Episcopatuum olim Romæ porrectô, pro Commendandis* 15. *Abbatiis Poloniæ, quod memoriale refert Anonymus* in suis Novis Polonicis fol. 115. *et tamen hæc indigentia juxta dispositionem Tridentin Ses.* 24. *Cap.* 13. *de Refor. priùs examinari debuisset in Synodo Provinciali Poloniæ, & probari per publica instrumenta, aliaq; documenta redituum eorundem Episcopatuum, quibus instructus Summus Pontifex*

(ad quem

(ad quem solùm unicè spectat cura providendi indigentibus Episcopis) *juxta exigentiam necessitatis, haberet utiquè alium modum subveniendi in perpetuum, quàm per prohibitas omni Jure Commendas Monasteriorum? scilicet: vel unum Episcopatum alteri invicem, aut Suffraganeatui uniendo, vel aliquâ accessione ex fructibus augendo, vel decernendo pensiones aut reservationes redituum ex superfluis aliorum plurimorum opulentissimorum Episcopatuum (quorum alii ultra* 30. *alii ultra* 20. *alii ultra* 15. *millia Hungaricalium puri auri numerant proventuum Annuorum, publicâ famâ attestante) vel uniendo Præposituras Sæculares Infulatas non exiguorum redituum, vel alia simplicia Beneficia Sæcularia, quorum plurima (ut supra dixi) una quaquè numerat Diœcesis in Polonia, quæ vulgo vocantur* Gratiæ. *vel demum ex iis Beneficiis, quæ (* ut retuli in Sum. Num: 38. *ad Regiam Collationem de Jure spectant, providendo. Iam verò Monasteria iisdem unire nefas est, id enim prohibet locô citatô Tridentinum, nisi fortè ea permittit, quæ nec Regularem observantiam, nec Visitatorem Generalem habent &c. Quia verò ultra supra dicta etiam aliundè insubsistentia asserta ex adverso indigentiæ patet, ideò nullam esse prorsus necessitatem Commendandi Monasteria Poloniæ, concludendum est. Nam nullus ex Episcopatibus Poloniæ (exceptô Livonien. de quo infra) tàm tenuis est, qui summam ad minimum mille ducatorum certi annui reditûs non numeret, quam summæ quantitatem sufficientem esse congruæ sustentationi Episcopali Tridentinum agnovit, dum locô supra citatô definivit,* Ecclesias Cathedrales, quorum proventus annui præfatam Summam non excedunt, nullis pensionibus ad subveniendum aliis tenuioribus, aut reservationibus fructuum gravandas esse; *nam eô ipsô arguitivè & consequenter definivit, talibus Episcopatibus subventione non esse opus, quorum proventus annui præfatam summam adæquant, ut consideranti textum Concilii planum est. Præterea sciendum est, quod adhuc ante Concilium Trident. habitâ plenâ informatione Sedes Apost. de sufficientia proventuum Episcopatuum Poloniæ, revocavit Commendas, obtentas ad malam informationem appetentium. Sic Clemens VIII. de An.* 1524. *revocavit unionem Præposituræ Miechovien. Ord. Canon. Regul. factam in ante Episcopatui Præmislien.* in Sum: Num: 44. *quam revocationem ratam habuit Sigismundus I. Rex Polon. ut ex ejus diplomate de An.* 1525. *constat, relato* in Sum. Num. 45. *ubi Regis testimoniô declaratur,* quod ex Commenda illius Præposituræ mul-

tis Regni Primoribus, Nobilibus & terrigenis visum fuit exemplum noxium ad reliquas Ecclesias, hôc modô præter Institutum Fundatorum (*nota id signanter*) convertendum, & cultum Divinum attenuandum. *Neque dicas in contra: Post Concilium Tridentinum subsequentibus bellis in Polonia, Russiæ Episcopatus devenisse in desolationem ob frequentes incursiones Paganorum, àc proindè Statutum Regni de An 1633. permisisse Archiepiscopo Leopolien & Episcopis Plocen. Præmislien. Chelmen. Kiiovien. Camenecen. Samogitiæ & Venden. seu Livoniæ* subvenire mediante aliquô Beneficiô unicô. *Nam respondeo 1. Justumne dixeris accidentali præfatæ desolationi, subvenire Commendis perpetuis? id neque Statutum Regni unquam permisit. Respondeo 2. allegatum supra Statutum, Conciliandum est cum Statutis aliis anterioribus, & præcipuè cum Statuto lato An.* 1607. quod prohibet Abbatias uniri Episcopatibus. *Igitur ut utrumq; in suo robore subsistat, non puto aliter conciliari posse quàm ut Statutum posterius, videlicet An. 1633. intelligatur de subventione* alicujus ex Beneficiis Sæcularibus, *quorum plurima (non faciendo recursum ad Abbatias, nec gravando Jura Monasteriorum) sunt in libera Collatione Majestatis Polonæ ut supra retuli. Talis Conciliationis, fundamentum desumitur ex diplomate Sigismundi,* qui nec consideratione præfatarum incursionum permisit uniri Præposituram Miechoviensem Episcopatui Præmisliensi; *Idq; ob amovendam occasionem mali exempli, ad reliquas Ecclesias,* ut in Sum: Num: 45. *deinde: dum Statutum inquit, præfatam protunc indigentiam evenisse* ex incursione Paganorum; *indicat evidenter eam non procedere originativè ex defectu sufficientis in fundatione dotationis Episcopatuum Russiæ, ac proinde tantô elapsô post incursiones tempore, jam ad pristinum opimum statum proventuum, ob singularem terræ illius fœcunditatem rediisse, nec indigere in posterum ulla subventione, palam est. T. q. Episcopatibus Russiæ, imò & Officialibus Ecclesiasticis Regni, jam pridem aliundè provisum perpetuâ Regis Alexandri donatione,* ut retuli Art. 1. ad An. 1504. *ubi lectori patebit, tentatas jam tunc esse in Commendam Abbatias, sed defendentibus Jura sua Regularibus, & ad Sedem Romanam appellantibus, non potuerunt etiam tunc Commendarum desideria effectum sortiri. T. q. iisdem Episcopatibus Russiæ provisa jam est, per aliud Statutum Regni de Anno 1573. certa pensio ex publico ærario, subveniendo expensis residentiæ ad aulam Regis,* ut refert

Lado-

Ladowſki in lib. Conſt. Poloniæ fol. 26. tit. Epiſcopi. *T.'q. dato quod etiam nunc vera ſit, (ſed id probandum reſtat) indigentia, alicujus Epiſcopatûs Ruſſiæ, poteſt utiq; illi aliter provideri,, ut ſupra jam dixi, non tangendo Jura & Bona Regularium. Addo: adſunt præterea in Regno Poloniæ opulentiſſima et ampliſſima Bona ad Beneficia ſæcularia olim ſpectantia, nunc verò in manibus Civitatis Polonæ Gedanenſis exiſtentia, vulgo dicta* Zulawy, *& alia plurima avulſa ab Eccleſiaſticis per alios Hæreticos, igitur conſultiùs eſt, & æquitati magis conſonum, ut ea, tanquàm propria ſæcularium, recuperentur adminiculô Majeſtatis & Reipublicæ, in ſubventionem indigentiæ (ſi quæ eſt.) Epiſcopatuum, abſq; præjudicio Monaſteriorum, quæ omne Jus vetat Commendari.* Quantum ad Epiſcopatum Livoniæ, *hic, ſi quam nunc habet indigentiam, ſubvenire ei Beneficiis Regularibus quis juſtum cenſeret ? quem â Regibus Poloniæ cum omnibus ſuis Bonis oppignoratum olim fuiſſe, & nunc hærere in manibus Hæreticorum pro taleris Imperialibus* 70000. *adhibitis pro indigentiis Regni, toti conſtat Poloniæ ; Præfati Epiſcopatûs ſubſecutâ redemptione, nulla eidem ſupererit indigentia, vel ſi illa retardabitur, potiùs (quandoquidem Regni ærarium debet acceptas & converſas in ſuam utilitatem pecunias) de publico ſubveniendum eſſe eidem Epiſcopatui. notiſsima Juris ſuadet Regula, ſic* Cap. qui ſentit. de Reg. Juris in 6 *diſponens:* qui ſentit commodum, incommodum etiam ſentire debet. *Vel certè, ſi id non placet, ex Beneficiis Sæcularibus, abſq; ulla controverſia ſpectantibus ad Regiam Collationem, quorum ſeriem retuli* in Sum: Num: 38. *Demum Epiſcopatui Livoniæ ſeu Vendenſi certum eſt, jam unitum eſſe Epiſcopatum Piltinenſem, qui, â quo, & quâ de cauſa oppignoratus olim fuerit, docent Acta publica Generalium Comitiorum An.* 1640, ut refert P. Naramowſki S. I. *in facie Rerum Sarmaticarum* ad finem lib. 2. fol. *666. ex quo excerptum lege* in Sum: Num: *46. patebit ibi legenti, quod eadem de cauſa Piltinenſis Epiſcopatus defectu laboret, ex qua Anonymus refert* in Novis Polonicis p. 61. *defeciſſe olim cum ſuis Diœceſibus, unum Epiſcopatum Pomeſaniæ ; qui ad præſens unitus eſt Epiſcopatui Cujavienſi, & alterum Sambienſem ; qui nunc incorporatus Varmienſi. Deniquè audivi ſæpiùs â Viris Digniſsimis, Epiſcopatuum aliquorum Poloniæ exinde oriri indigentiam, quod ii, in quorum exſtant poſſeſsione, neglectim curant, vel prorſus non curant meliorem ſtatum proventuum, qui certè ſi ſpe aſcenſûs ad altiores Epiſcopatus non lactarentur, & meliùs adminiſtrarent*

ſtrarent

ſtrarent rem Æconomicam per ſuos Adminiſtratores, nullam de alieno ſubventionem quærerent, quantùm ſatis habentes de ſuo. Dicta comprobat Epiſcopatus Poſnanien. cujus antecedanei Poſſeſſores indigentiam inculantes, ſuppetias ex Abbatiis enixè in Romana Curia poſtulabant cùm tamen modernus Illuſtr. D. Ioannes de Czekarzevice Tarło, proventibus meliùs adminiſtratis, in tantum præfati Epiſcopatûs auxit reditus, ut ſine ulla Commenda, ex ſolis ſuperfluis, Eccleſiam Cathedralem Poſnaniæ reſtaurare ſufficeret, quam novis Turribus cuprô tectis magnificè decoravit; Idem præterea Reſidentiam Epiſcopalem, penitùs ſub tempus hoſtilitatis collapſam, in vicino ſuæ Cathedra loco, â fundamentis pretioſâ fabricâ erigit, in meritorum ſuorum grande decus, ac ſingulare exemplum Sucæſſorum. Ex dictis verò patet, neceſſitatem Epiſcopatuum, fundatam in aſſerta, non tamen probata indigentia, nonnunquam ſolùm imaginariam, non verò realem eſſe, & quidem plerumque aſſeri ex eo, quod comparatè ad reditus primariorum opulentiſſimorum Epiſcopatuum aliqui ſuis proventibus, licet ſatis ſufficientibus, non adæquent primos, ideoque putant ſe eſſe indigentes, & habere neceſſitatem Commendarum. Hinc nihil tàm neceſſarium eſſet, quàm rigorosè dignoſcere, quid prorsùs non ſit neceſſarium? Petebantur olim ſub eodem prætextu neceſſitatis 15. Abbatiæ Poloniæ Commendandæ, cum tamen in memoriali ſuo, 7. nonniſi Epiſcopatuum incuſabatur, quæ non probabatur, indigentia, Ac proindè petitio præfata in Romana Curia non conſecuta intentum, ſed â nullitate neceſſitatis Commendarum, veniendum eſt jam ad trutinam, an ſaltem ſit illarum utilitas.

Quintum Motivum eſt: *Quia Commendandi Monaſteria Poloniæ nulla eſt prorſus utilitas.* *Et primò quod nulla ſit utilitas* pro parte Monaſteriorum, *quam Singulariter Jus Canonicum in omni tranſactione ſuper Juribus Eccleſiæ, pariter ac neceſſitatem, præcipit reſpicere.* Cap. Inter quatuor ubi Gloſ. de Religio. dom. Tambur. de Jure Abbat. Tom. 1. Diſp. 4. qu. 2. Num: 3. *Porrò ex Commendis Monaſteriorum Poloniæ aliqua utilitas in commodum Monaſteriorum, nulla arte figurari poteſt, quinimò manifeſta in-*

ſta in-

sta incommoda & damna plurima ex Commendis resultantia, palpantur manibus, quia (ut dictum toties) ex inductione Commendarum, tolleretur Jus indubitatum liberæ Electionis Abbatum Regularium, Jus inquam tàm activè quàm pasivè tale, nam exclusis ac si indignis Monachis etiam Nobilibus, idoneis, ac benè in Religione meritis, solùm sæculares Ecclesiastici, contra dispositionem expressam Statutorum Regni, & aliarum Legum Art. 4. & 5. recensitarum, admitterentur ad Abbatias, & ad earum fructus percipiendos, ad quos soli Regulares Poloniæ Jus habent, secundum omnes Divinas & humanas leges. Præterea alia damna ex Commendis originata, & provenientia non solùm Monasteriis, sed etiam Cultui Divino, & ApostolicæSedi, enumerat Leo X. Constit. 7. §. 9. Bullar. Tom. 1. *ubi sic lego*: & quoniam ex Commendis Monasteriorum (utMagistra rerum experientia sæpiùs docuit) Monasteria ipsa tàm in Spiritualibus quàm in temporalibus graviter læduntur, quippè eorum ædificia, partim Commendatariorum negligentiâ, partim avaritiâ vel incuriâ collabuntur, & in dies Divinus Cultus in his magis diminuitur, passimq; obloquendi materia personis, præsertim sæcularibus præbetur, non absq; dignitatis Apostolicæ Sedis diminutione, â qua Commendæ hujusmodi proficiscuntur; ut eorum indemnitati salubriùs consulatur, volumus & sancimus, ut cum illa per obitum Abbatum, qui illis præerant vacaverint, nullô pactô cuipiam possint Commendari &c. *Et Clemens V.* in Extravag. Commun. lib. 3. tit. de Præbendis, in Constit. *quæ incipit*: Ex supernæ Providentia Majestatis *inter alia, ita damna Commendarum describit*: demum perspeximus evidenter, quod Ecclesiarum & Monasteriorum Commendatorum cura negligatur, Bona & Jura ipsorum dissipantur, ac subiectis eis Personis & Populis, Spiritualiter plurimùm & temporaliter derogatur, eisq; redundant ad noxam, quæ dicebantur cedere ad profectum, ac ne dum ipsis, sed etiam Romanæ Matri Ecclesiæ (quæ dispensante Domino ipsorum caput fore & Magistra dignoscitur) graviora indè futura timentur pericula; Nolentes igitur his, & tot ac tantis dispendiis ulteriùs causam relinquere, sed volentes potiùs opportunum & debitum in hac parte remedium adhibere, omnes & Singulas Provisiones hujusmodi Commendarum, per Nos ut præmittitur factas quibuscunq; , cujuscunq; Ordi-

 nis,

nis, dignitatis, aut Statûs, ſed etiam S. R. E. Cardinalibus, quô-cunq; modô vel tempore factæ noſcantur, Authoritate Apoſt. ex nunc, ex certa ſcientia revocamus, & annullamus, & decernimus, de cætero non habere aliquam roboris firmitatem. *Idem perhibet Sixtus IV. in Bulla quæ incipit*: Romanus Pontifex, *ubi inter cætera ſic de Commendis Abbatiarum Ciſtercien. inquit*: Cum itaq; ſicut accepimus Monaſteria Ciſtercienſis Ord. quæ nonnullæ Perſonæ Eccleſiaſticæ ex conceſſione & diſpenſatione Sedis Apoſt. in Commendam obtinent, & in quibus antea Regularis obſervantia vigebat &c. adeò propterea gravantur, ac in Spiritualibus & temporalibus detrimenta ſuſtinent, & niſi eis celeriter ſuccurratur, in deſolationem perpetuam & ruinam devenient &c. horum igitur conſideratione inducti &c. *Et Innoc. VIII. in Bulla quæ incipit*: Regimini univerſalis *ſic inquit*: ſanè licet dudum per diverſa Privilegia â diverſis Romanis Pontificibus Sacro Ciſtercien. Ordini conceſſa, pro ipſius Ordinis conſervatione, & obſervantiæ Regularis in illo incremento providè ſtatutum & ordinatum fuerit, ne d. Ordinis Monaſteria &c. Commendari poſſent, tamen â nonnullis temporibus quàm plurima Monaſteria &c. per Nos & Sedem eandem Commendata fuiſſe reperiuntur, ex quo in dd. Monaſteriis Commendatis Divinus Cultus plurimùm diminuitur, & in pluribus locis totaliter extingvitur & ceſſat, piæ Fundatorum intentiones defraudantur, Monaſteria ipſa in quibus ſervorum Dei numerus augeri ſolebat, debitô Monachorum numerô deſtituta & privata, aut ex omni parte ad ruinam redacta ſunt, & eorum aliqua expulſis (quod abominabile exiſtit) indè Monachis propriis, Laicis conjugatis & eorundem Familiis, ac etiam animalibus replentur, & ad prophanos uſus totaliter rediguntur, Sanctorum Reliquiæ, & alia quæcunq; pretioſa, mobilia & immobilia Bona, diverſis mediis alienantur, Jura perduntur, hoſpitalitatis & eleemoſynarum ac alia pia charitatis opera, in ipſo Ordine abundè fieri ſolita, ceſſant; Regularis Obſervantia, quæ in illis antea Summâ puritate vigebat, omnino deficit, & priſtina vivendi norma relicta eſt &c. Alia quoq; innumerabilia, præter Noſtram, & Prædeceſſorum Noſtrorum mentem & intentionem ex Commendis hujuſmodi, in ipſo Sacro Ordine Ciſtercien. oriuntur

damna, incommoda, & detrimenta, non fine Religionis opprobrio, & d. Ordinis præjudicio, ac pernicioso exemplo & scandalo plurimorum; Et nisi provideatur, verisimiliter brevi est formidandum de totali Monasteriorum prædictorum, ac d. Ordinis, qui in SanctaDeiEcclesia, sicutStella fulget Matutina, ruinâ & desolatione. Nos igitur &c. in Sum. Num. 32. reliqua recensentur. *Conforme primis testimonium dat de damnis Commendarum Pius IV. Anno (quô & Concilium Trident. confirmavit)* 1563. *Sexto kalendas Octobris* ut in Sum: Num: 47. *quibus permotus, Commendas Monasteriorum Cisterciensium abrogavit, & ne eorum fructus etiam locis aliis piis, ex quavis causa, licet necessaria, honesta, & quantumcunq; urgenti, etiam intuitu petitionis quorumvis Regnantium, applicentur, prohibuit: cum per eas olim concessas disciplinæ Regulari innumera causata sint præjudicia &c. Ex his autem omnibus Pontificum testimoniis, & maximè ex Bulla Pii IV. Cisterciensibus data, manifestè patet,* Primo: *quod per* Commendas *Monasteriorum* Cistercien. *Ord. nullis Cathedralibus* Ecclesiis, *quantùmvis tenuibus subveniri debeat, aut possit, ac proindè quod Monesteria præfati Ord. comprehendantur sub exceptione & prohibitione expressa in Triden.*Ses. 24.Cap. 13. deReform. *Quis enim meliùs explicare potest mentem Tridentini hôc Pontifice, qui post factam Decretorum Tridentini confirmationem, Bullam præfatam Mense Octavo in favorem Cisterciensium edidit, ut palam remonstrat Bulla Confirmationis Concilii Triden eodem ut supra Anno septimo kalend. Februarii emanata, & ad finem Concilii Triden. fol.* 633. *impressa. Patet* secundo: *ex præfatis certis & evidentibus præmissis, damnis & ruinis Monasteriorum, resultantibus occasione Commendarum, patet inquam, concludendendum esse; quod casu quo in futurum forent Commendata, certò certiùs similia secutura sint eisdem incommoda, & tàm in Spiritualibus quàm in temporalibus abominabilia præjudicia, imò ipsam abominationem desolationis; nam ut inquit S. Gregor. Hom* 1. *in Evang.* sequentium malorum certitudo, est præteritorum exhibitio. *Innuit hos pessimos fructus Commendarum & Concilium Triden Ses.* 25. Cap. 21. de Regul. *& latè explicant & exclamant*, Selu de Benef. part. 4. qu. 8. Num: 15. Rebuff. in praxi tit. de Commend. Num: 10. & seq. & P. Aguirre videndus in defensione Cathedræ S. Petri tract. 1. disp. 11. Num. 73. & meliùs Num. 81. 82. 109. 203. & 213. *Quin etiam ex consimili Commen-*

men-

mendarum occasione ortum habuisse mala gravissima, quæ nunc experiuntur in Ecclesia Gallicana, idem Agvirre testatur, ubi supra Num: 109. & 213. vers. per indè autem &c. & per totam disputationem, *ac probat Authoritate Gilberti, Genebrardi & Henrici Spondani, quorum verba, omninò perlegenda refert* dd. Num: 81. & 82. *Porrò hæc mala ex Commendis exterrorum Monasteriorum, defactò non vanum incutiunt timorem Monsteriis Poloniæ, & satis justum motivum præbent, ad denegandas* Commendas *in Polonia, & prorsus excludendas T. q. Commendæ induci solent revera, neq; Monasteriorum utilitatis, neq; devotionis causâ, sed duntaxat ut cupiditati ambientium satisfiat, prout pridem observavit in Commendis Poloniæ Synodus Provincialis, Anno* 1551. *celebrata, ut videre est* in Sum. Num. 6. *Attestatur insuper Julius III. Commendas in Polonia causare Monasteriis, & eorum Regulari Observantiæ perturbationem & grave scandalum* ut in Sum. Num: 7. *T. q. mala quæ Cromerus enumerat ex deperdita Electione in Cathedralibus Ecclesiis Poloniæ, sequerentur proculdubiò in Monasteriis Commendatis, videnda* in Sum: Num: 35. *T. q. Commendas Sigismundus I. Rex Poloniæ, ex magno & unanimi sensu Regni Procerum, attestatur esse, præter, imo contra mentem Fundatorum, & non sine Cultûs Divini attenuatione*, ut in Sum: Num: 45. *& posteriùs Synodus Provincialis sub Mathia Lubinski Archiep. Gnesnen. Varsaviæ Anno 1647. Celebrata, inter alias Costitutiones tit.* de Bonis fol. 22. §. quia verò; *innuit mala ex Commendis provenientia etiam Monasteriis Poloniæ, quæ per Commendam â Clericis sæcularibus administrabantur, fabricamq; in iis prorsus neglectam fuisse. Item Archiva & Annales Monasteriorum Poloniæ, camprobant longè majora damna etiam in Spiritualibus ex Commendis ortum traxisse: cujus vel maximè intuitu, in eadem Synodo Lubiniana* fol. 30. tit. ne Regul. Benef. *Cautum est Decreto tali:* præcipiti cupiditate sæcularium Clericorũ, prava, & Sacris Canonibus damnata consvetudo lensim introducitur ut Beneficia Regularia &c. occupent; cui corruptelæ maturè obviare cupiens Synodus, pænas cap. Avaritiæ in 6. & Statuti Provincialis lib. 1. de Election. fol. 33. contra tales ad executionem deduci vult, & ut deducantur ab Ordinariis requirit, sub pæna Interdicti ab Ecclesia. *Quam Constitutionem refert in suis Operibus Nicol. Zalaszowski I. U. D.* tit 42. de Abbatiis & Abbatibus. *T. q. per Commendas prorsus negligeretur cura animarum Regularium Personarum, quæ ad Abbates Regulares ex vi Instituti spectat, &*

de qua

de qua Deo districtam reddituri sunt rationem. T. q. siquidem in Novis Polonicis pag. 118. verbo: omnes hæ &c. *Anonymus asserit, ex voto appetentium Commendas,* non esse utile Monasteriis Poloniæ, obligare nominandos â Rege ad hibitum & vitam Regularem,*idque ex eo,(ut ille ibidem inquit)*quia illi non possunt esse boni Magistri, qui nunquam fuerunt Discipuli, & eò magis (*ut ibidem lego*) quia daretur occasio nonnullis ad faciendam paupertatis Professionem, cum animo acquirendarum divitiarum, & amplectendi vocationem, ad qualem non sunt vocati â Deo &c. *Iam ex hoc ipso â fortiori inferendum est, Commendas non esse utiles Monasteriis Poloniæ; nam eandem rationem ex adverso adductam ab Anonymo , Rebuff.* in praxi tit. de Commen. Num. 24. *reddit contra Commendatarios, quod scilicet, non possunt Regularem disciplinam servare, qui non fuerunt Regulares &c. & qui rarò, ac plerumque vix rarò invisunt Monasteria. Cum quo concordat etiam P. Agvirre* in defen. Cath. S. Petri, d. tract. 1. disp. 11. Num. 81. cum duobus seq. & Num. 209. ac clariùs , Num. 213. vers: perindè autem usq; ad finem. *Sed fortè obiiciet in contra Anonymus : Utique Commendatarii in Polonia in Bullarum Provisionis suæ, ordinariè adstringuntur ad quartam partem & aliqui ad medietatem proventuum Abbatiæ quotannis rigorosè impendendam in utilitatem Fabricæ & decorem Ecclesiæ, quomodo igitur dici possunt Commendæ non utiles Monasteriis Commendatis?* Respondeo: *Scio hanc esse obligationem Commendatariorum, & quidem sub gravi culpa conscientiam eorum obstringentem, sed sola* præcisè *præfata obligatio Benefaciendi Monasteriis, poteśtne habere vim & rationem utilitatis* actualis ? *maximè dum plerumq; in reali effectu non impletur. Nonne aliqui Regulares Poloniæ ante aliquot Annos requirentes satisfactionem d. Obligationi præstandam â Comendatariis, non satis magnum sensere in commodum? dum loco percipiendæ mediæ, aut saltem quartæ partis, pro Fabrica Ecclesiæ & Monasterii certi, ipsam non nisi offensam ex toto, ac indignationem receperunt, & ideò coacti sunt vix non æqualibus impensis, Jure vindicare assignatam in expeditione Bullarum quotam pro fabrica, non sine gravi detrimento Monasterii? Præterea datô etiam, quod dictæ Obligationi satisfieret ex asse in posterum, tamen hæc utilitas, possetne esse tantæ considerationis,quantæ est damnum fermè inevitabile in Spiritualibus, originem trahens, ordinariè ex Commendis, ob carentiam invigilantiæ Abbatis proprii*

Regularis super promovenda observantia? certè juxta communem DD sensum, Spiritualia damna, utiq; præponderant quibusvis utilitatibus temporalibus & Bonis caducis? adeoq; etiam hôc stante, quod media aut quarta pars à Commendatariis punctualiter quotannis solveretur, adhuc verum esset, quod ex Commendis *non sit tanta utilitas pro parte Monasteriorum Poloniæ, quæ compensare posset detrimenta in Spiritualibus, easdem inevitabiliter concomitantia; multò magis, si nec illud præstetur, palàm est, quod nulla sit prorsus utilitas Commendarum pro parte Monasteriorum. Porrò (repeto quæ jam supra ex Mellifluo Doctore allegavi)* occupare locum & non facere fructum, nec loco expedit, nec occupantes decet &c. *Igitur investigandum restat, an saltem* pro parte Commendatariorum *sit aliqua utilitas ex Commendis? sed neq; hanc videtur admittere Anonymus, qui* in suis Novis Polonicis Singulari 22. pag. 70. & pag. 62. Motivo 3. ad finem *hoc arcanum mentis prodit, quod scilicet per Commendas ex reditibus Abbatiarum non tàm suæ, quàm* suorum *utilitati velit prospicere, ut legenti constabit. Nihilominus quàm malè illis ex Ecclesiasticis proventibus eô ipsô prospiciat, patet* ex Sum. Num. 37. *T. q. id porhibet Concilium Trident.* Ses. 25. Cap. 1. de Refor. *Cujus Decretum vide citatum* in Responsione ad Singulare 22. pag. 96. *& plura alia ibidem adducta. Deindè nonne satis ex Monasteriis utilitatis non referunt plurimæ Domus ac Familiæ, dùm tot subjecta Nobilia, Institutum Monasticum amplectentia ante Professionem juxta præscriptum Canonum, renunciare solent Bonis Paternis & Maternis, ac cunctæ successioni, ad se Jure hæreditatis devolutæ? quæ aliàs, si mansissent in sæculo, partitâ in plures, ac consequenter non modicè extenuatâ Domûs substantiâ, fatiscentes cum suis Posteris Familias, proculdubiò reddidissent; ut penitùs rem consideranti patet. Igitur malè Anonymus ampliorem præterea utilitatem ex Commendis Monasteriorum omni Jure prohibitam quærit suæ Familiæ. Imo* nec sibi *tali mediô potest benè prospicere, quia* (ut supra dictum Motivo 2.) *Commendæ, ex sensu gravissimorum & doctissimorum Authorum, inducunt in præsentissimum æternæ salutis discrimen. T. q. Pii Monasteriorum Fundatores, sub anathemate & interminatione Divini Judicii, pœna æternæ imprecatione, aliisq; horrendis execrationibus, latiùs in Instrumentis suarum fundationum expressis,* (ut retuli Art. 5.) *prohibent ne quisquam Jura Monachorum à se fundatorum lædat, aut ad eorum proventus sese quovis modo interessare præsumat,*

mat, aut usurpare, & appropriare Jus quodpiam, super possessiones à se collatas eisdem, audeat &c. Similia, contra omnes Ecclesiasticas Sæcularesve personas, Jus Electionum impedientes, ac perturbantes Monasteria, aut eorum possessiones auferentes, vel ablatas retinentes, minuentes, seu quibuslibet vexationibus inquietantes &c. detonant Summi Pontifices, in Confirmationibus fundationum Poloniæ, in quam horribilem pœnarum sententiam etiam S. R. E. Purpuratorum manus leguntur ibidem appositæ, contra violatores Juris Monastici. Porrò his stantibus, quæ utilitas Commendarum Poloniæ, datô etiam quod Commendatariis non modicos quó ad temporalia importarent reditus? nonne potius non vitandæ essent, cum nequeant percipi sine gravi præjudicio & injuria Regularium? Hujusmodi utilitati quid præferendum sit? instruit Claudianus dicens: Justitia utilibus rectum præponere suadet, communesq; sequi Leges, iniustaq; nunquam. *Quodsi verò nec ea Vatis dicta movent Anonymum, illud saltem unicum serió opto apprehendat, & benè teneat motivum, quod in utilitatem maximam omnium, ille suggerit, à quo bona cuncta procedunt; sic unumquemque Matt. Cap. 16. admonens:* Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?

Ulteriorum motivorum gratiâ, apponendæ hic essent nervosissimæ reflexiones in præsenti materia datæ ab Illustr. D D. Vincentio Santini olim Nuntio Apost. ad Regnum Poloniæ, sed quia hæ jam typis excussæ An. 1723. ad eas considerandas (quas puto ad manum aliundè habet) Anonymum remitto, id solùm epiphonematis loco eidem annectendo, quod Doctor Mellifluus Ser. 6. in Psal. 90. inquit: Tu ergo si rectè sapis, desine sequi, quod consequi tam miserum est; desine optare, quod habere tàm periculosum est.

Tandem pro finali adhuc motivo, Anonymo ad resipiscendum dando, ne Regulares Poloniæ eorum Jura injustè scriptis suis persequatur, necesse est perspectum facere, quomodò illatas Monasteriis injurias, Sancti Ordinum Fundatores pro suis reputantes, graviter ferant? ita, ut easdem etiam vindicare sint semper parati. Sic An. 1375. (referente P. Kwiatkiewicz S. I. in lib. Annalium fol. 336.) *dum Ordo Seraphicus magnam persecutionem pateretur, S. P. Franciscus in quadam Ecclesia Crucem, quam ferebat præ manibus, pro gladio S. Pauli commutasse legitur, ac eadem nocte quendam persecutorem primarium, suo Ordini infensum decollasse, quod postea cæteros perterruit. S. item Benedicto* (ut

refert

refert ArnoldusDuacensis Tom. I. SS. Ord. & Tamburinus lib. de Jure Abbatum) *contra Ordinis sui persecutores , inter quinque Divinitûs sibi appromissa dona, hoc speciale, Numero quarto definitum lego :* Qui Ordinem tuum præsequetur, nisi resipiscat, vita sibi abbreviabitur, vel mala morte punietur. *Huc spectat illa Prophetica Epistola , quam S. P. Bernardum quondam ad injuriantem quempiam ex Primoribus suum Ordinem, scripsisse testatur Beierlink* in magno Theat. Vit, hum tit. Religio, *quæ id inter cætera continet*; Illud condentes Monasterium, in cujus duratione & integritate indelebile habebitis elogium Regni Vestri, nam in divisione redituum, dividetur â vobis Corona vestra. *Quod postea subsecutum esse, in pœnam factæ dicto Ordini injuriæ, præfatus Author refert. Ad quem Lectorem remitto. Sub eodem Instituto DEO Militantes , quã parata sit ipsa etiam B. M. V. hujus Ordinis Singularis Patrona & Advocata , defendere, ac velut Castrorũ Acies ordinata contra presecutores protegere, signanter patuit* (ut refert Augustinus Sartorius in Cistertio bis tertio fol. 623. ex Cæsario Heisterbacensi) *sub Innocen. III. Pontifice, dum cuidam d. Ordini graviter infenso, ac eius exterminiũ fortiter promoventi, visibilẽ sese hæc Mater, sollicita pro suorũ servorum defensione, exhibens, hac admonitione, junctâ indignationi, corripuit*: Tu Ord. Cisterciensem, cujus Advocata sum ego, destruere conaris? sed non prævalebis, & nisi citiùs de tuo malo proposito resipiscas, ego te, & omnẽ potestatẽ tuã conterã. *Ex quibus Anonymus clarè advertere potest, quod Sacris Ordinibus Regulariũ, in promptu est Cæleste præsidiũ, ubi mundi abest patrocinium, & quos humanum virus nititur extremè proterere, hos parata est Divorũ virtus protegere. Igitur præstat motos componere fluctus, quos hactenus procellosô calamô in calamitatem Juris Regularium concitavit Anonymus , jam odia in amorẽ mutanda, & ex persecutore restat, ut agat Protectorẽ Ordinũ, pro quorũ indemnitate sese opponentibus, ac Jura eorũ defendentibus, Supremæ Sedis Potestas* (ut in confirmatione fundationum Poloniæ Art. 5. pag. 38. relatum) *Apostolicam impertitur benedictionẽ, Paternè apprecando*; ut cunctis, illæsa Jura Regularium servantibus, sit pax Domini Nostri IEsu Christi, quatenus. & hìc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtũ Judicẽ præmia æternæ pacis inveniant. *Quod ipsum, omnes & singuli Nationales Regulares ingeminant, unanimi votô & voce ad Aras supplicantes, & accinentes,*

Fiat Fiat.

SUMMARIUM.

Num. 1.

Anno 1460. Affecuratio Abbatis & Monachorum Lubinē quâ promittuntCaſimiro 3tio Regi Poloniæ Canonice electum Fratrem Conventus ſui repreſentare honoris exhibendi gratiâ.

In Nomine Domini Amen. Nos Albertus Abbas patientiâ Divinâ, Joannes Prior, Wenceslaus Præpoſitus in antiqua Goſtyn, Martinus Cuſtos, & Joannes de Krobia, Fratres Conventus Monaſterij in Lubin Poſnanien. Diæceſis, noſtro & totius dicti Conventus Nominibus, ſignificamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis, & ſingulis, tam præſentibus quam futuris harum notitiam habituris: quod quanquam *de Jure & Conſvetudine* poſt ceſſum vel deceſſum Abbatis cujuslibet præfati Monaſterij Noſtri Lubinen: *ad nos noſtrumq; Conventum futuri Abbatis Canonica electio ſpectat & pertinet*, poſt vero canonicam & legitimam electionem per nos, noſtrumq; Conventum *in fratrem Conventus noſtri* Canonice factam, ante Confirmationem, proviſionemve & Conſecrationem, prout ex debito tenemur, eundem fratrem electum per ſe vel per alium fratrem Conventûs noſtri Sereniſſimo Principi & D. Domino Caſimiro Dei gratiâ Regi Poloniæ, magno Duci Lithvaniæ Ruſſiæ Pruſſiæ &c. & ejus ſucceſſoribus *debitū honorē exhibentes* tanquam Patrono & Domino gratioſiſſimo repræſentare, nec non hujusmodi electionem Abbatis futuri intimare, & notificare ſpondemus, & præſentibus pollicemur, ac etiam à ſuâ Serenitate & ſucceſſeribus legitimis humiliter votum petere, & conſenſum gratioſum poſtulare, & impetrare, prout ad hoc de Jure & conſvetudine tenemur, in quem ſua Serenitas benigna pietate præbebit votum gratioſum & conſenſum. Ad cujus quidem Electi noſtri proviſionem, confirmationemve & conſecrationem, abſq; Conſenſu præfati Seren: Regis vel ſuorum ſucceſſorum, nullô modô procedemus, nec procedere volumus, donec prius conſenſus deſuper Regius fuerit nobis benigne datus. In quorum &c. Actum & datum

tum Posnaniæ 1460 &c. *Herburtus in Statutis Regni Poloniæ Tit: Abbas fol: 1.*

Num. 2.

Anno 1496. Statutum Regni contra impetrantes beneficia in præjudicium Juris Patronatûs Regii, sub Joanne Alberto Rege Poloniæ.

Si quispiam beneficia *Juris Patronatus Regij, aut subditorum nostrorum*, in præjudicium & derogationem Juris Patronatûs nostri & subditorum eorundem nostrorum ex causa quacunq; *impetraverit*, Statuimus, decerenimus, & mandamus, omni bonorum suorum Communium & privatorum mobilium & immobilium, sæcularium, ærario seu fisco, vel mensæ nostræ applicandorum privatione, Ecclesiasticorũ verò Aresto, confiscatione, & extra Regnum nostrum bannitione immediate puniendos. *Idem Herburtus tit: de Jure Patron: fol. 251.*

Num. 3.

Anno 1538. sub Sigismundo 3. Sta tutum restringens liberam electionem Monachorum ad certos terminos.

Frequentibus magnisq; petitionibus atq; clamoribus subditorum nostrorum permoti, *caventes etiam ne nova dogmata ex Germania in Regnum nostrum inferantur* statuimus, ut deinceps futuris perpetuis temporibus *nemo in Abbatem cujuscunq; Monasterij in Regno nostro aut etiam in Præpositum eligi debeat, aut possit, nisi qui sit natione Polonus, hâc cautione adiectâ, ut si in eodem Monasterio aliquis ex nobili genere procreatus & idoneus Monachus reperiatur, in Abbatem ante alios eligi & recipi debeat*, atq; per nos loci ordinario præsentari. Ubi verò nullus nobilis idoneus in eodem Monasterio reperietur, tunc ex alio Monasterio ejusdem Ordinis & Religionis vir nobilis & idoneus erit deligendus seu postulandus, in defectu autem nobilis idonei, *licitum erit & liberum plebejum idoneum natione Polonum in Abbatem eligere &c. Ex eodem Herburto Tit: Abbas fol: 3.*

Num. 4.

ConstitutioSynodalis Anni 1542. abrogans præfatum Statutum Regni, & injungens servare Jus liberæ Electionis Abbatum Regularium.

Admoniti diligenter per Clerum Reverendissimi Domini Archiepiscopus & Episcopi, promiserunt se deinceps in Comitiis publicis in nova Statuta libertatem Ecclesiasticam tollentia absq; consensu Synodi Provincialis non consensuros, maximè verò in Statutum novum, contra liberam Canonicamq; Electionem Abbatum in Monasteriis (ut scilicet soli nobiles Monachi Abbatiis præficerentur) factum, quod quidem Statutum novum,

ut

ut potè Regulas & modum vivendi omnium Ordinum & Religionum enervans, *est ipso Jure nullum, & Statum Monachalem minimè obligans, conditoresq; ejusdem Statuti, nec non illi consentientes à sacris Canonibus & Statutis Provincialibus sunt excommunicati ipso facto.* Et licet hoc ipsum Statutum abrogatione non indigeat, *cum sit ipso Jure nullum ex defectu potestatis & Jurisdictionis*, nihilonimus Rever: DD. Archiepiscopus & Episcopi in futuris Comitiis Regni, ut illud Statutum (inquantum aliquod sit) penitus abrogetur, curabunt. Et infra. *Decrevit etiam S. Synodus ne de cætero Sæculares, & alÿ in Abbates eligantur præterquam Monachi probati & Professi, secundum singulorum Ordinum Regulares sanctiones & antiquam consvetudinem. Ex lib. 1. Constitutionum Synodalium Regni Poloniæ. Tit: de Abbatum Electione pag. 57.* A.

B.

Secunda constitutio Synodalis 1544. primæ conformis, per quam Statutum Regni restringens libertatem eligentium non observatum esse à Monachis, attestatur Synod9.

Præterea cum Synodus supplicaret diligenter RR. DD. Archiepiscopo & Episcopis, ne in confirmandis electis Abbatibus & Præpositis quorumcunq; Ordinum sese difficiles prætextu cujusdam constitutionis Regni præbeant, maximè cum experientiâ edoctum sit, constitutionem illam fore admodum Monasterijs ipsis damnosam & libertati Ecclesiasticæ contrariam, *fueritq; per actus contrarios eidem constitutioni contraventum*, promisit libenter Reverendis: D. Archiepiscopus, & *promittit quantum in se est, se daturū operam, ut in desvetudinem constitutio illa veniat.*

Num. 5.

Statutum Regni de A.D. 1550. quo Statuitur sub Sigismundo Augusto Rege Poloniæ servitus alia Regularibus, ut Professo Nobili non existente idoneo, qui eligi possit in Abbatem, eligatur spiritualis Nobilis non Professus.

Ut donationes Monasteriorum conservari possint facilius, renovando Statutum Anno 1538. conditum, statuimus: *ut nemo in Abbatem eligatur, nisi Polonus, nobilis, ex Patre & Matre & homo idoneus.* Quod si in eo Monasterio, in quo Abbatia vacabit, non reperiretur Professus idoneus, nobilis, inibi assiduè & antiquitus habitans, ut ex eadem Diæcesi, in qua est Monasterium, *nobilis idoneus, Status Spiritualis eligatur & postuletur in Abbatem.* Cumq; sic eligetur improfessus, debebit per nos loci ordinario præsentari, & postea per illum institui vel confirmari in Abbatem

Num. 6.

Synodus Provincialis celebrata sub Nicolao Dzierzgovio A D 1551. abrogans Statutum Regni immediatum obviansq; Commendis, injungit liberam electionem Abbatum nonnisi Regularium.

batem, *& Regulam profiteri &c. Ex Herburto Tit: Abbas fol: 4.*

Ille quoq; gravis, *& antea inauditus injuriæ ictus Monasteriis videtur esse inflictus ab eis, qui deberent Jura & Privilegia Monasteriorum manutenere, & illabata custodire*, ea tamen Jura, sæpius ab illis infringuntur, *dum scilicet ab eisdem ad Abbatias titulo Commendarum vel etiam Coadjutoriarum Sæculares Personæ, Regulam nunquam professæ, de facto intruduntur*, revera non Monasteriorum, neq; devotionis causâ, sed duntaxat, *ut cupiditati & ambitioni illorum satisfiat.* Quarè decrevit sacra Synodus, ut Reverendissimi D. locorum Ordinarij Officij sui (quod tuendis Juribus Monasticis debent) sint memores, & ipsi ab intrudendis quovis modô & titulô in illa sæcularibus Personis abstineant, & per alios quoscunq; id fieri non patiantur &c. diligenterq; Conventus Monasteriorum admoneant, ut ad Abbatias aut Præposituras sic vacantes *viri pij, graves, & exemplares, Regulæq; periti & vitæ sanctimonia conspicui, & ad res gerendas idonei eligantur & promoveantur.* Si verò tales Conventus *mere liberè* ac simpliciter sæcularem, in sacris tamen constitutum, postulare mutuô consensu voluerint, talis non prius benedicatur, nec ejus electio seu postulatio approbetur, *quoadusq; Professionem Omnium substantialium Regulæ (habitu prius Regulari & tonsurâ susceptis) solemniter fecerit.*

Num. 7.

Julius III. A. D. 1552. prospiciendo libertati electionis Regularium Abbatum, Monachis Cistercien. Poloniæ ab antiquo de Iure competenti, inhibet circa illam à quopiam perturbari.

JULIUS III. Episcopus, servus servorũ Dei &c. Episcopo Posnanien. Querelam Andreæ Spoth, Episcopi Laodicen. Abbatis Regularis Monasterij in Mogila Claræ Tumbæ, & Commissarij Ordinis Cistercien. accepimus continentem, quod licet quæcunq; electiones & postulationes de Personis idoneis, absq; aliqua ambitione aut favore liberè celebrari de Jure debeant, tamen nonnulli locorum Ordinarij Regni Poloniæ, aliquibus Monasteriis Cistercien. Ordinis Abbatum regimine destitutis, liberas electiones vel postulationes de Personis idoneis factas, & fiendas juxta Statuta Regularia & Privilegia Apostolica dicti Ordinis, impedire, ac Personas eis gratas etiam sæcula-

culares comminationibus, & modis illicitis eligi facere ausi sunt &c. & in posterum se velle facere jactant, *in ipsorum Monasteriorum, & illorum observantiæ Regularis perturbationem, & grave scandalum.* Quare pro parte ejusdem Andreæ Commissarii Omnium Monasteriorum Cistercien, nobis fuit supplicatum, ut Ordinarios & alios impedientes, nitentes, & se jactantes præfatos, ab impedimentis, comminationibus, & jactationibꝰ hujusmodi compesci, ac sic eorum svasione & favore electos, & juxta instituta nec non privilegia ipsa non qualificatos, electionis & Confirmationis, nec non præfectionis beneficio destitui, eisq; impedientibus, comminationibus & se jactantibus præfatis, etiamsi Episcopali præfulgerent dignitate &c. quoties talia in posterum præsumant, *nec se in exercitio Officij dicti Andreæ Commissarij ullatenus immisceant inhiberi*, quinimò eum ad electionem cum Monachis eligentibus procedere præcipi, & statui, inhiberi etiam sub censuris & pænis Ecclesiasticis, juris remediis mandare, aliasq; in præmissis opportunè providere &c. dignaremur. Quo circa discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint vocandi, dictos impedientes, nitentes & jactantes ab his compescere, eisq; ac aliis præfatis inhibere &c. *curetes &c. Datum Romæ &c 1552. Undecimo calendas Februarij, Pontificatûs nostri, Anno tertio.*

Num. 8.

A. D. 1554. Sigismundus Augustus Rex Poloniæ, Confirmat Privilegia & antiquam Consvetudinem libere eligendi Abbates Regulares Ordinis Cistercien: & mandat in illa non inquietari â quopiam.

Sigismundus Augustus Rex Poloniæ &c. Significamus universis & Singulis, quomodo nomine Religiosorum, Lamberti Abbatis, totiusq; Conventus Monasterij in Oliva & Jodoci Abbatis Pelplin. Cistercien. Ordinis &c. oblata nobis supplicatio continebat: Quod licet ipsi eorumq; Monasteria, ac omnia Religiosa loca, tam Apostolicæ sedis, quàm Regum Privilegiis, immunitatibus, libertatibus, juribus in omnibus bonis suis adeò sunt ditati, *ut nec ipsis, nec eorum bonis, per quascunq; literas &c. possit, nec debeat derogari; & licet præfata Monasteria hactenus â multis centum annis, vigore Privilegiorum Statutorumq; dicti Ordinis, suos Abbates*

bates &c. absq; cujusvis impedimento & contradictione elegerint, atq; vigore definitionum Statutorumq; Cistercien. Ordinis à multis annis hæc consvetudo eligendi sit servata, quod electiones Abbatum liberè celebraverint &c. sicut in Privilegiis & Statutis eorum latius continetur; tamen permulti hoc tempore, dictorum Monasteriorum privilegia, immunitates libertates Statutaq; impedire præsumunt, *& antiquas consvetudines infringere conantur.* Quâpropter nobis &c. supplicatum est, ut eorum Monasteriorum Privilegia, immunitates, libertates, Statuta, & antiquas consvetudines &c. Authoritate nostra Regia confirmare & approbare dignaremur; cui petitioni &c. *Nos de unanimi Consiliorum nostrorum consensu & voluntate, præfatorum Monasteriorum Ord. Cist. privilegia, immunitates, libertates, Statuta, omnesq; antiquas consvetudines, in omnibus punctis, clausulis, ratificavimus, confirmavimus & approbavimus, prout ratificamus, & approbamus. Decernentes &c. ut Monasteria dicti Ordinis omnibus eorum Statutis, & consvetudinibus prædictis, quibus hactenus usi sunt, quietè & pacificè sine alicujus impedimento fruantur, & quæcunq; ipsis, tum à sede Apostolica, tum à Regibus & Principibus, omnibusq; aliis indulta sunt, tam in genere quam in specie, sine ulla turbatione, uti queant, & valeant in perpetuum. Literis contra talia dictorum Monasteriorum Privilegia, immunitates, libertates, Statuta, & antiquas celebres consvetudines, quoquô modô impetratis, non obstantibus. Datum Lublini* 1554. *&c. Regni Nostri* 25.

Abrogatur impetratio literarum præjudicantium Juribus Monachorum.

Simile Privilegium 1562. Idem Rex confert in favorem Monasterii Miechovien. Ord. Canonicorum Regularium S. sepulchri, per quod eos effecurat, in tuitione liberæ electionis Regularis Abbatis.

Nos Sigismundus Augustus &c. quia cupientes animi nostri propensionem, erga Præpositum, fratresq; Conventûs Michovien. declarare &c. motu, & Authoritate nostris propriis, cavendum eidem Monasterio, fratribusq; in eo nunc & pro tempore commorantibus, eosq; assecurandos duximus &c. *Quod quando & qvoties vacatio Præpositure Miechovien. contingerit, in libera & Canonica Electione Præpositi, ut antea semper fuit, & est observata, ipsos fratres conservabimus, & tuebimur, Serenissimiq; successores nostri conservabunt, & tuebuntur, neminemq; ex sæcularibus, sed nec Clericis eum Ordinem non professis, & antea in illo non commorantibus, aut vi, aut arte aliquâ, sese ingerere permittemus, sed quem ipsi fratres tempore ejus-*

dem Præpositura vacationis Canonicè, & votis concordibus ex numero sui sunt electuri, eum nos pro vero & legitimo Præposito. Miechoviensi, sumus habituri, eumq; conservaturi &c. promittimus. Nosq; & illos, perpetuo obligamus, nunquam nos passuros, ut dictum Monasterium Miechovien. vel ejus Præpositura Episcopatui alicui aut Prælaturæ adjungatur, seu incorporetur, sed perpetuis temporibus, ab omnibus Unionibus & incorporationibus, libera & immunis permanebit, & permanere debebit &c. Datum Lomzæ. 1562. &c. Regni vero nostri 32.

Commendæ abrogantur.

Num. 9.

A. 1556.
Synodalis Constitio excludens sæculares Clericos ab Abbatiis Regularium.

Ad Abbatias & Præposituras Regulares, *ad quas execrabilis quorundam Sæcularium Clericorum Ambitio irrumpere, timore DEI abjectô non veretur. Decrevit sacra Synodus, ut non nisi Regulares & Professi juxta dispositionem Juris Communis, liberè eligantur, cessante quôvis, quârumcunq; Personarum metu, & coactione. Ex lib.* 1. *Constit. tit. de Abbatum electione. Item Statuimus, ut nullus Monachus in Abbatem, nisi dudum Professus fuerit, assumatur, & eligatur,* & si aliter sint assumpti, seu electi, â suis amoveantur Monasteriis, & alij subrogentur, seu substituantur. *Ex lib. 3 tit. de Statu Monachorum.*

Num. 10.

A. 1577.
Synodus mandat servari Monachis Jus liberæ electionis Abbatum Regularium ad formam dispositionis Concilij Triden. & quod nihil ex Cancellaria Regni contra hujusmodi dispositionem expediatur.

Jus electionis liberæ Abbatum, & Præpositorum Regularium, secundum sacros Canones, Concilij Tridentini Decreta, & Statuta Provincialia, penitus observetur, & retineatur, denīq; operam locorum Ordinarij, & Superiores Regularium, *ut ad munera Abbatiarum, homines idonei eligantur, qui regularem observantiam sint professi, vel profiteri necesse habeant, de quorum Regularium Juribus, privilegiis, & libertatibus, Reverendiss. DD. Archiepiscopus, & Episcopi, Regiam Majestatem benè informent, Authoritateq; sua efficiant, ne ex Cancellaria Sacræ Regiæ Majestatis, literæ, Juribus & libertatibus Monasteriorum contrariæ, cuiquam concedantur.* Si vero ad falsam alicujus narrationem, importunamq; instantiam, aliquando concessæ fuerint, *tanquam Juri communi contrariæ nullum robur habere â Regia Majestate decernantur.* Quod si quis, *perversâ cupiditate impulsus, cujusvis Potestatis prætextu in Monasteria, eorumq; bona se intruserit,* is, ultra pænas in sacris Canonibus sancitas, *pro violatore Juris & libertatis Ecclesiasticæ habeatur*, totiusq; Cleri nomine, contra eum Sacræ Regiæ Majestatis præsidium imploretur.

GRE-

Num. 11.

A. D. 1577. Prædictæ Constitutiones Synodales per Gregorium XIII. Pontificem confirmantur.

GREGORIUS Papa XIII. &c. Legimus, diligentissiméq; consideravimus ejus Synodi acta, & Decreta, eaq; etiam à VV. Fratribus nostris Cardinalibus, sacri Concilij interpretibus considerari voluimus &c. quoniam fuerunt reperta omnia sapienter, piéq; constituta & tum Clero tum Regno universo salutaria &c. *Hortamur igitur Authoritate Apostolicâ, ut ejus Synodi Decreta omnia inviolabiliter serventur &c. Datt. 29. Decembris 1577.*

Num. 12.

A. D. 1577. Rex Constitutiones Synodales & S. Concil. Trident: circa liberas electiones Abbatum Regularium, acceptat.

Charissimo &c. Stephano Regi Poloniæ illustri &c. salutem &c. Reddidit nobis literas Majestatis tuæ, Jacobus Canonicus Posnaniensis, & cum his, Acta Synodi Provincialis, incredibiliter lætati sumus; sic enim cognovimus fuisse sanctissimo Jurejurando admissa Decreta & Canones S. Conc: Trid. consideravimus etiam diligentissimè ejusdem Synodi Acta, vidimusq; omnia fuisse pie & sapienter decreta, Est igitur quod universè gratulemur isti Regno, his enim duobus quasi fundamentis fidei, nimirum *sinceritate, & Ecclesiasticæ disciplinæ integritate, nititur Regnorum omnium & Rerum publicarum salus*, quibus sublatis, nullæ planè sunt ingenij & Consilij vires. Gratulamur etiam Majestati tuæ, habes enim in literis Episcoporum & Cleri Universi ad nos datis, plæclarum testimonium pietatis, studij; diligentiæ in tam præstanti tamq; DEO accepto negotio conficiendo. Quid igitur restat, DEO primum gratias agamus, tum nitamur omni studio, ut tam salutaria Decreta, inviolatè serventur, quod nos quidem curabimus quantum poterimus, tuum quoq: erit quidquid poteris auxilij atq; opis conferre, ac meminisse præclaræ illius Augustini sententiæ: *Felices Principes esse dicimus, si suam potestatem ad DEI cultum maximê dilatandum, Majestati ejus famulam faciant;* Posse te plurimum omnes intelligunt, velle dubitat nemo &c. *Datt. Romæ 29. Decembris 1577.*

Num. 13.

An. D. 1585.

STEPHANUS Rex Poloniæ &c. Venerabili Stanislao Rescio &c. mortuus est nuper Abbas Andreovien.

Sta-

Stanislaus Bialobrzeski &c. de ea Abbatia scripsimus ad R. D. Episcopum Cracovien. ut ipse (*si potiri eâ Abbatiâ velis*) procuret pro sua loci ordinarij potestate, *ut â Monachis eligaris.* Igitur si res ista tibi cordi fuerit, D. Episcopum quàm primum facias certiorem, serióq; negotium aggrediaris; *scribimus etiam ad Conventum Androvien. summâ cum diligentia recommendando Personam vestram ut vota & sententias in favorem Dominationis tuæ conferant, &c. Varsaviæ 13. Octobr. 1585. Stephanus Rex.*

Rex Stephanus fatetur liberam electionem competere Cisterciensibus.

Num. 14.

A. D. 1588. Statutum sub Sigismundo 3tio, quô mandatur, ut eligâtur â monachis Personæ qualificatæ, juxta anteriorem Constitutionem, & additur nova servitus, ut electus insinuetur Regi. *A.*

Præcaventes ne ad Abbatias & Præposituras Regulares per inordinatas electiones Monasteriorū personæ incapaces, sed ut competenter & ad formam Constitutionis Anni 1550. suô modô & ordine eligantur, Statuimus ut loci Ordinarij post obitum Abbatis habeant curam & administrationem Monasteriorum vacantium, ita tamen ut proventus sint in potestate Monachorum, & ut Episcopi post factam nobis relationem de morte Abbatis, cito faciant intimare electionem, conferendo nobiscum, ut Jus & consvetudo antiqua conservetur, *Abbatem vero competenter & liberè per Monachos electum, juxta formam Juris antiqui,* nobis postea denuntient, & de electione hujusmodi significent &c. &c.

A. D. 1607. Aliud Statutum præcedens, Confirmans suppositâ pariter libertate electionis Abbatis Regularis penes Monachos *B.*

Inhærendo constitutionibus Anni 1550. & 1588. in quibus statutum fuit, ne ad Abbatias & Præposituras Regulares incapaces eligantur â Monasteriis, sed *ut capaces & sui Ordinis Monachi nobiles ad vacantes Abbatias liberè eligantur & promoveantur â Monachis, Statuimus ut secundum antiquum Ius competenter electis Religiosis conferantur Abbatiæ â Monachis,* Juribus nostris per omnia salvis. Volumus etiam quod *neq; Abbatiæ neq; Præposituræ Regulares debeant uniri Episcopatibus,* neq; duas Abbatias potest posidere una Persona; *quod si quis præsumpserit obtinere & possidere Abbatiam contra præscriptum hujus Statuti &c. &c. tales succumbere debent pœnis, contra Cortesanos in Iure expressis.*

Num. 15.

A. D. 1667. Joannes Casimirus Rex Poloniæ confirmat Ci-

Joannes Casimirus Rex Poloniæ &c. Significamus præsentibus literis nostris &c. Cum itaq; supplica-

 tum

stercien. Poloniæ Jus liberæ electionis Abbatum Regularium, ab antiquo competens, & decernit subreptitium esse quidquid in contrarium ex Regia Cancellaria emanabit,& tam suo, quam successorum suorũ nomine spõdet, Juribus Cisterciensium se non derogaturũ, ne in minimo puncto.

tum esset nobis per certos Consiliarios nostros, nomine Religionis Cistercien. quatenus illam circa Jura antiqua & Privilegia, â Prædecessoribus nostris collata (*inhærendo Juribus à sede Apostolica dictæ Religioni elargitis*) conservare, & manutenere dignaremur. &c. *Nos nihil æquius rati, quam tam justæ supplicationi annuere, ex speciali favore, quô erga hunc exemplarem in Regno nostro Sacrum Ordinem Cistercien. ferimur, vigereq; illum & multiplicari in Regno nostro quam maxime percupimus*, dictæ familiæ Patres Cistercien. circa prædicta Jura & Privilegia &c. *præcipuè verò circa liberas electiones Abbatũ, conservamus manutenemus, & confirmamq, contra quarum electionum libertatem & consvetudinem usu firmatam, si aliquid speciale, â nobis, vel successoribus nostris, concessum fuerit, pro subreptitio id totum haberi volumus, nec liceat cuipiam in posterum â data præsentium, absq; prævia electione Monasteriorum, recurrere ad sanctam Sedem Apostolicam pro dispensationibus ad capiendam possessionem, sub nullitate obtentarum Apostolicarum. Decernentes eadem Iura dicti Ordinis Cistercien. vim, & robur, perpetuæ firmitatis obtinere debere. Promittentes nostro & successorum nostrorum nomine, quod neq; nos, neq; successores nostri, Iuribus Privilegiis, & immuniatibus dicti Ordinis, (insistendo Iuribus eidem a sede Apostolicâ concessis) â Serenissimis Regibus nostris dicto Ordini Cistercien. benignè elargitis, ne in minimo puncto derogabimus, vel derogari permittemus. &c. Datt: Varsaviæ &c. 20. Ianuarij 1667. Ioannes Casimirus Rex.*

Num. 16.

A. D. 1668. Breve Clementis IX. quo circa libertatem electionis Abbatum Regularium conservantur Cistercien. ex consilio S. Cong. Episcoporum & Regulariũ.

CLEMENS PAPA. IX. Ad futuram rei memoriam. *In sublimi &c.* Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Cistercien. quod cum Alexander Papa VII. per quasdam suas in simili forma Brevis die 19. Aprilis 1666. super reformatione Generali dicti Ordinis emanatas literas, inter alia prohibuerit, ne ullus postea in Abbatem Generalem Ordinis prædicti eligeretur, qui eundem Ordinem non esset expresse professus, & taliter facta electio esset ipso Jure nulla, & sic eligentes pænam privationis vocis activæ & passivæ in perpetuum eô ipsô absq; alia declaratione incurrerent. Abbates dicti Ordinis in ultimo eorum Capitulo Generali

rali Cistercij 9. May 1667. & aliis &c. celebrato congregati publico ejusdem Ordinis bono profuturam existimarunt, prohibitionis & pænarum hujusmodi extensionem, ad alios quosq; Ordinis prædicti Religiosos, qui Personas eundem Ordinem non Professas in Abbates aliorum Monasteriorum ipsius Ordinis elegerint. Nobis propterea dictus Procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis oportunè providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur: *Nos igitur &c. de Venerabilium F. F. nostrorum Sacræ Rom. Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium Præpositorum Consilio prohibemus, ne ullus in posterum qui Ordinem supradictum non sit expressè professus in Abbatem cujuscunq; Monasterij ejusdem Ordinis eligatur, alioquin taliter facta electio sit ipsô Iure nulla. Et sic eligentes pænam privationis vocis activæ & passivæ in perpetuum eô ipsô absq; alia declaratione incurrant*, Authoritate Apostolicâ, tenore præsentium prohibemus pariter, & interdicimus. Decernentes &c. sicq; in præmissis per quoscunq; Judices &c. judicari & definiri debere, ac irritum &c. *non obstantibus constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis &c. Datt. 7. Decemb. 1668.*

Num. 17.

A. D. 1669. Michael Rex Poloniæ, diploma Joannis Casimiri in favorem Cistercien. Poloniæ, aliasq; Pontificias dispositiones circa liberas electiones Regularium Poloniæ Abbatũ confirmat.

Michael Rex Poloniæ &c. significamus &c. Cum productæ essent coram nobis &c. literæ Serenissimi Joannis Casimiri Prædecessoris nostri manu subscriptæ, continentes in se confirmationem generalem eidem S. Ordini Cistercien. omnium Jurium, præcipuè verò circa liberas electiones, *contra quarum libertatem & consvetudinem usu firmatam, si aliquid ex Cancellaria Regni emanaret pro subreptitio haberi, nec licere cuiquam in posterum, â data præsentium absq; prævia electione Monasteriorũ, ad S. Sedem pro dispensationibus ad capiendam possessionem recurrere, sub nullitate obtentorum &c.* prout declaratum est in eodem privilegio &c. supplicatumq; est nobis, quatenus prædictas literas Authoritâte nostra Regiâ approbare, confirmare, & ratificare dignaremur. *Nos nihil æquius existimantes, quam Sacrosanctas Iuris Pontificij ordinationes, omniaq; alia Ecclesiastica Statuta, & immunita-*

nitates, non solum observare inviolabiliter, sed etiam conservare, & ut ab omnibus observentur, praecavere. &c: praeinsertas literas, in omnibus earum punctis, clausulis, articulis, & conditionibus, approbandas, confirmandas, & ratificandas esse duximus, prout quidem Authoritate nostra Regiâ, approbamus, confirmamus, & ratificamus. &c. decernentes eas vim & robur perpetuae firmitatis, (inquantum juri Communi non repugnant, & usus earum habetur,) *obtinere debere. Dat. Cracov. in Comit. Coronat. nostrae, die 29. Octobris 1669. Michael Rex.*

Num. 18.

An. 1672. Ordo datus ab Eminen. D. Cardinali Carpineio Prodatario, quo mandat reportari literas Apost. ut corrigantur & apponantur clausulae adstringentes ad verificationem Juris Patronatûs.

Gaspar de Carpineio &c. SS. D. N. Papae Prodatarius. Universis &c. notum facimus & attestamur, qualiter die infrascriptâ, proparte & ad instantiam Rev. D. Abbatis Andreovien. principalis, citato desuper coram nobis D. Valentino Budesson ex adverso Procuratore ad comparendum &c: ad videndum declarari executionem literarum Apostolicarum Abbatiae Andreovien. Cracovi. Diaeces. spectare ad Ill. D. Andream Trzebicki Episcopum Cracov. tantum, & non ad ejus Vicarium vel Officialem, nec ad alterum Judicem, *& procedere non posse ad illarum executionem, nisi prius verificatô assertô Jure Patronatus, & aliis in literis narratis, nec non ad reportandū, literas Apostolicas, ut corrigantur;* alias viden. gravari & impertiri novas literas ut supra concessas expediendi per D. instantem, & sumptibus D. Valentini sibi ejusq; Principali inhiberi, ad statim seu ad primam diem, & interim quandocunq;, ne sub paenis ducatorum mille, excommunicationis, suspensionis, & interdicti respectivè, audeat, ad executionem dd. literarum procedere, & decretum &c. ad d. diem, quâ adveniente, relatione factâ, comparuit D. Angelonius de Angelonis Procurator & petiit & institit ut supra. Ex tunc nos sedentes. &c: auditis &c: *inhibuimus, ut supra, & nisi infra mensem reportaverint Bullas, de quibus agitur, gravavimus juxta petita,* dicto D. Valentino Procuratore ex adverso praesente, omni &c. *Dat Romae indataria Apost. apud montem Quirinalem hac die 15. Decemb. 1672. G. Cardinalis Prodatarius.*

Chri-

Christi nomine invocato pro Tribunali sedentes & solum Deum præ oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, quam de DD. Coadjutorum nostrorum voto in his scriptis ferimus in causa & causis &c. *inter Rev. D. Andream Olszowski*, olim Epis. Culmen; & hodie Archiep. Gnesnen. â sede Apost. Provisum de Abbatia Monasterij Andreovien. Cracovien. Diæc. Or. Cister. vigore literarum Apostolicarum desuper ab eo obtentarum sexto idus Novemb. An. 1672. ad quas &c: actorem ex una, *& Rev D. Steph. Theodorum Madalinski* Abbatem Monachum ejusdem Ordinis, â Monachis electum & successivè â sede Apost tanquam de libera electione & collatione respectivè Provisum ex literis Apostolicis ab eo pariter obtentis sub die 20. Decemb. An: 1672. &c. de quibus in actis & executioni extra Romam coram executore in alio executorio Judicio demandatis, adquas &c: de & super executione literarum Apostolicarum d. R. D. Andr. Archiepiscopi, in quibus illi concedebatur hujusmodi Abbatia sive Monast. Andreovien. in Commendam, tanquam de asserto Jure Patronatus Regio, rebusq; aliis &c. *dicimus, &c. atq; definitivè sententiamus, literas Apostolicas hujusmodi ad favorem d. Rev. D. Andreæ tunc Epis. Culmen & hodie Archiep. Gnesn. expeditas, minimè fore exequendas, & executioni demandandas, sed illarũ executionem denegandã fore, & esse prout denegamus, & pro denegata haberi volumq & mandamq, minusq; constare de prætenso Jure Patronatus in illis narrato*, eidemq; minimè licuisse neq; licere d. R. D. Steph. Theodorum Madalinski Abbatem ut supra tanquam de libera electione & collatione electum, & respectivè â sede Apost. provisum molestare, vel aliquo modo perturbare, ideoq; d. D. Steph. Theodorum absolvendum & liberandum fore & esse ab impetitis, prout absolvimus & liberamus, de & super d. Abbatia, illiusq; liberâ fruitione amplius non molestari mandamus, *eidemq; D. Andreæ Archiep. Gnesn. & olim Epis. Culmen. perpetuum silentium imponendum fore & esse, prout imponimus,*

Num. 19. An, 1675. Rotalis Sententia Rev. D. Matheii S. Palatii Apost. Præfecti, exclusiva Juris Patronatus.

&

& pro imposito haberi volumus, & mandamus, victûq; victori &c. *Ita pronunciavi ego Horatius Mathæjus S. Rotæ Auditor. Romæ die Veneris 8. Martij An, 1675.*

Num. 20. A. 1675. Rotale mandatum de manu tenendo R. D. Madalinski Abbate Regulari.

Horatius Mathæjus &c: Sacræ Rotæ auditor &c. noveritis quod introducta lite & causa in S. Rotæ auditorio coram nobis inter infrascriptas partes, de & super Abbatia Monast. Andreovien. Cracov. Diæc supradictum Re. D. Stephanum Theodorum Madalinski Abbatem d. Monast. Principalem,&c. *in vera, reali, actuali, corporali, quietâ & pacifica possessione supradictæ Abbatiæ Monast. Andreovien. de qua agitur, ejusq; Abbatialis muneris & Officij, illiusq; bonorum, jurium & annexorum quorumcunq;, liberaq; fructuum illius perceptione, manuteneri, tueri & defendi mandavimus, & mandamus, amoto exindé d. Ill. & Rev. D. Andrea Olszowski, Archiep. Gnesn. ejusq; agentibus, Procuratoribus, & Ministris, & aliis illicitis detentoribus,* mandatumq; de manutenendo desuper necessarium & opportunum decrevimus & concessimus &c. adversus supradictum Ill. & Rev. D. Andream Olszowski &c. ex adverso Principalem illiusq; &c. prout nos harum serie manuteneri, defendi, & tueri, ut supra volumus & mandamus, &c. *Inhibemus præterea* omnibus & singulis supra dictis &c. & *præsertim d. Ill. D. Andreæ Olszowski &c. ne sub excommun. Suspens. & interdicti &c. eidem Rev. D. Abbati Stephano Theodoro Principali, aliquod impedimentum præstetis, seu præstent, &c. Dat. Romæ &c. An. 1675. die Lunæ 4. men. Martij.*

Num. 21. An. 1675. Literæ And. Olszovvski Arch. Gnesnen. ad Comitiola, quib9 denuntiat, quod in Rota abjudicatus est Rex Jure Patronatûs.

In primo Primitialis Dignitatis ingressu, conveniens censeo fraternâ salutatione inclytum vestrum gremium venerari &c: (*& post plurima quæ ad præsentem materiam non spectant sic prosequitur*) Quorundam Religiosorum ambitu, Jus Patronatus Regium penitus est convulsum, intrusi Andreoviam, Coronoviam, Mstoviam, Hebdoviam, ex Czyricen. Coadjutoriam, sine præsentatione Regia Abbates, & quidem duo postremi fors etiam genere impares, *emanarunt duo Decreta Rotæ Romanæ, quibus ex sinistra informatione abjudicatus Rex Jure Patronatus, eâ potissimum de causa; quod non habeat Privilegium à Pontifice in limine fun-*

da-

dationis, quodvè Reges Poloniæ commendaverint, non nominaverint eligendos Abbates. Non tam ego ex meo intereſſe, quod minoris duco, quam ex obligatione boni civis, & juramento Regi & Reipub. Senatoris, hac in parte præmoneo, &c. *ſequor exempla Magnorum Archiep. in tali caſu, præſidium Reipub. ſi opus fuerit pro defenſione invoco,* publica res agitur, dignitatem Primatialem pro cardine libertatis, pro decore Gentis, Majores veſtri ſemper judicabant, &c. documenta Juris mei in publicum dabo, minime dubius me fraterno favore veſtro non deſerendum contra quoscunq; oppugnatores, uti nec ego jura, libertates nobilium, boniq; publici partes deſeram &c. *Ex Zaluſcii tom 1. fol. 672.*

Num. 22. An. 1676. Rotale Interdictum, contra Archiep. Gnen. latum.

Per hanc declaratoriam Sententiam, quam de DD. Coadjutorum conſilio & voto in his ſcriptis ferimus in cauſa & cauſis, quæ primo & in prima ſeu alia veriori, coram nobis tanquam ſubrogato in locum Rev. D. Mathæi S. Palatij Apoſt. Præfecti verſæ fuerunt & vertuntur, in ſtantiis, *inter R. P. Theodorum Madalinski* Monachum Abbatem Monaſt. B. M. Andreovien. Ord. Ciſt. Diæc. Cracov. Actorem ex una, *& R. D. Andream Olszowski* Archiep. Gneſn. quondam Epiſc. Culmen. nec non D. Stanislaum Olſzowski Tribunum Culmen. Wenceslaum Reklowski &c. poſſeſſores, arendatores, & Colonos d. Abbatiæ Andreovien. reos conventos partibus ex altera, de & ſuper paritione mandato, de manutenendo in favorem d. Theodori Abbatis Andreovien. per ſupra ſcriptum D. Mathæium relaxato, illoq; perſonaliter præſentato, rebusq; aliis in actis cauſæ & cauſarum hujusmodi latius deductis, *dicimus, ſententiamus, &c, d. R. D. Andream Archiep. & alios reos conventos ſupra ſpecificatos, niſi infra duos menſes à die intimationis præſentis noſtræ ſententiæ declaratoriæ, ſivè illius inſtrumenti etiam per affixionem ad valvas Eccleſiæ ſolitæ reſidentiæ, quo ad D. Archiepiſcopum, & quo ad alios Perſonaliter faciendæ, computandos realiter & cum effectu*

eidem mandato paruerint, ex nunc prout ex tunc, quô ad Rev. D. Archiepiscopum suspensionis â Divinis, interdicti ingressus Ecclesiæ, quô vero ad alios excommunicationis, aliasq; Ecclesiasticas sententias, Censuras, & pœnas, in d. mandato de manutenendo comminatas ob non paritionem d. mandato illis intimato, possessionis bonorum Abbatiæ Andreovien. non dimissionem, fructuumq; perceptorum, non restitutionem, damnabiliter incidisse, & incurrisse. Ipsumq; D. Archiepis. sic suspensum & interdictum, alios vero excommunicatos & declaratos publicè denuntiatos, & ab omnibus Christi fidelibus arctius evitandos, literasq; declaratorias desuper necessarias & opportunas decernendas fore & esse, prout *declaramus, evitari mandamus, decernimus, &c. &c.* Ita pronunciavi. *Jacobus Emerix S. Rotæ auditor. Romæ. An. 1676. die veneris 20. Nov.*

Num. 23.

Joonn.III. Rex recognoscit Jus liberæ electionis competere Cistercien. quibus suum Patrocinium appromittit.

Reverendis. Pater. Post mortem R. P. Abbatis Monasterij Coronovien. credo quod istud Monasterium carens suo Abbate, non solum affligit totam vestram Religionem Cistercien. verum etiam *auget anxiam solicitudinem pro conservatione Jurium & immunitatum libertatis electionum, quam spectare ad vestra Monasteria, licet nemo nostrum dubitet, tamen Sæcularium potens dignitatis ambitus ad vestras Abbatias, aliquando solet convellere & lædere dictam libertatem eligendi. Nos, sicut solebamus favere conservationi antiquorum Jurium & manutentioni libertatis eligendi, ita & apud Rempub. in Comitiis Publicis parati sumus juvare & patrocinari dictæ libertati electionum &c.* Verum quia ad constituendam facilitatem votorum in hujusmodi electionibus Abbatum, præcipua habenda est consideratio talium Religiosorum eligendorum, qui non solum vitâ Monasticâ, doctrinâ & prudentiâ, sed etiam nobili genere sint decorati, cujus non leve est momentum, ideò ad d. Abbatiam Coronovien. idoneum esse existimando RP. Los Professum vestri Ord. integritate morum & splendore nobili conspicuum, nobisq; optimè notum, *eundem RP. vestræ commendamus*, promittentes nostram benevolentiam &c.

&c: tam particulariter R. P. U. quàm toti Religioni Cistercien-si præstandam. *Dat: in Gniew die 29 Decemb. 1674.*

Num. 24. An. 1684. Impugnatio facta per Provinciale Capitulum Ordinis Cister. porrecti ex adverso memorialis.

Beatissime Pater. Suprema Sanctitatis Vestræ gratiarum dispensatrix Dextera, humiles sveta beare, & protegere supplices, ubi adversis præmuntur; si quando, nunc plenè conjurata invidiæ ambitionisq; tela Ordo Cisterciensis in Regno Poloniæ experitur, cum â tot sæculis in tranquillo manens, nunc continuò agitatus, & jam exhaustus motu, ultimam sibi imminere videt perniciem, eò enim validiùs impetitur, quò simulatô licuit adversarijs uti colore, ut sic denigrati coram Sanctitate Vestra, quasi â Regulari observantia deviantes, maneamus. Pridem jam succumbendum erat, nisi benigna Sanctitatis Vestræ Dextera humiles protexisset piô Sanctissimorum Prædecessorum Zelô pro hoc Ordine, obviando, ne hic peculiari cultui Religionis dicatus panis, alienas deveniat in manus, parvulis petentibus eundem, ipse demum feliciter nunc regnans Serenis: Rex IOANNES III. pari Prædecessorum suorum exemplô, qui hunc ordinem non pridem testimonio Regio exemplarem esse censuerunt, eundem hic singulari fovet protectione, *indeq; patet præter magnanimam Regiam mentem, non ita pridem injuriosum Ordini Nostro porrectum fuisse Sanctitati Vestræ memoriale.* Si aliquid in nobis est, quod oculos invidorum offendat, non hoc, quod â Regula devium, nam aliter patet, *sed ideò inculpamur, ut commendemur, & quasi indignis nobis pane Religioso, alii repleantur.* Innocentiam hanc Provinciæ humili prosternimus S. V. prece, per humilem Oratorem Nostrum, ut hunc, quem invidiæ æstus paravit colorem, gemitu lachrymisq; nostris diluere valeamus &c. Quam Deus &c. *S. V. humillimi Oratores. F. Joan: Zapolski Abbas Landen: Vicarius Generalis &c. F. Georgius &c. sequuntur aliæ subscriptiones,*

Num: 25. An: 1686. Decretum Capituli Gener. Ord. Cister. revocans attentatam concordiam Abbatum Poloniæ,

Quia ad audientiam Capituli, ex relatione Procuratoris Generalis in Curia, pervenit, aliquos Abbates Ordinis Nostri in Regno Poloniæ, quasdam conventiones inijsse cum Ser. Rege, quæ libertatem in Electionibus Abbatum, imò jus eligendi cædunt; *Capitulum Generale non obstantibus allegatis â R. D. Abbate de Bledzovio, approbare non volens hujusmodi conventiones, Procuratori Generali in Curia mandat, & præcipit, quatenus procuret â Sede Apostolica, Ordinem Cister: in suo Jure manu teneri.*

Num: 26.
An. 1692.
Innocen: XII.
Breve Apostolicum ad Emi nent. Cardinalem Radzieiowski proscopi enda controversia Abbatiarum Polon.

INNOCENTIUS Papa XII Dilecte Fili Noster, salutem & Apostolicam benedictionem. Quamvis *in causa de Juribus Patronatûs*, quam sedulò promovere contendit Relig: Vir.P. Carolus Mauritius Vota è S. J. *gravissimi sese opponant impedimenta, quòminus votis Regijs annuamus*; quia tamen effusô quôdam Paternæ Charitatis affectu, Regem ipsum, ob eximia ejusdem in Christianam Rempub: promerita, prosequimur, in mandatis dedimus Venerab: Fratri Andreæ Archiepiscopo Seleuciensi, ut controversiam componere studeat, de hujusmodi autem deliberatione certiorem te reddimus, quô operam quoq. tuam in eo impendas, minimè dubitantes, quin pro Consilio, quô præstas, & authoritate, quâ polles, viam nobis aperias ad supremam tanto negotio manum ingenti cum animi nostri gaudio imponendam. Tibi verò interim Dilecte Fili Noster, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. *Datum Romæ apud S. Mar: Majorem sub Annulo Piscatoris Die* 15 *Novemb: MDCXCII.*

Num: 27.
Punctum ex pactis Conventis Seren. Augusti II. Re. Poloniæ.

Jura *Patronatûs Nostri* in Episcopatus, Abbatias, Præposituras, collationis *Nostræ* Regiæ, & omnia Ecclesiastica beneficia, inviolabiliter manutenebimus, & legem de illis in integrum sicut de Cortesanis ad executionem effectivè deducemus, & contra eos qui absq; nominatione Regia qualicunq; modo in memorata beneficia audent, aut audebunt se intrudere, oppositionem exemplô Antecessorum Nostrorum Regum Poloniæ faciemus. Et quia controversia de Jure Patronatûs Regio Abbatiarum non pridem Romæ cœpta, impedit executionem Nominationum Regiarum, spondemus hoc Jus manutenere & procurare, ut nominati juxta Jura sua in Abbatias à Ser. Antecessore Nostro, veniant ad possessionem illarum. &c

Num: 28.
Privilegium omnium antiquissimum Vladislai Ducis Poloniæ, quo, accepta veriori informatione, renunciat præsensus olim à

In nomine Ss. & individuæ Trinit: Ego Vladislaus Filius Odonis, DEI Gratia Dux Poloniæ, tàm præsentibus quàm futuris, præsens scriptum inspecturis, innotescere curavi; quoniam ob Reverentiam & honorem D. N. IEsu Christi & S. Alberti Martyris, ad instantiam D Fulconis Gnesnen: Archiepiscôpi & aliorum prudentum Virorum, *Juri*, *quod hactenus in Collationibus Præbendarum Gnesn: Ecclesiæ credebam mihi competere, prorsus renuntio*, eas eidem Archiepiscopo, ac ejus Successoribus, liberè cui voluerint conferendas, salvô eô, si fortè per gratiam Domini ipsius aliquid potero habere. *Renuntio & omni ordinatio-*

ni

ni Spiritualis Juris, tam Domorum Religiosarum, quàm Sæcularium Ecclesiarum. Innovo item libertatem &c. Hæc autem ut perpetua & inviolata â me & â Posteris meis consistant, Juramentô confirmo,& munimine Sigilli mei corroboro, & ad majus robur, fidejussorem pono Ducem Pomeraniæ Swatopelcum. Si autem aliquomodo hæc violavero, & fuero comprobatus, D. Archiepiscopus sine omni meo improperio, Me in eandem reducat excommunicationem. Testes autem in quorum præsentia hæc sunt acta, sunt hi &c. *Actum in Nakiel, Dominicæ Incarnationis. Anno* 1234. se collationibus præbendarum Gnesnen. Ecclesiæ.

Num. 29.

Sermo ad totum Senatum in Commitiis Generalibus Varsav. dictus Anno 1685. præsente Ioanne III Rege Poloniæ, quo informat Senatum de negotio Iuris Patronatûs, Celsissimus Princeps Episcopus Varmiensis Zalescius.

Non possum ex occasione Olivensis Abbatiæ inter vacantias delatæ voce acceptâ,non indolere vicibus Patriæ Nostræ, quod novæ in apricum prodeuntes materiæ, defensionem illius impediant, tempus utile Reipublicæ perdant, non puto, ut ij Domini qui *electum â Religiosis, utpotè liberæ electionis jus habentibus,* per Ser: Majestatem tantum confirmatum, Rever. Abbatem Olivensem impugnant, non puto inquam, ut contra justitiam distributivam aliquid opponendum habeant,dùm vident, quod maturum in discernentia meritorum & dignitatis, Seren: Majestatis judicium, in quemlibet fidelem servum, plenis velis gratias distribuit &c. magis igitur fortè, aut privata aliqua(quod tamen minus credo) in Personam Rever. Abbatis Olivensis odia, aut potiùs ignorantia, quomodo se res habeat in particulari, hunc in æmulantibus causat Zelum; breviter igitur,utpotè non ignarus rerum, informabo. Proculdubio Seren. Rex justè Respublica defenderet Jura Patronatûs suæ Majestatis,nam hæc sunt Jura Regni, neque est tàm exigua conditio, quæ cum Zelo Jura Patronatûs, sui defendere & conservare nollet. *Sed quia Judicium discernens realitatem illorum, vult omninò ex fundamento rebus consideratis,sufficientes habere probationes, iam verò fatô Reipublicæ & Incuriâ solitâ in conservatione Jurium, Privilegiorum & immunitatum nostrarum (si aliquæ fuerunt) invenire non possumus tam efficacia & sufficientia documenta, quæ scrupulosè, juxta praxim & æqvitatem omnia investigans, contentare possent Judicium.* Quidquid fieri potuit ex persona suæ Majestatis, omnia hæc impendit, inter prima instructionis puncta, commissum fuit p. m. Principi Vice-Cancellario L. M. ad Urbem,ut materiam hanc, hoc opus sæculorum, *â tàm multis Antecessoribus suæ Maiestatis, similem cum Regularibus* dif-

difficultatem habentibus, inchoatum & continuò agitatum, finivisset negotium. Habeo hactenus multa scripta, quæ magnam curam Principis p.d. evincent; *nihilominus hæc materia rejecta, dum sufficientia ad probandum Jus nostrum ad manum non fuerunt documenta.* Petijt Princeps p. m. Rev. Abbatem Coronovien. ut inhoatum hoc negotium cum Regularibus, utpote interesse privatum protunc habentem, per suum Judicium pacificasset. Eadem Rev. Abbatis Coronovien: fuit ratio, cur multum laboraverit, ad extremum hic favor præstitus, quod saltem abjudicatum non est Jus Patronatûs. Dum igitur non fuit aliud medium, tantùm aliquam compositionem inire cum Regularibus, ut partes inter se pacificatæ, approbatione indè acceptâ, ubi de jure competit, ultra difficultatibus careant. Conduxit igitur sua Maiestas Commissarium Cisterciensem Javoroviam, comisit D. Vicecancellario Regni, ut tractasset cum illo, fui & ego vocatus ad eandem Sessionem, & possum dicere, quod ibi magnam habuimus molestiam. Nihilominus tamen dum sua Majestas bonitatem suam huic Ordini monstravit &c. modo primum & illi incæperunt nobiscum mitiùs tractare; longum esset omnes difficultates & particularitates referre. Igitur tantùm quod ibi conclusum, edisseram. Divisæ sunt Ser. Rex. &c.& *vix pro tunc hoc efficere potuimus, quod saltem umbram & speciem Juris Suæ Majestati reliquerint, &c.* Stetit hæc concordia ex consensu totius Ordinis, & tamen hactenus non est confirmata, quamvis Reveren: Abbas Mogilen: Commendatarius incomparabili diligentiâ, & applicatione, hâc in parte utatur, *ut saltem per viam gratiæ, quando per viam Justitiæ non possumus, defectu probationum, consequi supradicta possimus.* Et hoc est, quod attinet generalem omnium Abbatiarum dispositionem, quibus dictis, jam transeo ad Abbatiam Olivensem. Dixi jam, quod *Abbatiæ Pruthenicæ ab immemorabili sub Regularibus & Professis Abbatibus fuerunt, super quod habent Jura optima, privilegia perfecta, Diplomata inviolata, & non solum Religiosum habebant, sed etiam semper è medio sui, uti liberam electionem habendo, eligebant.* Dum igitur vacaret hæc Abbatia, imò adhuc stante vitâ Abbatis ultimi considerans Conventus ille, quod propter infirmitatem sui Abbatis, Bona Abbatialia deteriorantur, elegerunt Coadjutorem, & tandem post mortem illius, Vacanti Abbatiæ Rev. Chacki emeritum per annos aliquot suæ Majestatis

Ser-

Servum, ex qualitatibus cuivis muneri parem, eligunt, & *honoris tantum gratiâ* confirmationem illius petunt, hunc & non alium postquam elegerunt. Fecit hoc sua Majestas eò promptius, quod & Jus suum hâc confirmatione firmare, & bonum servum Beneficiô augere potuit. Venit igitur in quæstionem: *Si id est potestatis suæ Maiestatis,* datô quod vellet (quamvis beneficium Principis decet esse perpetuum) *mutare ea, ad quæ* (cum venia Majestatis sit dictum) *plenum Jus non habet.* est statutum: *ut ex genere Nobili Abbates sint.* Id non disputo in hoc casu, quamvis audierim, quod in Moderno Abbate, aut potiùs Antecessoribus ejus, abusus est tantùm Nobilitatis, absq; quâ facilius illi, quàm merè plebeijs posset esse ad honores accessus, nam illud ipsum statutum: *Abbates ex Nobilib9, aut si illi defuerint, ex plebejs, modo sint Poloni, creentur;* omni disputationi ponit obicem. Hoc etiam addo: *quod hæc difficultas, neq; per suam Maiestatem, neq; per Rempublicam pacificari potest, nam qui scit quomodò expeditiones similes ex Curia Romana prodeunt? quomodò oracula illa mutari nequeunt? quomodò super his, qui impugnare vellent determinationem Romanam, fulmina ex-comunicationis sunt parata, non est amplius dicendi locus, nam hoc est extra dubium, quod in rebus Ecclesiasticis, Supr. S. Sedis Judicium absolutè decidere consvevit, & debemus ut boni Catholici Capita nostra huic incurvare Imperio, cui ipse Christus vivæ vocis oraculô potestatem hanc & ordinationem contulit, & contra quam portæ inferi non prævalebunt.* Si vero Zelus aliâ viâ vel aliô quopiam modô, vindicandorum Jurium Suæ Majestatis, quempiam animaret ad assumendam eam in se Provinciam discedendi ad Urbem, scio hoc pro certo, quod sua Majestas, parata est fervidis instructionibus & literis tueri, & merebitur de Republica, qui haberet tantùm animi curare id efficaciter, quod hactenus per tot discrimina rerum, per tot difficultates non obtinuimus. Eô ex notia mea dictô, D. Vicecancellarium peto, ut, si ego alicujus oblitus fui, pleniùs suam Majestatem & Rempublicam informet. *Ex Operibus Zaluscij excerpt.*

Alexander DEI gratia Rex Polon. &c. petitionibus Vener. & Religiosorum Georgij Abbatis, & totius Conventûs Monasterii in Pelplin Ord: Cister: in terris Pomeraniæ siti Nobis oblatis permoti, & *non minus rationem habentes salutis Nostræ, cultûsq; Divini conservandi. &c,* Quemadmodum post felicem Coronationem Nostram, Universis terris & subditis Regnicolis Nostris Uni-

Num. 30. Alexander Rex Poloniæ cum Consilio Regni Procerum confir-

matPrivilegia Conventus Pelplinensis Ord: Cister.

niversorum Privilegiorum, Immunitatum & libertatum, literas per olim Prædecessores Nostros eis successivè concessas, dandas confirmationes decrevimus, & petentibus dedimus gratiosé, sic in præsentiarum, non per errorem vel inconsultè, sed *de certa scientia, innatâq; pietate, ac virtute, Regiis Nostris, Consiliôq; ac consensu Consiliariorum Nostrorum universorum, Spiritualium & Sæcularium Regni Nostri ; universa & singula Privilegia, Munimenta, libertates, immunitates, per Seren: Illust: olim Reges Poloniæ , & Principes Pomeraniæ Prædecessores Nostros dictô Monasteriô concessas &c. confirmamus, decernentes illas perpetuò valituras &c. Gedani* 1504.

Num. 31.

Anno 1475 Bulla Sixti IV in favorem Cisterciensium firmans liberas electiones Abbatum Regularium & Commendas removens.

SIXTUS Episcopus &c. ad perpetuam rei memoriam. *Romanus Pontifex &c.* Cum itaq; Monasteria Cistercien: Ordinis &c. horum consideratione inducti &c. *Authoritate Apostolicâ & ex certa scientia volumus &c. & ordinamus, quod Monasteria, ut præfertur Commendata &c. cessantibus ipsis Commendis &c. plenè, liberè, & intergè redeant & veniant, ac venire & redire debeant ad majus, nec non electionem &c. Ordinis,* necnon PP. Abbatum & Conventuum eorundem Monasteriorum. Quodq; ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus *nulli,* Apostolicâ, vel aliâ quavis authoritate, præfatis aut alijs ejusdem Ordinis Monasterijs, ut præfertur vacantibus, vel vacaturis *in Abbates præficiantur; nisi* per eosdem PP. Abbates & Conventus ipsorum Monasteriorum , aut ipsius Ordinis Commissarios legitimos &c. *in Abbates eorum ritè & Canonicè fuerint electi,* vel postulati , seu per dd. PP. Abbates aut Commissarios præfatos secundùm Ordinis Statuta promoti. *Sed quod libera, & omnimoda, absq: aliquo cujusvis impedimenti obstaculo, Abbatum dd. Monasteriorum electio seu postulatio , & omnimoda alia dispositio ad PP. Abbates & Commissarios nec non Conventus præfatos spectet & pertineat,* ac dd. Monasterijs Abbatum Regiminibus destitutis, liceat dd. PP. Abbatibus, Commissarijs & Conventibus quascunq; idoneas Personas ejusdem Ord: in eorum & dd. Monasteriorum Abbates liberè & sine difficultate aliquâ Canonicè eligere &c. Et nihilominus *Universiis Archiepiscopis & Episcopis &c. mandamus, quatenus &c.* præfatis PP. Abbatibus Commissarijs Conventib. & alijs Personis eorundem, *in præmissis, efficacis defensionis, præsidio assistentes, faciant eos pacificâ possessione , vel quasi concessionis statuti, ordinationis , Decreti ac Juris eligendi, seu postulandi, ac promovendi, hujusmodi gaudere. non permittentes &c. Contradictores &c.*

per

per excommunicationis &c. Censuras & pœnas, appellatione postposità, compescendo. Et in super *universos & singulos Reges, Principes &c.* in quorum Dominio & ditione Monasteria ipsa & loca fuerint, *in Domino requirimus, & attentè hortamur, quatenus Monasteria, PP. Abbates &c. electos, postulatos, & promotos præfatos, ob præfatæ sedis reverentiam, piô desideriô & affectu, ita commissa suscipiant, eisq; efficacitèr in præmissis assistant &c. non obstantibus quibuscunq; &c. Datum &c.* 1475.

INNOCENTIUS &c. *Regimini Universalis Ecclesiæ &c.* sanè licet dudum per diversa Privilegia à diversis Romanis Pontificibus S. Cistercienſi Ord: concessa &c. tamen &c. *Nos igitur attendentes uberes fructus, quos dictus sacer Ordo hactenus in ipso agro Militantis Ecclesiæ attulit &c. statuimus & Ordinamus, quod omnes & singuli*, ad præsens Monasteria, Prioratus, & loca quæcunq; dicti Ordinis in Commendam obtinentes &c. *infra mensem*, postquam per Commissarium, seu Commissarios dicti Ord. per GeneraleCapitulum, aut perAbbatemMonasterij Cistercij deputatos, fuerint requisiti *Commendas Monasteriorum &c. dimittere debeant & teneantur. Statuentes insuper &c. quod de cætero futuris perpetuis temporibus, Monasteria, Beneficia & loca d. Ordinis, cuicunq; Personæ, cuiuscunq; dignitatis &c. fuerint*, etiam per quascunq; literas & dispensationes per Nos & Sedem prædictam vel Legatorum ejusdem, etiam cum motûs proprij & certæ scientiæ, & quibusvis alijs efficacissimis & insolitis clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, & præsentibus expresſè derogantibus, hactenus, & pro tempore, *etiam consideratione Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum quorumcunq;, & ad eorum supplicationis instantiam, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hujusmodi concessas, Commendari non possint. Quodq; Religiosi dicti Ordinis literis prædictis, etiamsi quascunq; sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas in se continerent, parere non teneantur, possintq. Conventus, Monasteriorum, locorum & Prioratuum huiusmodi, commendis prædictis non obstantibus, ad electiones &c. liberè procedere*, alias tamen juxta d. Ordinis Regularia instituta, laudabiles consvetudines, & Privilegia Apostolica illi concessa, quæ, quo ad præmissa illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, innovamus, & de novo concedimus, ac illa perpetuò inviolabiliter, in omnibus & per omnia observari volumus & mandamus &c. Decernentes irritum & inane, si

Num: 31.
Anno 1489.
Bulla Innocentii VIII. in favorem Ciſterc: prohibens Commendas etiàm intuitu Regum &c. permittensque commendis non obſtantibus, celebrare electiones liberas Abbatum Regularium.

ſecus &c, ac præſentibus, per quascunq; literas Apoſtolicas, etiam motu & ſcientiâ ſimilibus, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine pro tempore conceſſas,ac quascunq; clauſulas,etiam derogatoriarum derogatorias, & inſolitas in ſe continentes,derogari non poſſe, *niſi* de S.R.E. Cardinalium Conſilio, de quo etam claré conſtet, fuerit ſpecialiter & expreſſe derogatum, *& huiusmodi derogatio per trinas literas Noſtras,* aut Romanorum Pontificum Succeſſorum Noſtrorum Canonicè intrantium, *Abbati Monaſterij Ciſtercij, aut Capitulo Generali huiusmodi, diverſis temporibus ſucceſſivè præſentatas, fuerit prius intimatum.* Sicq; per quoscunq; Judices &c. non obſtantibus &c. *Datum Romæ* 1487. 3 *Cal: Maij.*

Num. 33. Anno 1663 Sententia definitiva A.C. de Bulgarinis decernens Ius eligendi competere Ciſtercienſibus Poloniæ, & adminiſtrandi Bona Vacantis Abbatiæ &c.

In Nomine Dom. Amen. Præſenti &c. Item pari *Noſtrâ ſententiâ dicimus, ac definitivè ſententiamus, Adminſtrationem Bonorum ſede Abbatiali vacante in d. Ordine, & Jus præſidendi in Abbatum electione, ipſamq; adminiſtrationem & electionem ſpectaſſe & pertinuiſſe, ſpectare & pertinere ad ſolos Monachos Monaſterij vacantis, ſine aliqua, Authoritate, aſſiſtentia, & præſidentia Epiſcopi, vel alterius Lociordinarij, aut deputatorum ab ipſo, dictaq; electioni præſidere non licuiſſe neq; licere dd. ordinarijs, nec per ſe, nec per Procuratorem, aut per quoscunq; deputatos aut deputandos, attentis Conſtitutionibus, recenſitis â* Sixto *V. Conſtit:* 34. *in Bullario Rom. Tom.* 2 *pag.* 406. *& Conſtit.* 3 *Clemen. IV. de quâ in d. Bul. novo Tom.* 1 *pag.* 128. Et propterea quoscunq; actus factos ſeù faciendos per ordinarios, aut ab eis deputatos, aut deputandos, fuiſſe & eſſe nullos, invalidos & irritandos; prout declaramus, annulamus, & irritamus; dictamq; adminiſtrationem & præſidentiam ad dd. ſolos Monachos ſpectare & pertinere, ſpectaſſe & pertinuiſſe declaran. & pronuncian. prout declaramus & definitivè ſententiamus, dictoq; Laurentio â Demut. Officiali Gedanenſi, & illi â quo authoritatem habuit aut habet, ſuper præmiſſis perpetuum ſilentium imponen: fuiſſe & eſſe, prout imponimus &c. *Ita pronunciavi ego Bulgarinus de Bulgarinis &c, Romæ* 1663.

Num. 34. Anno 1672. Sententia A.C. excluſiva Iuris Patrona.

Chriſti nomine invocato pro Tribunali ſedentes &c. per hanc Noſtram definitivam ſententiam, quam de Jurisperitorum conſilio ferimus, in cauſa & cauſis quæ &c. *inter Monaſterium Andreovienſe Ord. Ciſter & Rev. D. Steph. Theod. Madalinſki Abbatem d. Monaſterij ex una, & Ill. & Rev. D. Andream Olſzowſki Epiſ-*

Epiſ. Culmen. ejusq; Officiales & Miniſtros partibus ex altera, de & ſuper executione literarum Apoſtolicarum, in forma Brevis Clemen. IX. *ſub Dat. Rom. 7. Decemb.* 1668. & in Actis pro parte d. Monaſterij Andreovien. & Abbatis producti, necnon ſuper libertate Juris eligendi, & validitate electionis per Monaſterium Andreovienſe factæ, ad favorem d. Theodori, rebusque alijs, *dicimus, decernimus &c.* & *definitivè ſententiamus*, literas Apoſtolicas fuiſſe & eſſe exequendas, prout exequi, & debitæ executioni demandari volumus & mandamus, ac pro illius effectuali executione, *eligi debuiſſe atq; deberi, ſemper, & quandocunque in Abbatem d. Monaſterij, Monachum Profeſſum ejusdem Ord: & Religionis Ciſtercien:, non autem aliquem Presbyterum Secularem, ſeu aliam Perſonam, vel diverſi Ord: Profeſſum*, atq; proindè quamcunque electionem, nominationem ſeu præſentationem de Perſona non Profeſſa dicti Ordinis, quomodolibet & quâcunq; authoritate factam, nullam & invalidam fuiſſe, & tanquam talem, revocandam fore & eſſe, prout annulamus & revocamus &c. Item: *pari Noſtrâ definitivâ ſententiâ dicimus &c. electionem ſupra dicti Abbatis ſpectare & pertinere ad Monachos ejusdem Monaſterij, liberè & abſolutè, & independenter à quacunq; præſentatione, nominatione, ſeu Jure Patronatûs*, electionemq; per dd. Monachos ut ſupra factam de Perſona d. Theodori validam & legitimam, validèque & legitimè atq; Canonicè factam fuiſſe & eſſe, & pro taliter válida, legitima & Canonica declaramus & haberi volumus, & mandamus; dictumq; Theodorum in Abbatem & Superiorem ejusdem Monaſterij, tanquam legitimè & Canonicé electum, habendum, tenendum, & reputandum fore & eſſe, prout haberi, teneri, & reputari volumus & mandamus &c. dictoq; Epiſcopo Culmen. ſuisque Miniſtris & Officialibus non licuiſſe, neque licere illum vexare, perturbare, vel inquietare in reali fruitione & poſſeſſione bonorum dictæ Abbatiæ, illiusq; exercitij, prout minimè moleſtari, vexari, nec perturbari volumus & mandamus, victumq; victori &c. *Ita pronunciavi. Ego Aloyſius de Aquino Auditor Cameræ. Romæ 20 Septemb.* 1672

tis Maieſtatis Poloniæ. & declarans Ciſtercienſibus præfati Regni competere libertatem electionis Abbatum & ſpectare ad Monachos independenter à præſentatione, nominatione, ſeu Iure Patronatus.

Etenim: *donec libera Sacerdotum electioni in creando Epiſcopo locus fuit, fuit tamen aliquod bonorum & malorum, dignorum indignorumq; diſcrimen &c. Virtute, doctrinâ, & pietate tunc ambiebatur, plus, quàm fautoribus, aut neceſſariorum precibus, aut mulierum blandtijs, atq; lacrymis, aut*

Num: 35: Antiſtes Religioſiſſimus. Cromerus lib

25. ad An. 1463 pag. 568. describit subsecuta mala post deperditam electionem Episcoporum Poloniæ.

aut splendore comitatûs, aut apparatu conviviorum, & compotationibus, aut commendatione generis & familiæ, aut assentatione, & Sacerdoti indecoris ministerijs, aut etiam largitione; Vigebat igitur disciplina Ecclesiastica, minus sibi permittebant ij, qui Episcopi fieri cupiebant, serviebant famæ & existimationi, & non modo reprahensionem collegarum, sed etiam sinistram cujusvis suspicionem cavebant; Episcopi verò facti (intellige per electionem Canonicam) nihilominus pro Fratribus ducebant collegas dudum suos, in consilium eos de rebus majoribus adhibebant: plurimùm reverebantur, & Officium suum Episcopale noviter faciebant, memores, quid solemni & seriô datô jurejurandô recepissent. Ad Aulas Principum quoties veniebant (veniebant autem rariùs, nec tàm suâ suorumvè quàm publicæ utilitatis gratiâ) de via ipsis cedebatur, assurgebatur, omnisq; honos habebatur & quasi Numinibus quibusdam, tantùm non ad genua procumbebatur ab ipsis etiam Principibus &c. in admonendis & corrigendis non modo infimis & mediocribus, verùm etiam Primoribus, atq; adeò Regibus ipsis liberæ erant eorum voces & sententiæ, singularis dignitas, summa authoritas; non inhibebat vocem accepti Beneficij memoria, non spes futuri; nec elevabat Authoritatem dicentis, aut arguentis ambitio, & conscientia audientium, nec metus aut inscitia dignitatem deprimebat. Non erat necesse Episcopo & Sacerdoti præ foribus cubiculi Regii inter scurras & vilia ventris mancipia assidere, nec sannas, & scommata levissimorum quorumq; ferre, non turpiter aut indecorè adulari & adblandiri, non modo elegantioribus istis cubiculi & mensæ Regiæ administris, ut aliquam ij, vel loco absentis mentionem apud Reges facerent, verùm etiam satellitibus, janitoribus, ne dicam etiam horum amicis & concubinis, matellionibus, morionibus, ac cæteræ faci aulicæ, atque ipsis denique catellis Principum. Ita florebat tunc Respublica, florebat Religio, florebat Ordo Ecclesiasticus, splendescebant Templa &c. Aulæ verò Principum, horum (scilicet electorum) præceptis & exemplis institutæ, urbanitatis, virtutis, fortitudinis, prudentiæ, modestiæ, & pudoris erant officinæ, non fastûs, ignaviæ, ebrietatis, libidinum, temeritatis, imprudentiæ, & omnis nequitiæ & impietatis, ganeæ & barathra. Nunc: Sublatâ electione, hæc & multò plura alia mala, bonis illis successerunt, & in domos ac familias, atq; adeò in ipsa intima cubicula Episcoporum, nedum in prophanorum Principum aulas invaserunt: simulq; dignitas Sacerdotum, in decore emerendo, & emendo favore, etiam abjectissimorum hominum, viluit: labefactata est authoritas: nutat, ne dicam, ruit Respublica: Religio prostrata penè concidit. Quæ omnia Principes non tam Episcopis debent

impu-

imputare & Sacerdotibus, quàm sibi ipsis, qui nuncupandorum Episcoporum Jus Sacris Collegiis ereptum, sibi usurparunt &c.

Die 27. Iulij 1671. in Cracovien. Abbatiæ Hebdovien: Præmonstratensium, Rescriptum: *non esse concedendam Commendam D. Andreæ Olszowski Vicecancellario Regni, & confirmandam electionem Abbatis Regularis*, Rev. *Ioannis Scirski.* **Num. 36.** **Rescripta S. Congregationis Consistor: denegantia in Commendam Monasteria Poloniæ.**

Die 6 Octob. 1678. in Gnesnen. Abbatiæ Suleovien. Ord. Cister. Rescriptum: *non esse concedendam Commendam Rev. Ioanni Zbąski Episc. Præmysliensi, opponente se Abbate Regulari provisô Apostolicô Rev. Bernardo Záruski*

Die 14. Oct. 1678. in eadem causa Suleov. Rescr: *Stetit in decisis.*

Die 6 Febr. 1681. in Crac. Abbatiæ Vachocen. Ord. Cist. Rescriptum: *non esse concendendam Commendam D. Andreæ Załuski Magno Secretario Regni, opponente se P. Procuratore Generali Ord.*

D. 24 Ap. 1681 in eadem causa Vacho. Rescriptum: *stetit in decisis.*

Die 21 Augusti 1681 in eadem causa Vachocen: Rescriptum: *stetit in decisis.*

Die 30 Mar 1683. in Gnesn. Abbatiæ Tremesn. Canonicorum Regularium, Rescriptum: *non esse concendendam Commendam D. Nicolao Swiecicki Officiali Varsavien. opponente se dictô Monasteriô.*

Die 30. Janua. 1685. in Posnanien. Abbatiæ Bledzovien. Cister. Rescriptum: *non esse concendendam Commendam D. Ioanni Gninski Vicecancellario Regni, opponente se P. Procuratore Generali d. Ord.*

Die 19 Julij 1685. in eadem Bledzovien. Rescriptum: *non esse concendendam Commendam D. Ioanni Kurdwanowski Magno Notario Regni, opponente se P. Procuratore Generali dicti Ordinis.*

Die 12. Martij 1686. in Cracovien. Abbatiæ Coprivnicen. Cister: Rescriptum: *non esse concendendam Commendam D. Georgio Denhoff, Epis. Camenecen.*

Scribit Petrus, Gregorius Tolosanus, eximius Juris Doctor in Gallia, Syntag. Jur. lib. 33. Cap. 17. N. 4 *Experti sunt plures Principes in Gallia & Germania, quantùm Posteris nocuit ex adipe Ecclesiæ domos Paternas, & proximorum ditasse, ad tempus quidem modicum durarunt hæ Sacrilegæ ex Abbatijs & Episcopatibus compilatæ opes, & cum istarum ruinâ propriæ quoq; evanuerunt; Et: qui ipsis usi sunt, aut eorum filij, miserè perierunt; & plerumq; Quamvis enim Sacrilegi ab hominibus non plectantur, non possunt tamen Dei effugere Judicium. Sunt hodie tot Illustrium Virorum successores pauperrimi, & ferè errones & me-* **Num. 37.** **Authoritas Iurisperitorum docentium & attestantium: illum qui ex proventibus Ecclesiasticis ditat Familias,**

esse causam gravis miseriæ Posterorum.

& mendici, dicam, & audacter, prædones & latrones effecti, quod Ecclesias spoliarunt & brevi tempore cum illis, & sua amiserunt, quæ Majores virtute paraverant & reliquerant; Nam: male parta cum male dilabantur, bene parta, sed à male partis polluta, secum communione pertrahunt. Ex operibus Załuscij Tom: 2 pag. 220 ubi hac de re plurima alia scribit similia

Num: 38. Specificantur Iura Patronatûs Ser: Regum Poloniæ ad certa sæcularia Beneficia à Sede Apostolica per speciale Privilegium concessa

In Archivo Regni Poloniæ in Arce Civitatis Cracovien: Regni Metropolis, ubi Coronæ Regiæ & omnes thesauri Regni sunt depositi, reperiuntur Indulta summorum Pontificum concessa Regibus Poloniæ, ut valeant præsentare Personas sibi benè visas ad sæcularia Beneficia infra scripta:

I. Sixtus IV. Casimiro III. Regi Poloniæ ejusq; Successoribus, concessit *Jus præsentandi ad majores post pontificales Dignitates, in singulis, Gnesnen. Cracovien. Posnanien. Cathedralibus Ecclesijs, & Præposituram principalem in Ecclesia Collegiata Lancicien.* ; ut constat ex privilegio Apostolico, emanatô de Anno 1482.

II. Idem Sixtus, eidem Regi concessit *Jus Patronatûs ad Præposituram Ecclesiæ Collegiatæ S. Michaelis, Civitatis Cracovien. de Anno.* 1433.

III. Innocentius VIII. Confirmando dd. duo Privilegia concessa eidem Regi per Sixtum IV. præterea concessit Regibus *Jus præsentandi ad Scholasteriam Collegiatæ Lancicien.* indultô emanatô de Anno 1493.

IV. Reperiuntur etiam & alia Privilegia Apostolica in d. Archivo, quibus *concesserunt summi Pontifices Regibus Poloniæ Jus præsentandi ad alia Beneficia sæcularia in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis; cæterum nullum reperitur indultum ut Reges valeant præsentare ad Regularia Beneficia.*

V. Clemens VII. ad supplicationem Sigismundi Augusti Regis Poloniæ, & de ejus consensu, *concessit Episcopo Cracovien. Jus præsentandi ad singulas dignitates & Canonicatus, in Ecclesijs Collegiatis, Vislicen. & Kielcen. Diæcesis Cracovien.* Mediante Indultô de Anno 1532.

VI. Nonas Martij, quod etiam reperitur insertum in lib. Privilegiorum Ecclesiæ Cathedralis Cracovien, qui conservatur in Archivo ejusdem Ecclesiæ.

Num. 39. Sigismundus III. DEI gratiâ Rex Poloniæ &c. Religiosi

devo-

devotè nobis dilecti. Cum fatis concessisset *V. Adamus Trebnic* Anno 1630.
Abbas Oliven. gravem mærorem D.Vestras ex obitu optimi Patris cæpisse existimamus. *Optassemus & nos tali pietate Virum diutiùs vixisse*, hâc præsertim temporum iniquitate, quæ varijs calamitatum procellis abbatiam istam afflixit. Cæterum postquam ita superis visum, ut ad cæteràs ipsius calamitates, orbitas etiam accideret, Nostrarum partium fuit, talem deligere Successorem, qui é Palæstra disciplinaq; Religiosa defuncti Abbatis esset, quiq; virtutes ejus redivivâ æmulatione imitari vellet, posletq;. Talis Nobis visus V. Ioan. Grabinski Religiosæ Monasticæq; disciplinæ inter D. Vestras innutritus, qui sub tali Patre & Magistro tantùm profecit, quantùm vel vos ipsi virtutum ipsius optimè conscij, fatemini. Itaq; hunc potissimùm deligimus, cui Abbatia Oliven. conferretur, certi optimè ei consultum iri, si is ad gubernacula ejus assumeretur, qui non privatis commodis, quibus dudùm renunciavit, sed Conventûs Vestri studere vellet. *Eum igitur D. VestrisCommendamus benignè requirentes, ut cum electio &c. indicta fuerit D. Vestris, præfatum V. Joannem Grabinski in Abbatem suum ritè ac legitimè eligant &c. Dat. Varsaviæ MDCXXX. Regnorum Nostrorum, Poloniæ 42. Sveciæ 37. Sigismundus Rex.*

Sigismundus III Rex recommendat Ioannem Grabinski Profes. Olivien. Cist. eligendum.

Num: 40.

Christianæ est moderationi conveniens, *ut amputato usurpationis excessu*, unusquisq; impetratis gaudeat, nec ea præsumat, quæ nullômodô sibi concessa perspiciuntur. *Mandamus quocirca Episcopis*, ut illius memores Tridentini Concilij Sanctionis, disponentis, quomodo Jus Patronatûs Communitatum,præsertim Universitatum Collegiorum, ac potentium Personarum, in quibus præsumptio urget usurpationis, probari oporteat; *diligentissimè ipsi propriæ Diæcesis Patronatus omnes examinent,& ex documentis in eorum Curiis præcedentium occasione præsentationum exhibitis, inquirant, quâ occasione, quâ causa, quôvè titulo & Jure, Patronatus sint huiusmodi constituti*; & quos ipsimet repererint juxta formam ab eadem Tridentina Synodo præscriptam legitimè concessos, solenni describant in inventario, in quo Instrumenta, aliævé cujuslibet probationes Patronatus,ad d. Concilij normam acquisiti breviter referantur &c,

Decretum Concilii Romani sub Benedicto XIII. feliciter Regnante de probandis Iurib9 Patronatûs Regum.

Num. 41.
Anno 1600.

CLEMEMS Episcopus &c. Cum sicut accepimus Monasterium Andreoviense Cister. Ord. Cracovien. Diæcesis,quod quon-

Provisio Apostolica Abbatiæ Andreovien. ad postulationem Monachorum cum dispensatione non assumendi habitus.

quondam Stanislaus Rescius &c. sub certis modô & formâ tunc expressis factâ dum viveret, obtinebat, seu illi providebat, per obitum d. Stanislai extra Romanam Curiam defuncti, aut alias certô modô vacaverit, & vacet &c. Nos dilecto Filio *Bartholomæo Powsinski*, Clerico Crac. Cubiculario intimo, & familiari continuo Commensali Nostro (*quem dilecti Filii Conventûs Monasterii ejusdem in unum pro electione futuri Abbatis illius, ut moris est congregati, in suum & d. Monasterii Abbatem postulaverunt*) specialem gratiam facere volentes, motu simili Monasterio præfato &c. de Persona ejusdem Bartholomæi, etiam si ipse habitum per Monachos ejusdem Ordinis gestari solitum non susceperit, & professionem per eosdem emitti solitā non emiserit, providemus. Ipsumq; illi in Abbatem præficimus &c. secumq;, ut habitu hujusmodi non suscepto, nec Professione Regulari prædictâ per eum emissâ, d. Monasterium recipere, & ad Nostrum & sedis præfatæ beneplacitum, etiam in habitu sæcularis Presbyteri inceden. etiam una cum Canonicatu Cracovien. hujusmodi &c. retinere, ipsumq; Monasterium &c. regere & gubernare ibidemq; præesse liberè & licitè valeat, Apost. Authoritate dispensamus. Non obstantibus &c. & cum alio Decreto: quod ipse Bartholomæus intra Annum â data præsentium computan. ad S. Presbyteratûs Ordinem promoveri etiam omninò teneatur. Alioquin Monasterium ipsum vacet eô ipsô, &c. *Datt. Romæ apud S. Marcum 3 Idus septem. Ponificatûs sui Anno 9*

Num. 42.

Anno 1600. Literæ Apost. speciales in forma Brevis ad Monachos Andreovien. Ord. Cister.

Clemens Papa VIII. Dilecti &c. Quia vero Vos & insigne Monasterium istud Andreov. Paternè in Domino diligimus, illud etiam Divini cultûs splendore, & Regularis Monasticæ disciplinæ observantiâ, magis magisq; florere, magnoperè optamus, ob eam causam (licet vetus & fidelis servitus & obsequia Dilecti Filij Barth: Powsinski intimi Cubicularij Nostri grata admodùm Nobis essent, tamen quia nunc ejusdem Monasterij & Vester est Abbas) ultrò eô carere voluimus, ut in eodem Monasterio Officij sui partes præsens obire, & Deo Altissimo cumulatiùs inservire possit. *Venit igitur ad Vos, Nobis benedicentibus*, cujus adventum certè confidimus vobis gratum & jucundum fore, quem Nos amamus, & de ejus Zelo prudentia, & Dei timore, nobis ea pollicemur, quæ &c. *quemadmodum vicissim de vestra pietate & Religiosa vita professione Nobis per-*

persvademus, qvod multa cum obedientia & Charitate, unanimes ambulabitis in Domo Dei cum consensu, ut monasterium istud &c. optata & salutaria capiat incrementa. Vos ergo &c. *Romæ d.* 24*Octob: An.*1600&c.

Sacra Congreg: rebus consistorialibus præposita, sæpius discussô negotiô Abbatiæ Vachocen. Ord. Cistercien. Diæc. Cracovien. quam R. D. Andreas Załuski Magnus Polonici Regis Cancellarius Commendari sibi postulabat, & rejectâ non semel petitione, quod obstare videretur imprimis Constitutio Clemen. IX. vetantis quemquam eligi in Abbatem Monast. Ord: Cister. nisi sit actu Sacerdos & Professus ejusdem Ord., tandem cum Apostolicus in Polonia Nuncius meritum supplicantis,& in Apostolicam Sedem observantiam pluribus commendaret, eamque concessionem, ob Viri in Aula Polonica gratiam, atque Authoritatem Ecclesiæ, utilem fore testatus sit; *successerunt insuper enixæ & repetitæ Seren. Regis & Reginæ commendationes*, omnibus maturè perpensis, censuit, si SS. D. N. placuerit, commendari posse; *cum clausula revertendi in Titulum statim, ac per cessum vel decessum ejusdem Załuscij Vachocen. Abbatiam vacare contigerit.* Et factâ relatione, Sanctitas sua Sac. Congregationis sententiam benignè probavit. *Romæ d.* 10 *Martij* 1682 *&c.* *Num.* 43. Decretum S. Congregationis pro commendanda Abbatia Vachoe: cum clausula revertendi in Titulum.

CLEMENS Episcopus &c. Officiali Cracovien. salutem. Modernus Præpositus &c, de Miechovio sepulchri D. Hierosolimitani Ord. S Auguft: Cracovien. Diœces. proponi fecit coram Nobis; quod alias Leo Papa X. ex certis tunc expressis causis, præposituram d. Domus, quæ Conventualis existit, Mensæ Epis. Præmyslien perpetuò univit &c. Nobisq; humiliter supplicavit, unionem, annexionem & incorporationem per Leonem prædecessorem factas ante dictas, quæ ante ipsas revocationes non fuerunt sortitæ effectum, revocatas fuisse declarari, mandare &c. *Nos igitur* hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni Tuæ per Apostolica Scripta *mandamus, quatenus &c. dictam unionem cassatam& annihilatam, ac Præposituram eandem in pristinum & eum statum, in quo ante ipsam unionem existebat, remansisse & remanere Authoritate Nostrâ nunties & declares &c. Datt. Romæ* 1524 *Pridie Calendas Maij.* *Num.* 44. Anno 1524. Clemen. VIII. revocat unionem Monast Miechovien: factam olim: Episc. Præmyslien.

SIGISMUNDUS Rex Poloniæ &c. Significamus &c. Quia licet Nos Superioribus Annis cupientes reditus Episcopatuum in terris Russiæ, quæ per frequentes Paganorum incursiones nimi- *Num.* 45. Anno 1525. Sigism. I. Rex

Poloniæ unionem prædictam denuo revocat.

nimium attenuatæ &c. relevare &c. Præposituram Monast. Miechovien. unire in Conventu Generali decrevissemus &c. *tamen, quia succedente tempore multis Regni Nostri Primoribus Nobilibus & Terrigenis visum fuit exemplum noxium ad reliquas Ecclesias hôc modô præter Institutum Fundatorum convertendum, & Cultum Divinum attenuandum. Nos* magnis & ferventissimis precibus &c. Præposituram ac Monasterium ipsum Miechoviense circa veterem morem & Ordinem conservandam decrevimus, tenoreq; præsentium conservamus, *& decernimus, quod deinceps vacatione ipsius occurrente, nullum omnino impedimentum debebunt ipsi Fratres circa novi Præpositi electionem &c. à quopiam, prætextu dd. literarum unionis, habere & sustinere &c. Datt. Petricoviæ feria 5 post Festum S. Valen.* 1525. *&c.*

Num: 46

Anno 1640. Statutum Regni de Episcopatu Euronen. seu Piltinen., quo enunciatur qualiter defecerit.

Infelix illa in Livonia Metamorphosis, quæ multos ab Orthodoxa Fide desciscere, aut coegit, aut illiciô majoris libertatis attraxit ad amplectendam Lutheri sectam, etiam *Ioanni à Monninghausen* Vestphalum Curoniensem, seu Piltinensem, & Osiliensem in Livonia Antistitem, eodem serpente involvit lutheranismo, qui profanatâ fide Orthodoxâ, ut liberiùs uxoratus vacaret carni, Germaniam petiit, ut autem nunquam solum scelus manet, quin aliud trahat, dd. Episcopatus Friderico Daniæ Regi pro pretio attribuit, qui eos Fratri suo d. Magno Holsatiæ Duci cessit, sed & is inter serpentis hœreseos licentiam cælibis pertæsus vitæ, Ducissam Moschoviæ Cari Filiam copulavit in Conjugem, soceri consensu, Titulis *Regis Livoniæ* sibi attributis. Perculsus hâc famâ Rex Daniæ, metu summæ expensæ amittendæ, Osiliensem Episcopatum suæ subdidit potestati. Magnus verò, cum magis adversa, quàm prospera apud Roxolanos expertus, Curonensem Episcopatum cum ereptis Moscho Arcibus ultra Dunensibus, Reipublicæ restituit Polonæ; sed dum fato sublatus est, de eo Episcopatu armis certatum inter Stephanum Poloniæ & Fridericum Daniæ Reges illô prætendente Dominium, istô emptionem. Tandem Mediatore Fridericô Brandeburgicô Marchione Auschpachensi, lis dirempta est, ut Marchio refunderet Dano pretium, Danus Juri omni renunciaret, Rex Poloniæ Jus ad Episcopatum teneret, non tamen prius Episcopatum recuperaret, nisi enumeratâ Marchioni pecuniâ. Functo vitâ Auschpachensi, cum filia ejus, in dotem

hunc

hunc Episcopatum habuit promissum Gvillelmus, Dux Curlandiæ; sed consors vidua Auschpachensis hunc resignavit Hermanno Maydel, (prævio tamen Privilegio Regiô) is iterum alteri Ottoni Maydelio, cui cum Jacobus Curlandiæ Dux litem de illegitima possessione movisset, Episcopus Samogitiæ velut perpetuus hujus Episcopatûs Administrator protestatus est contra tot mutationes Episcopatûs in Præjudicium Ecclesiæ factas, Et licet alij in Livonia Episcopatus, grassante & hoste & hæresi extinguerentur; Episcopatus Piltinensis suo Juri relictus est, & consensus Regius ad transactiones varias præbitus, illud semper expresse cavit, ut Jura Ecclesiarum Catholicarum, salva & integra manerent. Proinde (*ut scribit P. Naramovius S. I. in Facie Rerum sarmaticarum lib. 2 fol 668.*) dubitare nemo potest, posse hunc Episcopatum redimi, sed postquam Livoniæ creati Episcopi, ijs, annexus est Episcopat9 Piltinensis. *Excerptum ex præfato Authore Soc. Jesu.*

Num. 47.
Anno 1563. Bulla Pij IV. prohibens fieri uniones, & applicationes fructuum & proventuum Monasteriorum Ord. Cist. etiam piis aliis locis, ex quavis causa, licet necessaria, &c. & intuitu cuiuscunque Personæ instantis.

PIUS. Episcopus, &c. *In Eminenti* &c. Exhibita Nobis nuper pro parte Ludovici Abbatis Cistercij petitio continebat, quod licet *Ordo Cister. in summa puritatis & devotionis perfectione per multa retroactorum Annorum Sæcula &c. Domino cooperante floruerit;* Nihilominus â pluribus annis, citra præsertim, postquam pleraq; Monasteriorum & Prioratuum suorum, alijs, quàm d. Ordinis Personis, Commendari, â superioris obedientia per exemptionum, unionum, aliasq; diversas vias, tanquam membra â suo Corpore divelli, abstrahi, & dismembrari cæperunt, specioso illô Regularis disciplinæ candore paulatim offuscatô, universus Ordinis status in miserabilem dispersionem & desolationem prolapsus est &c. Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus &c. providere de benignitate Apostolica dignaremur. *Nos igitur &c. omnes & singulas ab Abbate Cistercii aliisq; Superioribus & Capitulo Generali Ord. huiusmodi, eiusq; Deputatis, immunitates, libertates, & exemptiones &c. Uniones autem, annexiones, & incorporationes, ac suppressiones & extinctiones Monasteriorum & Prioratuum eiusdem Ord. aut fructuum, redituum, & proventuum illorum dismembrationes, & locis aliis, quantumlibet piis applicationes, & aliæ quævis perpetuæ illorum alienationes, cuicunq; alteri loco, ex quavis causa, quantumcunq; honesta, urgenti & necessaria,* absq; speciali & expresso ejusdem

jusdem Abbatis Generalis pro tempore existentis consensu, in scriptis, causâque prius â Capitulo præfato vel aliàs rite cognitâ, *etiam per Nos & Sedem prædictam, etiam de Fratrum Consilio, ad quorumvis, etiam Imperatoris, Regum, Reginarum Ducum, & aliorum Principum instantiam, deinceps nullatenus fieri possint* ; & si aliter fiant, nullius omninò sint roboris, neque Ordo ejusque Superiores & Personæ, præfatis literis desuper conficiendis, obedire debeant. &c. Et ita per quoscunque Judices &c. Sublatâ &c judicari, definiri, & interpretari, debere &c. non obstantibus &c. *Datum Anno* 1563. 6 *Calendas Octobris.*

Soli DEO Honor & Gloria.


1. Timoth. 1.

In cujus virtute fiat Pax.

Psal. 121.

Gratia, & respectus in Electos illius.

Sap. 4.



Mendæ Typi ſic emendandæ.

Pag.	*Verſu.*	*Loco.*	*Lege :*
4.	21.	depentes	dependentes
8.	26.	prædentium	prætendentium
9.	5.	efficiſſent	effeciſſent
13.	6.	protaſtante	proteſtante
14.	2.	ipſa II.	ipſa XI.
Eadem in marg.		patrnatus	Patronatus
17.	23	prætentium	prætendentium
23.	2.	relirint	reliquerint
Eadem	11.	ſuggere	ſuggerere
25,	30.	eluſcat	eluceſcat
34.	2.	partem	partim
42.	7.	confirmiter	conformiter
52.	8.	cummune axio-ma ?	commune axioma ?
54.	8.	fundata ſunt ab Ep. Cra.	fundata ſunt ab Archiepiſcopo Gne: & Epiſc. Cracov.
55.	8.	prodrorum	prodromum.
Eadem	22.	Ambitio ad easdem	Ambitio Singularii ad eaſdem
Eadem	33.	Audacia	Audaciæ
56,	1.	liberam	liberæ
Eadem	25.	qua par ect	qua par eſt
58.	14.	Domino	Dominio
60.	21.	qui ſunt	qui cum Singulario ſunt
61.	3.	nihiliominus	nihilominus
Eadem	4.	Poioniæ	Poloniæ
67.	10	non tu	non tamen
81.	21.	libertus	libertas
87.	2.	etiam cum	etiamnum
Eadem	5.	ſed fervida	ſed excitavit fervida
91.	31.	Abbutes	Abbates
92.	3.	eum ſua	cum ſua
99.	31.	rectto	recto
101.	1.	curales	Curules
Eadem	6.	validſima	validiſſima
103.	15.	ſatisfaciundum	ſatisfaciendum

Pag:	Verſ:	*Loco*	*Lege*
104.	2.	Spiritualum	Spiritualium
107.	23.	reſpective commune ſeu civile	reſpective commune ſeu civile univerſale.
108.	26.	primum principum	primum principium
111.	12.	perit omnis illo.	perit omnis in illo
112.	16.	capare Abbatias	capere Abbatias
117.	17.	provideſſet	providiſſet
Eadem	33.	viguiſſent	viguiſſet
Eadem	*ibidem*	ſiugulari	ſingulari
Eadem	34.	eandem ad Monachos	idem ad Monachos
119.	22.	quam ſtammate	quam Stemmate
120,	33.	deſigandi	deſignandi
123.	3.	Regalie	Regalia
127.	4.	datationis	dotationis
130.	17	imo	primo
Eadem	*ultimo*	pro vota ſecreta.	per vota ſecreta
137.	16.	indebile	indebite
141.	29.	babuit	habuit
142.	5.	retroducat	reproducat ;
143.	31.	cxtant	extant
147.	24.	ptoinde	proinde
148.	21.	arbitrum	arbitrium
149.	30.	Abbtiarum	Abbatiarum
Eadem	13.	depigens	depingens
150.	10.	pro iniqua iniquis	pro iniquis iniqua
151.	30.	legm	legem
Eadem	35.	ſper	ſuper
154.	27.	ſinglarius	ſingularius
157.	15.	ullam	ullum
158.	18.	ferrentes	ferentes
Eadem	25.	inpatientes	impatientes
Eadem	*ultimo*	ſubreptitio	ſubreptitia
159	24.	lagerit	legerit
160.	18.	ſtuctus	fructus
Eadem	26.	rnfutatione	refutatione

Pag.	*Vers.*	*Loco.*	*Lege.*
163.	37.	absuluta	absoluta
167.	10.	Regularium	Regalium
Eadem	19.	raplico	replico
168.	4.	valere	vacare
171.	29.	Secratissimos	Sacratissimos
172.	3.	decreta	decretæ
177.	35.	babere	habere
179.	23.	patebat	petebat
180.	17.	ex ſtatutitis	ex Statutis
Eadem	19.	asseri	asserti
185.	22.	præseferunt & violantur	præseferunt: Electiones Abbatum retinentur quidem, sed ita labefactantur & violantur ut &c.
Eadem	27.	referri	referre
187.	28.	rocordari	recordari
Eadem	30.	S.Thdologia	S Theologia
190.	9.	asservare	asseverare
195.	6.	repelere	replere
198	5.	cura Regularis Curiæ Aulicis bene congruit non item institutoRegalis	Cura Regalis Curiæ Aulicis bene congruit, non item instituto Regulari
Eadem	17.	inter	iter
Eadem	38.	quo	quod
199.	10.	coferne in actu exercitio	conferre in actu exercito
202.	16.	non inpugnes	non impugnes
204.	26.	dece	decet
205.	33.	Ecclesiæ	Ecclesia
208.	33.	fallaris	falleris
210.	22.	regno	Regni
211.	*ultimo*	clavium manus	clavium munus
217.	20.	ſquimur	ſequimur
219.	8.	cum tolleret	cum toleret
220.	*ultimo*	ambigentibus	ambientibus
226.	10.	cathedra	Cathedræ
Eadem	24.	ilarum utilitas,	illarum utilitas?

Pag.	Verf.	Loco.	Lege.
231.	19.	in Bullarum	vi Bullarum
232.	18.	porhibet	prohibet
Eadem	28.	penitus	penitius
233.	29.	eorum	eorumq;
234.	4.	præſequetur	perſequetur

Emendanda in Summario.

Pag.	Verſ.	Loco.	Lege.
5.	22.	curetes	curetis
14.	in Marg:	de munu tenendo	de manutenendo
20.	27.	per viam juſtittæ	per viam juſtitiæ
21.	13.	ex plebeis	ex plebeijs
22.	16.	ad majus	ad manus
24.	6.	ẽtam	etiam
28.	32,	mediante indulto de Anno 1532.	mediante indulto de An: 1532 6. Nonas Martij &c.
30.	12.	ſolita	ſolitam.









